This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ad
Bibliothecam
Capituli ruralis
Stiefenhofen.

J. F. Grell

B
67

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM
AC ERUDITIONIS
STUDIOSORUM USUI
INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS
ACCOMMODATUM.

TOMULUS IX.

DE THEOLOGIA SCHOLASTICA,
DOGMATICA ET HISTORICA.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS *MATTHÆI RIEGER,* BIBLIOP.
MDCCLXII.

AE
4
.M28
v.4 10

LIBER XII.

DE THEOLOGIA.

CAPUT VII.

OECONOMIA THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

LXIX.

Scholaſtici titulus olim late vagabatur, erantque ſatis multi, qui eum ſibi vendicarunt, eoque ſunt gloriati. Inprimis ſcholaſtici nuncupabantur Diſcipuli, qui ſcholas frequentabant, atque in illis ſeſe exercebant; unde Diſciplina Scholaſtica nomen ſuum derivat. Tum etiam Declamatores, qui in cauſis fictis & otioſis, non in *veris litibus* verſabantur.

In hunc ſenſum Plinius (k) ait: *Scholaſticus tantum eſt, quo genere hominum nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius. nos enim qui in foro, veriſque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus.* Demum illi, qui ſermonis elegantia & nitore præſtabant, ac diverſo eruditionis ac diſciplinarum genere exculti e ſcholis prodierunt. Ita Cicero in Piſonem: *Homo*, inquit *ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus e Schola.* & D. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtatur *Serapionem ob elegantiam ingenii nomen Scholaſtici meruiſſe.* Theologia vero, de qua loquor, Scholaſtica dicitur, huncque titulum obtinet jam a quingentis annis non a parergis illis ac phaleris verborum, ſed a methodo, quæ in ſcholis ad tradendam penitus diſcendamque diſciplinam aliquam atque ſcientiam aptiſſima ſolet adhiberi. Conſiſtit autem hæc tum in dicendi genere conciſo, ſimplici, & aperto; fateri enim oportet, hoc dicendi genus amputata omni verborum luxuria veritatem preſſius atque magis dilucide mentibus noſtris ſe ſe objicere ac inſtillare: tum in explicandi ratione dialectica, quæ terminos clare ac perſpicue exponit; ſubla-

ta

(k) *Epiſt. l. 2.*

ta vocum ambiguitate ſtatum quæſtionis aperit, ne animus alio diſtrahatur; definitiones, diviſiones ſtatuit; argumenta in medium producit ad ſententiam ſuam tuendam, & quæ in contrariam partem occurrunt, diſſolvit, ne circa rem propoſitam & probatam dubitatio & anxietas in animo remaneat. *Dialectica* enim, inquit S. Baſilius, *inſtar muri eſt dogmatibus, quod ea non ſinit facile diripi, & quorumlibet incurſioni patere.* Atque hujus Scholaſticæ Theologiæ Oeconomiam jam nunc palam facere conſtitui, ea quidem brevitate, quam inſtituti mei ratio poſtulat, non tamen ita compendiario, ut non præcipuæ materiæ atque ſententiæ ſingulorum, in quos dividuntur, Tractatuum ordine ſuo compareant velut notis quibusdam & characteribus illuſtratæ, tum ut facile a quovis Philoſophiæ non penitus experte intelligi queant, tum ut illi, qui Theologiam Scholaſticam nonniſi inutilibus, jejunis, & inanibus qua quæſtionibus qua litigiis occupari omnino perperam exiſtimant, clare videant, & quaſi manibus palpent, agi ſane de rebus ſublimibus, graviſſimis, utiliſſimis, & ad ſalutem maxime neceſſariis. Quippe auſim dicere, Theologiam Scholaſticam, uti traditur, eſſe *vere* Evangelicam. Evan-

gelium enim ſeu novæ Legis Teſtamentum potiſſimum quatuor capita complectitur, videlicet: Myſteria divina, Fidei dogmata, præcepta morum, & Sacramentorum doctrinam. Eadem profecto ratio eſt Theologiæ Scholaſticæ. Nam exponit in Tractatibus de Deo, de SS. Trinitate, de Incarnatione, altiſſima myſteria divina: in Tractatibus de fide, de gratia, de beatitudine, dogmata fidei: in Tractatibus de humanis actibus, de legibus, de Jure & Juſtitia, aliisque virtutibus, de peccatis, morum præcepta & diſciplinam: demum in Tractatibus de Sacramentis in genere ae ſpecie doctrinam Sacramentorum, quemadmodum jam nunc videre licebit.

§. I.

Tractatus de Deo.

LXX.

Quemadmodum Ethnici a Jove, falſo Numine, ita Theologi a Deo vero, uno & Trino principium ſacræ doctrinæ ſumunt. Ac primo quidem quum *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*, uti loquitur Apoſtolus: exiſtentia vero Dei

Dei non ſit nobis nota per ſe, ſeu non innoteſcat evidenter ex ipſa terminorum convenientia absque omni probatione, diverſas ineunt vias ad hanc demonſtrandam; pauci quidem *a priori* vel *quaſi priori*, ut vocant, ſive per prædicatum aliquod Deo intrinſecum *Entis optimi*, *neceſſarii*, *carentis omni imperfectione &c.* ſed non ſatis feliciter ac firmo pede; quoniam Atheus negat ſuppoſitum, quod ratio optimi, neceſſarii, perfectiſſimi convenire poſſit alicui enti. Hinc plerique a poſteriori ſeu ex ordinatiſſima mundi hujus machina, mirabili ſymmetria & ſumme provida ejus gubernatione contra Atheos demonſtrant, omnino neceſſarium eſſe, ut exiſtat Ens quoddam ſupremum, a quo hæc omnia tanquam primo fonte, auctore, ac conditore proficiſcantur & gubernentur, quod Ens ſupremum Deum vocant; id quod confirmant ex omnium populorum ac nationum conſenſu, qui fallere non poteſt, dicente Ariſtotele (l): *Nemo omnes, omnes neminem, ſinguli ſingulos fallunt*. Quapropter Dei exiſtentia ab homine rationis compote, ſaltem per longius tempus, ſine culpa ignorari haud poteſt. Nefas enim foret conſentire Tullio

(l) *Lib.* 10. *Ethic.*

Ad
Bibliothecam
Capituli ruralis
Stiefenhofen.

J. F. Gresell.

eſſe ex prærogativa nullius initii & nullius finis ? VI. *Immutabilitas ;* nam ut Auguſtinus loquitur (s) *Deus nunquam novus, nunquam vetus innovat omnia . . . . opera mutat, non conſilium :* & Boetius canit, *immotusque manens dat cuncta moveri.* Inter perfectiones divinas adfirmantes recenſentur I. *Omnipotentia*, de qua Callimachus apud Plutarchum (t), *ſi Deum noſti, ſcito illum poſſe omnia facere.* & Tertullianus (u) *Non enim vere Deus eſt qui quod vult, non poteſt.* II. *Bonitas :* certe Auguſtinus (x) : *ita proprium* inquit *eſt Deo, quod bonus eſt, ut a quodam compellatus ipſe filius Dei, cum audiret, Magiſter bone . . . reſponderet : quid me interrogas de bono ? nemo bonus, niſi unus Deus. Quod quid aliud eſt dicere, quam ſi me bonum vis appellare, intellige & Deum.* III. *Providentia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* (y). quæque in magnis æque ac in parvis eſt maxima, & ita curat ſingula, ut omnibus ſit intenta. IV. *Miſericordia.* eſt enim Deus *miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ* (z). &

(s) *Lib.* 1. *Confeſſ.* (t) *L.* 1. *de placit. Philoſ. c.* 4. (u) *L.* 1. *contra Marcion. c.* 11. (x) *In Pſalm.* 17. (y) *Sap.* 8. (z) *Pſalm.* 85.

& *miſericordia Dei plena eſt terra* (a). V. *Sapientia*, cognoſcens omnia per altiſſimas cauſſas. *Non enim*, ut S. Dionyſius loquitur (b) ex rebus *ipſis diſcens novit eas divina mens, ſed ex ſe ipſa, ſecundum cauſſam, omnium ſcientiam & eſſentiam præhabet, & ante comprehendit.* VI. *Veritas*, neſcia falli & fallere, omnemque in ſe veritatem complectens: *Ego ſum via, veritas, & vita.* VII. *Sanctitas*, de qua memoratus Dionyſius (c): *Sanctitas eſt, ut more noſtro loquar, ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas: talis autem maxime convenit Deo, qui menſura eſt totius & ipſius ſanctitatis.* Hinc Pſalmiſta Regius (d) *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis.* VIII. *Juſtitia*; eſt enim Deus *remunerator* bonorum, & vindex malorum, *unicuique reddens ſecundum opera ejus.* Quare S. Dionyſius pronunciavit (e): *Juſtitia Dei celebratur ut omnibus ea, quæ meritis cujusque conveniunt, diſtribuens, & congruentem naturam & pulchritudinem, & ordinem & diſpoſitionem . . . cuique determinans.* Has

(a) *Pſalm.* 32. (b) *De div. Nom. c.* 7. (c) *Ibid. c.* 12. (d) *Pſalm.* 144. (e) *De div. Nom. c.* 8.

Has aliasque Dei perfectiones, earumque arcana Theologi tum Scripturæ ac Patrum teſtimoniis, tum lumine naturæ notis argumentis illuſtrant non ſolum ad commonſtrandam Dei magnificentiam, & ad ideas ſummo Deo dignas hominum animis implantandas, verum etiam ad debellandos tam ethnicorum quam hæreticorum falſas de divinis perfectionibus opiniones, quales nunquam defuerunt. Quippe *unitatem* Dei impugnarunt gentiles & idolorum cultores, qui Numinum turmam & polytheismum invexerunt in orbem: Valentinus, Marcion, Cerdo, Manes, unde Manichæi, Tritheitæ. *Simplicitatem* Stoici, Antropomorphitæ, Manichæi, & Spinoſa. *Infinitatem* Pagani, Sociniani. *Immenſitatem* Valentiniani, Gnoſtici, Manichæi, Waldenſes, Sociniani. *Immutabilitatem* quidam Stoicorum, & Origeniſtarum. *Omnipotentiam* Marcion, Manichæi, Saturniliani, Hermiani, Seleuciani. *Bonitatem* ac *Sanctitatem* Luciferiani, Celſus, Calvinus. *Providentiam* Epicurus, Democritus, Gnoſtici. Gigantes hi fuerunt, & Encelades, qui cœlum expugnare, ac Deum ipſum e throno eſſentiæ, ac perfectionum ſuarum avita poſſeſſione deturbare conabantur, ſed omnes demum fulmine tacti pe-

rie-

rierunt. Cætera perfectiones hucusque recenſitæ, quas Attributa Dei vocant Theologi, re ipſa nec inter ſe, nec ab eſſentia divina diſtingui docent, ſed ſolum formaliter, ſeu ratione noſtra, quamvis eas diſtinguendi fundamentum præbeat ipſa perfectio ſumma eſſentiæ divinæ, utpote quæ longe pluribus rerum creatarum perfectionibus re ipſa inter ſe *diſtinctis* æquivalet, ita ut nos eas, quum unico conceptu nequeamus, per plures exprimere cogamur.

LXXI.

A Deo ita in ſe & perfectionibus ſuis conſtituto ad ejus intellectum & voluntatem altius rimandam ſe ſe transferunt, quæ duo ampliſſimum diſputationibus graviſſimis campum aperiunt. Et quidem quantum adtinet ad divinum intellectum, perfectiſſimam in Deo rerum omnium ſcientiam exiſtere demonſtrant, dicente S. Cyrillo (f) *Deum omnia ſcire docente nullo, ac præ oculis habere nuda & aperta*, ſimulque enumerant quinque illius dotes ac prærogativas, quarum *prima* eſt, quod ſit ſimplex; eadem enim in Deo res eſt cognitio & intellectus, quum nullam compoſitionem patiatur Ens ſim-

(f) *Lib. xx. Commentar.*

ſimpliciſſimum; & quidquid in Deo eſt, ipſe Deus ſit. *Altera*, quod nunquam nova ſit. nam ab æterno novit Deus, quid facere poteſt, & quidquid in tempore facturus erat. *Tertia*, quod ſit expers ſucceſſionis, quum ſimplici intuitu omnia comprehendat, non tranſeundo ab una cognitione ad alteram, nec a noto ad ignotum, quemadmodum imbecilli noſtro intellectui accidere ſolet. *Quarta* quod nullis indigeat ad quaſcunque res intelligendas ſpeciebus, quoniam *omnia* teſte D. Joanne (g) *in eo vita ſunt*, id eſt, omnium rerum vivas perfectiſſimasque ideas in ſe habeat, immo ipſe ſit viva idea omnium rerum. *Quinta* demum, quod ſit certa, infinita, æterna, immutabilis, quoniam uti eſſentia Dei, ita & ſcientia, quæ eadem cum illa res, nullius defectus capax eſt, nec ullis aut loci, aut temporis, aut viciſſitudinis circumſcripta limitibus. Quamvis autem in Deo, ut dictum eſt, una ſit & ſimpliciſſima ſcientia, qua omnia poſſibilia, præterita, præſentia, futura ſimul & ſemel ab æterno velut oculo irretorto intuetur, humanæ tamen mentis imbecillitas unius rei ſimpliciſſimæ multis diverſisque vocibus & modis explicandæ, ac per

(g) *Joan. c. 1.*

per ſigna rationis, ut vocant, dividendæ neceſſitatem Theologis impoſuit. Hinc primo quidem eam partiti ſunt in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, qua poſſibilia, & in *ſcientiam viſionis*, qua abſolute futura cognoſcit Deus. Quoniam vero alia ſunt, quæ ſub conditione ab libere futura dicuntur, nec iſtorum certa ſcientia Deo negari poſſit, poſt Ludovicum Molinam etiam tertia ſcientiæ divinæ ſpecies acceſſit, ſcilicet *ſcientia media*, ideo ſic dicta, quoniam hinc aliquid de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, illinc aliquid etiam de ſcientia viſionis participat. Hæc ſcientia media magno cum ſtrepitu impugnata, & errorum Pelagii ac Maſſilienſium accuſata, nunquam tamen, etiam poſt accuratiſſimum examen Romæ coram Pontificibus inſtitutum, expugnata fuit, ſed potius confirmata. Præcipua lis, eaque Thomiſticam inter & Societatis ſcholam in eo verſatur, in quo medio res contingentes ſub conditione futuras, præcipue liberas, Deus cognoſcat. Prior aſſignat familiare ſibi ac famoſum *prædeterminans decretum*: Poſterior hoc fieri poſſe negat ſine libertatis diſpendio, quum illa, quæ Deus decernit ab æterno, quin prævideat, quid creatura libera ſit actura, & in quam

partem ſe determinatura ſit, neceſſitate quadam fiant, (& quidem tali, quæ nec impediri nec evitari poteſt) humanæ libertati oppido fatali. Hinc docet, res tum poſſibiles, tum abſolute futuras, tum etiam contingentes ſub conditione futuras (de liberis ſermo eſt) a Deo videri absque alio medio in ſe ipſis, videlicet per ſcientiam mediam, licet abſolute futura etiam videat in decreto ad ſcientiam hanc ſuo modo conſequente: unde etiam ſcientiam viſionis cauſſam rerum eſſe negat. Nec enim ideo, quia Deus videt, hoc fit, ſed quia hoc fit, ideo Deus videt, quod axioma eſt S. Anſelmi, quo contra Calvini ſophisma defenditur libertas.

LXXII.

Poſt Dei ſcientiam probe perpenſam, ad voluntatem ejusdem veſtigandam progrediuntur Theologi. Eſſe in Deo voluntatem proprie dictam, qua in res alias tendit eas amore proſequendo, in alias vero averſando illas (amotis tamen procul iis, quæ noſtram voluntatem ejusque actiones ut plurimum comitantur & inficiunt, adfectionibus v. g. odii, iræ, cupiditatis &c.) quaque circa diverſas res liberrime ordinat, diſponit, atque decernit:

nit: hanc inquam in Deo eſſe voluntatem e SS. Literis clare oſtendunt contra Abaillardum, Wicleffum, aliosque. An vero ad decernendas actiones hominum liberas dirigatur voluntas divina a ſcientia viſionis, an vero a ſcientia ſimplicis intelligentiæ ac media, rurſum lis eſt inter ſcholam Thomiſticam, & Societatis: negat enim poſterior ſchola hæc, prius fieri poſſe absque libertatis everſione, quoniam & ſcientia viſionis eſt in Deo neceſſaria ſecundum ſyſtema Thomiſticum (utpote cauſſa omnium rerum,) & ſi hæc nulla præcedente ſcientia media impediri aut evitari queat, neceſſario poſt ſe trahit actionem humanam. Porro de actibus divinæ voluntatis contingentibus (eadem ratio eſt de actibus intellectus) an nihil præter Dei voluntatem dicant, & ſolum per diverſum ſecundum rationem noſtram tendendi modum, an per aliquid quod foris adveniat, & compleat illos, explicari debeant, ſubtiliſſima eſt controverſia. Non minor eſt circa Decreta divina, quorum varia conſiderant Theologi: *abſolutum, conditionatum, prædefinitivum, collativum libertatis, permiſſivum, applicativum omnipotentiæ ad ſimultaneum concurſum, determinativum ad individuum.* Verior eſſe videtur illo-

rum opinio, qui nullam in his veram ſignorum aut decretorum ſucceſſionem admittunt, ſed Deum omnia ſimul & ſemel unico decreto, etiam virtualiter indiviſibili decernere docent. Illud apud omnes in comperto eſt, in Deo reperiri ſeriam voluntatem antecedentem omnes homines, etiam poſt lapſum Adami, ſalvos faciendi, nec absque gravi in fide errore cum Luthero, Calvino aut Janſenio negari poteſt, Chriſtum pro omnibus hominibus, etiam infidelibus ac reprobatis fuiſſe mortuum, quam benevolam Dei voluntatem etiam ad parvulos ſine baptismo decedentes communior Doctorum pars extendit, quum ſecundum D. Auguſtinum etiam ad parvulos utpote homines, licet paucorum dierum, pertineat illud Apoſtoli: *Deus omnes homines vult ſalvos fieri*, & *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*. Interim negari haud poteſt, multos eorum priusquam ad baptismi gratiam perveniant, absque culpa ſaltem ſua excidere cœleſti beatitudine, Deo curſum relinquente cauſſis, quas vocant, ſecundis inſcrutabili judicio ſuo. Gravioris momenti quæſtiones ſe ſe produnt de *Prædeſtinatione* ac *Reprobatione*, cauta manu tractandæ. *Prædeſtinatio* ſecundum mentem Bellarmini eſt providen-

dentia Dei, qua homines ex maſſa perditionis *miſericorditer* electi per media infallibilia ad vitam diriguntur æternam: *Reprobatio* autem ſecundum Magiſtrum ſententiarum præſcientia eſt iniquitatis quorundam hominum, eorundemque damnationis præparatio. Illam reſpectu ſalvandorum, hanc reſpectu damnandorum in *Deo* dari ex Scriptura, Patribus & ratione ſatis colligitur. Peſſime utramque deſcripſerunt *Prædeſtinatiani*, qui propterea hæretici audiunt, nempe Deum aliquos ita ordinare ad vitam æternam, ut ad bene operandum, alios ita excludere, ut ad malum faciendum neceſſitatem inferat. Quæ ipſa eſt Calvini & Novatorum peſtilens doctrina. Hic enim in tertio Inſtitutionum libro docet, ante omnem meriti & demeriti prævifionem, alios in ſpem vitæ adoptari, alios adjudicari æternæ morti, & cauſſam damnationis reproborum non ipſorum culpam ſive originalem ſive propriam eſſe, ſed ſolam Dei voluntatem abſolutam, qua creare illos ſtatuit in eum finem, ut damnentur, quod decretum *horribile* eſt, ut adpellat ipſe Calvinus. Gravis tamen contentio rurſus inter Theologos, an prædeſtinatio & reprobatio formalis pro priori ſigno naturæ, ut loquuntur, viſionem

meritorum vel demeritorum abſolute f
turorum requirant: Prædeſtinationem fo
malem fieri ante merita abſolute præ
ſa prioritate quadam rationis multi gı
vesque auctores defendunt: reprobati
nem vero poſitivam formalem poſt d
merita abſolute præviſa. Ad adultos qu
adtinet, prædeſtinationem eorum ſecu
dum conſuetum divinæ providentiæ c
dinem a Deo certis alligari mediis docen
nec ullum absque eo, quod Deus ſingul
quodam beneficio id revelet, certum eſ
poſſe de prædeſtinatione ſua cum Con
lio Tridentino firmiſſime tenent. Ut a
tem ſingularis dei favor erga electos ri
explicetur, decreta quæ non a ſcientia m
dia pendent, non ſatis apta judicant b
ne multi.

§. II.

Tractatus de SS. Trinitate.

LXXIII.

His probe in utramque partem diſcu
ſis trepido quaſi pede procedunt The
logi ad Trinitatis myſterium explana
dum, probe conſcii, quanta hoc in ſ
crario arcana, quanta myſteria humanum
immo Angelicum intellectum excedent
rep

reperire ſit; idcirco timentes, ne dum *ſcrutantur majeſtatem*, *opprimantur ab ea* (h). Hoc in negotio Theologis certum eſt, myſterium *Trinitatis* ſola naturali ratione duce ac magiſtra demonſtrari haud poſſe, contra quam Raymundus Lullus ſenſit, qui circa annum 1290. in inſula Majorca ſcholam erexit, docuitque omnes fidei Catholicæ articulos per rationes neceſſarias & evidentes probari. Nihilominus myſterium hoc non eſt contra, ſed ſupra rationem naturalem, ita ut intellectus humanus ſuis duntaxat alis & viribus ad ejus cognitionem evehi nequeat, dicente Chriſto (i): *Nemo novit filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Certe illius notitiam viciniorem non ſolum gentiles Philoſophi non ſunt adſecuti, ſed nec Judæorum Jurisperiti: ſolis Patriarchis, Prophetis, & Viris quibusdam ſanctitate conſpicuis in veteri Teſtamento apertam hujus myſterii revelationem conceſſam fuiſſe legimus: in Novo autem clare revelatum fuit a Chriſto omnis veritatis Magiſtro, dum Apoſtolos conferre juſſit baptismum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (k): Quam-

(h) *Proverb.* 25. (i) *Matth.* 11. (k) *Matth. ult.*

Quamvis autem myſterium hoc ſit articulus, & fundamentum Chriſtianæ fidei, cujus aperta cognitio atque profeſſio poſt Evangelium promulgatum ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, non tamen defuerunt magno numero hæretici, qui eam impugnarunt. Quidam tres diſtinctas realiter Perſonas negarunt, uti Simon Magus, Valentinus, Montaniſtæ, Praxeas, Sabellius: alii plures admittendo perſonas plures quoque Deos admiſiſſe viſi ſunt, ut Apelles, Apollinaris, Cononitæ; aliqui Verbo divino ac Chriſto divinitatem eripere conati ſunt, ut Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Theodotus, Paullus Samoſatenus, Arius, Photinus, Michael Servetus, Valentinus Gentilis, Sociniani: quidam denique eadem divinitate Spiritum Sanctum exuere tentarunt, ut Sadducæi, Valentinus, Macedonius, Sociniani.

LXXIV.

Porro quinque maximi momenti, & profundiſſimæ indaginis dogmata in hoc ſacratiſſimo myſterio, quantum humani intellectus imbecillitas permittit, explananda ſibi ſumunt Theologi, qualia nimirum e S. Scriptura, e Patribus, atque Conciliis, communique Eccleſiæ conſenſu

ſa eruta fuerunt longo ſtudio, & multiplici cum hæreticis certamine. Quippe ſtatuunt intra Trinitatis ambitum quinque contineri: *Primo* unam naturam indiviſam, communem tribus perſonis. Nam ſecundum D. Athanaſii Symbolum ab univerſa Eccleſia receptum *& unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda eſt.* *Secundo* duas Proceſſiones: intelligunt autem Theologi per vocem hanc *Proceſſio* univerſim productionem, emanationem, ſeu originem unius ab alio. hac ratione Divinus Filius & Spiritus Sanctus procedunt a Patre, dicente apud Evangeliſtam (l) ipſo Dei Filio: *Ego ex Deo proceſſi, & veni.* & de Spiritu S. *Spiritus, qui a Patre procedit* (m). Pater autem a nullo procedit; quare nuncupatur in Scripturis Deus a ſe, & a Scriptoribus Eccleſiaſticis principium ſine principio, origo, fons totius divinitatis, quia nimirum ab ipſo Filius & Spiritus S. procedunt tanquam a principio & origine: ipſe vero nullum agnoſcit principium, nullam originem. Porro divini Filii proceſſio per intellectum fit, unde Verbum & Sapientia: proceſſio Spiritus S. per voluntatem, unde Charitas & Amor dici-

(l) *Joan.* 8. (m) *Joan.* 5.

dicitur. Diſcrimen vero inter geminam hanc proceſſionem eſt, quod filii proceſſio vocetur generatio, non item Spiritus Sancti proceſſio: dein quod filius a ſolo patre, Spiritus S. autem a Patre filioque procedat, quam ob cauſſam Eccleſia in ſymbolo Conſtantinopolitano hac voces *Filioque* provide adjecit ob graſſantem in Oriente contra proceſſionem Spiritus Sancti a filio errorem. *Tertio*, tres Perſonas in una eademque divina ſubſtantia realiter diſtinctas. Quod plures ſint, patet ex S. Scriptura, ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* (n). Item: *Venite deſcendamus & confundamus linguam eorum* (o). His e Scriptura locis Tertullianus Praxeam confutans (p) *Interrogo* inquit, *quomodo unicus & ſingularis pluraliter loquitur? . . . fallit aut ludit, ut cum unus & ſolus & ſingularis eſſet, numeroſe loqueretur.* Quot autem ſint perſonæ, declarat Evangeliſta (q): *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S., & hi tres unum ſunt.* Quod vero tres perſonæ iſtæ re ipſa inter ſe diſtinctæ ſint, e geminis Scripturæ locis non quidem nude ſumtis,

(n) *Geneſ.* 1. (o) *Geneſ.* 11. (p) *Cap.* 12. (q) *Joan. c.* 5.

tis, ſed ut explicatis ab Eccleſia, & ita ſemper intellectis probatur. Nam (r) Chriſtus ut Deus æterna generatione a Patre exivit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Spiritus S. autem non tantum a Patre filioque diſtinctus, ſed etiam alius & ab utroque miſſus dicitur: *Ego rogabo Patrem meum,* ait Chriſtus ipſe (s), *& alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Quarto,* quatuor *Relationes*, ſeu *Ordinationes* unius ad alterum. Tales ſunt 1. *Paternitas* in Patre reſpectu filii: 2. *Spiratio activa* in Patre & Filio reſpectu Spiritus Sancti. 3. *Filiatio* in Filio, & 4. *Spiratio paſſiva* in Spiritu Sancto reſpectu Patris & filii. Per primam & tertiam ordinantur & referuntur ad ſe invicem Pater & Filius, per ſecundam & quartam Spiritus S. ad Patrem & Filium. *Quinto*, quinque Notiones ſeu notas, quibus una perſona diſcernitur ab altera, nempe 1. *innaſcibilitas* ſeu *improducibilitas.* 2. *Paternitas*, quæ duæ notiones conveniunt ſoli Patri. 3. Filiatio, quæ competit ſoli Filio. 4. *Spiratio activa*, quæ convenit Patri ac Filio tanquam uni *Spiratori*, ſeu

(r) *Pſalm.* 2. (s) *Joan.* 14. & 15.

ſeu principio. 5. *Spiratio paſſiva*, quæ ſoli tertiæ Perſonæ, Spiritui Sancto tribuitur. Hæc omnia magna ſubtilitate, multisque quæſtionibus diligentiſſime examinant, atque ad mentem S. Scripturæ, Patrum antiquorum & Conciliorum dogmata huc pertinentia tradunt Theologi, tum ut veterum hæreticorum errores confutent, tum ut novas hæreſes identidem pullulantes in radice ſuffocent, tum ut eadem doctrina, eadem loquela, eademque placita, quæ in naſcente Eccleſia recepta ac confirmata fuerunt, in ea usque ad finem ſeculorum illibata perſeverent, quæ doctrinæ integritas & perſeverantia una eſt e notis & characteribus veræ Eccleſiæ.

§. III.

Tractatus de Angelis.

LXXV.

Poſt Deum de Angelis tanquam Dei miniſtris tractant Theologi. Probabilius eſt, hos primo ſtatim die una cum cœlo Empyreo (Regia ſupremi Numinis, cœleſtium ſpirituum patria, & Electorum ſede hæreditaria) conditos fuiſſe, ſuffragante SS. Patrum, Conciliorum, & Fidelium ſen-

ſenſu; non enim decuiſſe videtur majeſtatem divinam, ut prius viliſſimis hominibus tam auguſtam domum, qualis eſt mundus, ſtrueret ſe ſuiſque miniſtris Angelis velut ſine tecto relictis. Inter Angelos autem (quorum innumerabilis multitudo) primam diviſionem ſtatuunt inter bonos & malos, ſcilicet eos, qui Deo fideles perſtiterunt, æternaque cum ipſo beatitudine fruuntur, & illos, qui rebelles facti ad tartara præcipites abiere. Tum vero ipſos bonos & cœleſtes Genios in certos ordines diſtribuunt, nimirum in tres Hierarchias & novem Choros; in prima ſeu ſuprema hierarchia Seraphim, Cherubim, & Thronos collocant. In ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In tertia Principatus, Archangelos & Angelos. Hos ordines Angelorum cum cæteris Patribus agnoſcit Antiquiſſimus illorum S. Dionyſius Areopagita (t) aſſerens, ſe illos accepiſſe a Præceptore ſuo D. Paullo, vel certe Hierotheo. Huic diviſioni fundamentum præbuit tum excellentior ipſorum inter ſe Angelorum natura, tum diverſa gratiæ miniſteria a Deo ipſis adtributa. Exiſtere autem Angelos fide certum eſt contra Sadducæos. Nam ſi ſacram Scripturam conſulamus, inveniemus

Ange-

(t) *Lib. de cæl. hierarch.*

Angelos Sodomam evertiſſe, Lothum ab incendio liberaſſe, Angelum allocutum eſſe Agarem: Hominem *paullo minus ab Angelis minoratum eſſe*, Tobiæ itineris ducem ſe præbuiſſe Angelum, dixiſſe Chriſtum: *Angelos videre faciem Patris ſui.* Non minus certum eſt ex eadem Scriptura, exſtitiſſe ejusmodi homines, quibus adſiſtebant mali Angeli, ut Energumenos, Præſtigiatores. Univerſim dicuntur Angeli eſſe *ſubſtantiæ intellectuales incorporeæ, ac natura ſua immortales.* Nec de his dubitare fas eſt homini Catholico poſt Lateranenſe Concilium, ſub Innocentio III. celebratum, atque definiens: (u) *Deus ſua omnipotenti virtute, ſimul initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corpoream, Angelicam ſcilicet & mundanam, quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtitutam.*

Jam vero inquirunt Theologi in naturam Angelorum, oſtenduntque eos non eſſe præditos corpore, ſed puros ſpiritus, contra quam opinati ſunt Platonici, & quidam ex antiquis Patribus, ætherea aut ex elementis compoſita iis corpora tribuentibus. Inquirunt etiam ſedulo in cognitionem Angelorum, quæ

latis-

(u) *Cap. firmiter.*

latiſſime patet, non tamen ad ſecreta cordium ſe ſe extendit, quum ex una parte Scriptura horum notitiam ſoli Deo propriam tribuat, & Chriſto tanquam indicium & argumentum ſuæ divinitatis: ex altera quivis alius Angelus & homo ſuorum actuum dominium habeat, ac jus ſecreti, ne videlicet arcana cordis ſui, actusque liberi queant ab alio inſpici, quæ res alias magna foret ſervitus, & perniciosa humano generi. Nimirum cuivis dicere licet: *Secretum meum mihi*; ſi non Deus pro arbitrio ſuo ac ſupremo dominio ejusmodi arcana cuidam Angelo aut homini revelare velit. Porro modum loquendi inveſtigant, quum licet lingua & auribus careant, ſacra tamen Scriptura diverſis locis Angelos cum Deo, inter ſe, ac cum hominibus loquentes introducat. Cum Deo loqui dicuntur eo fere modo, quo nos, nempe ordinando conceptus & deſideria ſua ad Deum; cum hominibus vel formando voces in aere, vel commovendo phantasmata, e quibus oriuntur certæ cognitiones: inter ſe vero (de qua re quomodo fiat, præcipua quæſtio eſt) Angelos loqui docent communiter Theologi per actum voluntatis, quo Angelus loquens vult ſuos actus notos eſſe alteri Angelo, qui audiens

diens dicitur: poſito autem hoc conſenſu Deus ut auctor naturæ vel ipſe Angelus loquens (ſi ſecundum locum ſit præſens) in Angelo audiente producit vel excitat ſpecies, quæ repræſentant voluntatem ſeu actum directivum Angeli loquentis, vel immediate ipſum actum, quem loquens Angelus vult manifeſtare. Credunt enim hunc & loquendi & audiendi modum eſſe idioma dignum natura Angelica pure ſpirituali, eſſe univerſale, ſervire ad locutionem liberam & ſecretam, eſſe aptum, ut cum uno vel pluribus, quantumvis diſtent, colloquium inſtituatur.

LXXVI.

Gravior eſt quæſtio de lapſu Angelorum. D. Auguſtinus (x) *Deum* inquit *ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium.* Unde concludunt Theologi 1. Angelos non fuiſſe creatos in beatitudine ſupernaturali, ſed naturali tantum. 2. omnes Angelos tam bonos quam malos fuiſſe creatos in gratia habituali ſanctificante. 3. Angelos bonos vere fuiſſe promeritos ſuam beatitudinem: malos

(x) *Lib. de corrept. & grat.*

los vero ea excidiſſe ſua culpa. Viam autem Angelorum (ita vocant Theologi tempus ad merendum vel demerendum Angelis conceſſum) non admodum diuturnum fuiſſe ſatis convenit inter Doctores: quamdiu autem durarit hæc via, oppido diſcrepant. Verior & expeditior ſententia eſſe videtur, quæ totum negotium ſic ait fuiſſe tranſactum, ut in primo *inſtanti* (per inſtans autem Angelicum non tam tempus, quam operatio Angeli intelligitur) ut in primo inquam inſtanti omnes Angeli creati in gratia meruerint beatitudinem ſupernaturalem; Angeli vero boni aliquamdiu perſeverantes in eodem merito denique in ſecundo inſtanti adſecuti ſint beatitudinem; mali vero dum priores illi meritum continuarent, mox in ſecundo inſtanti peccaverint, & demum in tertio damnati fuerint, ac in termino infelici viæ ſuæ conſtiterint. Jam vero peccatum Luciferi, rebellium Angelorum velut Ducis ſupremi, in ſuperbia conſtituunt plerique Theologorum, cujus ſuperbiæ objectum erat adfectatio ſimilitudinis cum Deo, ut inſinuat Iſaias Propheta (y), *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua . . . qui dicebas in corde tuo: in cælum conſcendam, ſimiles ero*

Al-

(y) *Cap.* 14.

Altiſſimo, dum ſcilicet ab aliena gratia pendere noluit, ſed ſe ſolo beatus eſſe voluit, ſtatuendo ex amore inordinato excellentiæ ſuæ pro fine ultimo beatitudinem naturalem propriis viribus obtinendam, & avertendo ſe a beatitudine ſupernaturali, cujus conſecutionem ut quæreret, præceptum illi erat, ſed non niſi ex viribus gratiæ per actus magnæ demiſſionis & ſubjectionis, inter quos admodum probabile eſt, fuiſſe ſubmiſſionem Chriſto in carne venturo exhibendam. Pœna vero, quæ tantum ſcelus e veſtigio ſequebatur, erat ignis inferni, dicente Scriptura (z). *Diſcedite a me maledicti in ignem . . . qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Sed qua ratione Angeli mali, utpote Spiritus, ab igne hoc, quem corporeum eſſe SS. Patres tradunt, & ratio ſuadet, qua inquam ratione torqueri poſſint, res eſt, quæ ipſa Theologorum ingenia torquet, his ad apprehenſionem quandam dæmonibus immiſſam, qua crederent ſe ab igne torqueri, aliis ad ſpeciem impreſſam, qua de igne tanquam inſtrumento iræ divinæ ſemper cogitare cogerentur, confugientibus, rurſum aliis per alligationem ad ignem pœnam hanc explicantibus:

præ-

(z) *Matth.* 20.

præſtantiſſimi Doctores cenſent, Angelos malos torqueri ab igne inferni, ita ut hic per potentiam, quam obedientialem vocant, elevatus producat qualitatem ſpiritualem, quæ cum proportione afficiat & cruciet dæmones, uti qualitas urens res corporeas, afficit & cruciat animam corpori unitam.

§. IV.

Tractatus de Incarnatione.

LXXVII.

Poſt divinæ majeſtatis in Deo uno, & tribus Perſonis, atque Angelis tanquam miniſtris ejus relucentis contemplationem merito ſequitur *Incarnatio* divini Verbi, illud divinæ ſapientiæ ac bonitatis myſterium altiſſimum, dei erga homines amoris pignus certiſſimum, ſalutis humani generis ac totius ſpei noſtræ fons ac fundamentum. Variis ad ſignificandum hoc myſterium vocabulis uſi ſunt SS. Patres. Hilarius *corporationem*, Auguſtinus *Mixturam admirabilem*, Nazianzenus cum græcis Patribus *Oeconomiam Verbi*, Damaſcenus *inhumanationem* adpellant. Patres Latini communis-

ſime *Incarnationem* vocant, voce derivata e Verbis Evangeliſtæ (a) *Verbum caro factum eſt.* Eſt autem *Incarnatio* ad mentem Eccleſiæ ac SS. Patrum *Unio hypoſtatica Verbi divini cum natura humana*, vel ut alii loquuntur: *Aſſumptio naturæ humanæ facta a Verbo in unitate perſonæ.* Illius poſſibilitas quemadmodum cognoſci poteſt lumine fidei, neutiquam naturali, ita impoſſibilitas oſtendi nequit. Nam ſi poteſt natura divina eſſe una in tribus perſonis in myſterio Trinitatis; quare non poterit una perſona eſſe in duabus naturis in myſterio Incarnationis? Hanc autem Incarnationem factam eſſe contra Judæos oſtenditur tum ex oraculo Jacobi Patriarchæ (b): *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium.* tum ex vaticinio Danieli facto (c): *Septuaginta hebdomades* (videlicet anni) *abbreviatæ ſunt &c. ut deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna . . . & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* Quæ omnia fuiſſe ad amuſſim impleta multis ac manifeſtis argumentis oſtendunt Theologi. *Incarnationis* ita deſcriptæ terminus

(a) *Joan.* 1. (b) *Genes.* 49. (c) *Dan. c.* 9.

nus eſt Chriſtus ſeu *ſuppoſitum theandricum*, quo nomine in Eccleſia Catholica intelligitur hypoſtaſis ſeu perſona verbi divini, in duabus naturis divina & humana ita ſubſiſtens, ut unica perſona divina quum ſit, verus tamen Deus & homo exiſtat, non confuſione aliqua utriusque naturæ, neque converſione divinitatis in carnem, vel contra; ſed aſſumptione humanitatis *in* Deum, ut loquitur Symbolum S. Athanaſii. Eſt igitur Chriſtus non metaphorice ſolum & improprie, ut Sociniani blaſphemant, ſed vere Deus, ac proprie talis, ejusdem cum Patre divino ſubſtantiæ, uti Concilium Nicænum adverſus Arium definivit. Idem Chriſtus eſt verus homo, vero corpore ejusdem cum noſtro rationis ac materiæ, non phantaſtico aut cœleſti, quale affinxerunt illi Simon magus, Appollinaris, aliique hæretici, veraque anima, quam impie negarunt Ariani, præditus: Neque humanitas ipſius, priusquam a Verbo aſſumeretur, jam exſtitit, quemadmodum Neſtorius & Eutyches ſomniabant, ille a Synodo Epheſina, hic a Chalcedonenſi damnatus. Porro conſiderant in hoc Incarnationis myſterio Theologi admirabilem illam unionem, quam *hypoſtaticam* vocant, & communius docent, eam eſſe modum ſubſtantialem realiter

liter diſtinctum ab utroque extremo, ſcilicet a Verbo Divino, & natura humana, ita ut illud *unionem* ſolum terminet, non vero in ſe recipiat, nec ab ea perficiatur aut immutetur: natura vero humana ſecundum partes tam eſſentiales quam integrantes adſumpta fuerit, uti explicat D. Damaſcenus (d) *Totus me totum aſſumpſit, & totus toti unitus eſt.* Atque hæc *unio*, quæ intercedit inter Verbum & humanitatem, non eſt extrinſeca tantum, adfectiva, & moralis, qualem docuit Neſtorius, ſed vere intrinſeca & phyſica; & quidem hypoſtatica, ſive in unitate perſonæ facta, ex quo deducitur contra hunc ipſum Neſtorium, B. Virginem vere dici & eſſe Deiparam: neque facta eſt in unitate naturæ, prout Eutyches contendit. Quare Catholici omnes profitentur, duas eſſe in Chriſto naturas, quin etiam duos intellectus, duas voluntates, duas operationes, quemadmodum Concilium Generale VI. contra Monothelitas definivit: ex qua naturæ utriusque in eadem hypoſtaſi conjunctione oritur aliqua in Chriſto idiomatum communicatio, id eſt, proprietatum ſeu attributorum divinorum & humanorum mutua prædicatio, ita ut vere dici poſſit:

Deus

(d) *Lib.* 3. *c.* 2.

Deus eſt homo, homo eſt Deus: Deus eſt mortalis, homo eſt immortalis: Deus eſt paſſus, mortuus &c. (intellige in *recto* loquendo de hoc Deo, de hoc homine, ſcilicet Chriſto, quamvis dici nequeat in *abſtracto: humanitas eſt divinitas, divinitas eſt paſſa, mortua &c.*)

LXXVIII.

Ab explicata Incarnationis poſſibilitate, exiſtentia, & modo transferunt ſe Theologi ad illius neceſſitatem, cauſſamque finalem, & meritoriam explanandam. Equidem nullam in Deo neceſſitatem, nec antecedentem ponendæ *Incarnationis* agnoſcunt, neque ex ſuppoſitione mundi creati, uti volebat Lullus, aut elevationis ad ſtatum ſupernaturalem, vel etiam redemptionis humanæ. *Stulti ſunt*, inquit Auguſtinus, *qui dicunt, non poterat aliter Sapientia Dei liberare hominem, niſi ſuſciperet hominem.* Neceſſitatem tamen fuiſſe fatentur, poſito quod Deus voluerit non aliter hominem redimere niſi ſecundum omnem juſtitiæ rigorem, ac condignam ſatisfactionem exigere. Nulla enim pura creatura ſatisfacere poteſt pro ullo peccato mortali, (an neque pro veniali, in utramque partem diſceptatur) nec illius remiſſionem mereri,

quidquid contendant aliqui ſubtiliter magis quam ſolide. Hinc S. Leo (e) *neceſſe fuit* inquit, *venire e cælo Medicum ſingularem, quia nulla ſanctorum merita poterant conditionem illatæ mortis evincere* Hujus autem rei cauſſam petunt Theologi quidam ex gravitate peccati, quod contendunt eſſe malitiæ ſimpliciter infinitæ, melius alii partim ex ratione offenſæ gravis, a viliſſima creatura adverſus Deum infinitum commiſſæ, partim ex ſatisfactionum noſtrarum ac meritorum tenuitate. At quod purus homo nequiit, potuit Deus homo, nimirum condignam pro peccatis humani generis ſatisfactionem præſtare, immo ſuperabundantem per merita ſua, quæ valorem habuerunt non ſolum extrinſecum (uti valor monetæ a voluntate principis pendet) ſed intrinſecum, eumque infinitum, a dignitate & ſanctitate perſonæ operantis derivatum. ex quo tamen neutiquam ſequitur, ſatisfactiones noſtras eſſe ſuperfluas, ut criminantur hæretici, quia ſatisfactio Chriſti, licet condigna & ſuperabundans, ex Dei ordinatione nobis non applicatur, niſi mediante noſtra cooperatione ſecundum illlud Apoſtoli: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea* (f).

Cir-

(e) *Serm.* 12. *de paſſion.* (f) *ad Coloſſ.* 1.

Circa cauſſam finalem Incarnationis conveniunt quidem Theologi in eo, quod illius finis & motivum fuerit humani generis reparatio: an autem hoc unicum & adæquatum fuerit, ac ita principale, ut Adamo non peccante Chriſtus non veniſſet, diſcrepant inter ſe ſcholæ, Scotiſtis aliisque contendentibus, ſubſtantiam incarnationis decretam a Deo necdum præviſo peccato, Chriſtumque intentum fuiſſe tanquam initium viarum ſuarum, primogenitum omnis creaturæ, & Caput Eccleſiæ: poſt peccatum vero decretam fuiſſe ſolum circumſtantiam paſſibilitatis, ſeu Chriſtum in carne paſſibili venturum; contra Thomiſtis cum longe majori Theologorum parte docentibus, incarnationem fuiſſe decretam poſt præviſum peccatum, ita ut ab hoc unico motivo penderet. Et reipſa huic ſententiæ (quæ non vana & inutilis eſt, ut ignorantes blaſphemant, ſed divinam erga homines miſericordiam vel maxime commendat) ſatis aperte ſuffragantur S. Scriptura & Patres. *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat* (g). S. Auguſtinus *nulla* inquit *cauſſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi pecca-*

cato-

(g) *Luc.* 19. & *Matth.* 18.

catores ſalvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſſa (h). S. Irenæus: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum caro factum eſſet* (i). Melius conveniunt Theologi circa cauſſam meritoriam Incarnationis, ubi docent, unionem hypoſtaticam cadere non poſſe ſub meritum condignum ullius creaturæ puræ, eſſeque datam Chriſto independenter ab omnibus meritis ordine naturæ præcedentibus. Unde rurſum Auguſtinus (k). *Quod ejus bonum qualecunque præceſſit? quid egit antea? quid petivit, ut ad hanc excellentiam perveniret?* Nihilominus communior Theologorum docet, Incarnationem cadere potuiſſe ſub meritum de congruo quoad circumſtantias, immo ſic meritos fuiſſe Progenitores Chriſti, maxime B. Virginem, ut Chriſtus tali tempore, ac loco, & ex ſua ipſorum gente naſceretur.

LXXIX.

Progrediuntur ulterius ad prærogativas ac dotes humanitatis Chriſti explicandas. Prima eſt *Sanctitas*, ad quam quod adtinet, oſtendunt naturam humanam Chriſti formaliter fuiſſe ſanctam per ſanctitatem

(h) *Serm.* 9. (i) *L.* 5. *contra hæreſes c.* 14.
(k) *L. de prædeſt. SS. c.* 15.

tem increatam Verbi, quamvis etiam ſanctificata fuerit ſanctitate creata ſeu gràtia habituali. de priore loquuntur SS. Patres., dum Chriſti humanitatem prædicant *divinitate delibutam unctamque*, non actu tantum & operatione, ſed ut D. Nazianzenus inquit (1) *totius unctionis præſentia*: de altera D. Thomas dum ait: *Fuit etiam in Chriſto gratia habitualis unionem conſequens, ſicut ſplendor ſolem.* Ex hac autem ſanctitate creata perperam infertur, quod Chriſtus qua homo ſit filius adoptivus Dei, non naturalis, quum ſecundum jura *adoptivus dici non poteſt, niſi is, qui qui alienus eſt ab illo, a quo dicitur adoptatus.* Hinc merito Concilium Francofordenſe Felicem Urgelitanum & Elipandum Toletanum Epiſcopum loquentes de Chriſto tanquam de filio dei adoptivo damnavit. Altera prærogativa eſt *Scientia* rerum omnium ſupernaturalium æque ac naturalium, quam triplicem major Theologorum pars humanitati Chriſti tribuit: beatam, per ſe infuſam, item acquiſitam & experimentalem. Habuit itaque Chriſtus ſcientiam beatam ſeu viſionem beatificam, & quidem in primo conceptionis ſuæ inſtanti, quum

(1) *Orat. 4. de Theol.*

quum ad eam jus acquiſiverit per unionem hypoſtaticam cum Verbo divino, per quam etiam ut homo fuit filius naturalis Dei, & hæres per Deum, ut loquitur Apoſtolus. Habuit quoque ſcientiam infuſam per ſe, qua res creatas non ſolum in verbo, ſed etiam in ſe ipſis cognovit, quum hæc ſcientia etiam Angelis concedatur, multo magis igitur illi, *quem adorant Angeli*, & *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ* (m). Habuit etiam ſcientiam acquiſitam & experimentalem, quæ frequenti actuum exercitio comparatur, quia natura humana, quam Chriſtus adſumpſit, cum noſtra communis erat: atque ita intelligunt & explicant Patres illud D. Lucæ (n) *Jeſus proficiebat ſapientia . . . apud Deum & homines*. Rurſus illud Apoſtoli (o) *Didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam &c.* Tertia dos & prærogativa humanitatis Chriſti fuit *impotentia peccandi*, ſeu *impeccabilitas*. Nam *per unionem ad verbum*, ait D. Ambroſius (p) *ita deificatam eſſe voluntatem humanitatis, ut divinæ non poſſet repugnare*. Et S. Auguſtinus (q), *Chriſtum non potuiſſe peccare, dum Chriſtus eſt*, atque ita repugnare Chri-

(m) *Ad Coloſſ.* 2. (n) *cap.* 2. (o) *ad Hebr.* 5.
(p) *de Incarn. c.* 7. (q) *In Enchir. c.* 36.

Chriſto peccatum, ſicut repugnat Chriſto non eſſe Chriſtum. Hinc quemadmodum hæretici illi, qui Chriſtum omnino peccaſſe fingunt, ſummæ ejusdem ſanctitati injuriam faciunt, ita minus eidem conſulere videntur ii Doctores Theologi, qui tuentur, humanitatem Chriſti abſolute peccare potuiſſe in ſenſu compoſito cum unione hypoſtatica, vel ſaltem in ſenſu diviſo. Quarta eſt *libertas.* de hac fidei dogma eſt contra Monothelitas, Abailardum, Wicleffum & alios hæreticos, quod Chriſtus liberum habuerit arbitrium, *ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum:* item *oblatus eſt, quia ipſe voluit* (r). Et quidem liberum non ſolum a coactione, ut Janſenius docuit (s) ſed etiam a neceſſitate. Hanc libertatem explicat Doctor Angelicus, dum ait: *Voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum.* Et alio in loco adhuc clarius: *poterat enim hoc vel illud facere, & non facere; & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meritum* (t). Difficultas tamen non modica eſt circa modum, quo libertas Chriſti circa actus præceptos, maxime circa præceptum moriendi, cum ejus

(r) *Iſai.* 7. & 33. (s) *l.* 6. *de grat. Chriſt. c.* 9.
(t) *hic q.*18. *a.*4. *ad* 3. & *q.*26. *de verit. a.*6. *ad* 1.

niat, ſed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus: etiam pro parvulis, ſeu paucorum dierum hominibus, ut vocat S. Proſper, qui absque baptismo moriuntur, nam uti D. Auguſtinus ſcribit contra Julianum (a): *Unus pro omnibus mortuus: ergo omnes mortui ſunt. Concluſio hæc Apoſtoli invicta eſt, ac per hoc, quia & pro parvulis mortuus eſt, profecto etiam parvuli mortui ſunt.*

§. V.

Tractatus de Beatitudine.

LXXX.

Poſt tractatum de Deo & Verbo Dei incarnato merito agunt Theologi de Beatitudine, quoniam ſolus Deus eſt bonum illud, quod perfecte beatos nos efficit, & bonum iſtud, per Chriſti merita conſequi ſperamus. Graviter hac in re halluccinati ſunt Ethnici Philoſophi, quorum plurimi relicto veræ beatitudinis fonte rivulos ſectati ſunt, & *foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas,* ut Jeremias loquitur. Profecto, ſi Lactantio credimus (b), „Epicurus „ ſummum bonum in voluptate animi eſſe „ cen-

(a) *Lib.* 1. *c.* 65. (b) *Lib.* 3. *divin. Inſtit. c.* 7.

„ cenſet, Ariſtippus in voluptate corpo„ ris. Calliphon & Dynomachus Cyre„ naici honeſtatem cum voluptate jun„ xerunt. Diodorus in privatione dolo„ ris ſummum bonum poſuit. Peripa„ tetici autem in bonis animi, & cor„ poris, & fortunæ. Herilli ſummum „ bonum eſt ſcientia, Zenonis cum na„ tura congruenter vivere. Quorundam „ Stoicorum virtutem ſequi. Ariſtoteles „ in honeſtate ac veritate ſummum bo„ num collocavit.„ Poſt hos errarunt quoque nonnulli hæretici, dum regnum cœlorum, adeoque beatam vitam futuram poſt reſurrectionem in voluptatibus carnis ſitam eſſe contenderunt, ut de Cerintho refert Dionyſius Alexandrinus. Contra hos omnes invicte demonſtratur, quod vera beatitudo in nullo bono creato poſita ſit aut eſſe poſſit, ſed in ſolo Deo. Finiunt autem Theologi cum D. Thoma beatitudinem, quod ſit ſummum bonum hominis, quo obtento appetitus ſatiatur & quieſcit: eamque dividunt in objectivam & formalem, quarum prior eſt bonum illud, quod poſſidentem beatum facit, nec eſt aliud, uti dictum, quam Deus, qui finis ultimus eſt omnis creaturæ intellectualis: poſterior eſt operatio illa intellectus aut voluntatis, vel utriusque,

per quam poſſidetur hoc bonum. Porro alia eſt beatitudo naturalis ſeu felicitas, quæ conſiſtit in poſſeſſione dei per actus naturales: alia ſupernaturalis, ad quam ſumus elevati, & quæ conſiſtit in perfecta dei poſſeſſione per actus ſupernaturales intellectus & voluntatis. Beatitudinis naturalis poſſibilitatem impugnārunt Lutherus, deinde Calvinus, & poſt hos errorem recoxerunt Bajus & Janſenius. Sed poſſibilem eſſe ratio & auctoritas probant, quia certum eſt, Deum non poſſe hominem condere, niſi ut ſit beatus aliqua beatitudine, & aliunde certum eſt, illam ad quam nunc ſumus elevati, eſſe omnino indebitam, uti definitum eſt contra Bajum a Pio V. damnante propoſitionem ejus vigeſimam primam.

De beatitudine autem formali, in quo poſita ſit, acriter diſputant Theologi. Certum eſt, quod non conſiſtat in aliqua unione phyſica ſubſtantiæ divinæ cum ſubſtantia animæ, ut docuit Henricus a Gandavo (c) neque in vera & reali transformatione animæ in Deum, & ſuum principium, quemadmodum voluerunt aliqui contemplativi, quos redarguit Leſſius (d). Quando igitur aliqui Patrum dixe-

(c) *Tr. de Beat.* (d) *De ſummo bono c.* 2.

dixerunt Beatos in Deum transformari, intelligendi ſunt de transformatione morali, qua Beati abſorbentur in amore Dei & perfecta conformatione, cum illius voluntate. Num vero conſiſtat beatitudo formalis in ſolo actu intellectus per viſionem, ut vult S. Thomas, aut in ſolo actu voluntatis per amorem, ut contra docet Scotus, controverſia eſt, quam bene admodum definire videntur illi, qui utramque ſententiam conciliant, & cum Doctore Seraphico Bonaventura, pluribusque aliis eam nec in ſolo actu intellectus, nec in ſolo actu voluntatis, ſed in utroque, nempe viſione intuitiva & amore fruitivo Dei conſtituunt, quoniam S. Scriptura & Patres modo viſioni, modo fruitioni, modo utrique rationem beatitudinis tribuunt. Viſioni (e): *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* in quæ verba S. Auguſtinus (f). *Et ipſa viſio eſt facie ad faciem, quæ ſummum præmium promittitur juſtis.* Fruitioni (g): *intra in gaudium Domini tui*, cui conſonat illud ejusdem Auguſtini (h) *ipſa eſt Beata vita gaudere ad te, de te,* &

(e) *Matth.* 5. (f) *L.* 1. *de Trinit. c.* 13. (g) *Matth.* 25. (h) *L.* 10. *Confeſſ. c.* 22.

& propter te. Utrique (i): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* & Irenæus (k): *Participatio Dei eſt videre Deum, & frui benignitate ejus.* Et reipſa per hos geminos actus intellectus & voluntatis, ſcilicet viſionem & amorem habetur *plena & perfecta poſſeſſio ſummi boni*, in qua conſiſtit vera beatitudo & felicitas. ut autem etiam perfecte ſatiet beatum, cognoſci debet ab eo, quod finem nunquam ſit habitura.

LXXXI.

Verum ut intellectus humanus ad viſionem Dei ſummi boni pervenire poſſit, lumine gloriæ illum indigere communiſſime docent Theologi contra Beguardos & Beguinas, quorum error (ſcilicet quod quælibet natura intellectualis in ſe ipſa naturaliter ſit beata, quodque anima non indigeat lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum) damnatus fuit in Concilio Viennenſi. Hinc non admittunt Theologi, poſſibilem eſſe intellectum creatum, cui viſio beata naturaliter debeatur. *Deus enim lucem inhabitat inacceſſibilem* (l). Multo minus favorem hunc oculo corporeo indulgent, quem

(i) *Pſalm.* 16. (k) *L.* 4. *c.* 37. (l) *Ad Timoth.* 16.

quem ne elevari quidem poſſe docent ad videndum Deum, utpote qui neque color eſt, neque lux. Sperabat quidem Job, in carne aliquando videre Deum, ſed incarnatum. Gravioris momenti quæſtiones geminas heic excitant auctores: primam, num ulli hominum in hac etiamnum vita, ſeu in via ut loquuntur, favor ille videndi Deum conceſſus, fuerit? hunc non pauci indulgent Moſi, de quo ipſe Deus (m) teſtatur: *At non talis ſervus meus Moſes. . . Os enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Item Paullo gentium Doctori, qui de ſe ipſo fatetur (n) quod raptus fuerit in tertium cœlum ſeu paradyſum, ſive in corpore ſive extra corpus, & arcana ibi verba audiverit, quæ non licet homini loqui. Paradyſus autem hic non fuit ille hortus voluptatis, ſed cœlum empyreum, Dei & Beatorum ſedes. Multi etiam SS. Patrum & Doctorum pro Moſe ac Paullo decertant. Verum alii ſunt, & forte major Patrum ac Doctorum numerus, qui nemini mortalium in hac vita conceſſam fuiſſe contendunt prærogativam viſionis, ne ad breve quidem tempus, qua Deum ipſum

(m) *Num.* 12. (n) 2. *ad Corinth.* 12.

ipſum intueri licuerit; probantque hanc legem cunctis hominibus præſcriptam e pluribus S. Scripturæ locis: *Non poteris videre faciem meam. non enim videbit me homo & vivet*, dixit Deus Moſi (o). *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*, ſcilicet in hac vita (p). & Irenæus (q) *igitur* ait, *neque Moſes vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel* (adde Paullum) *qui multa de cœleſtibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant ſimilitudines claritatis Domini.* Altera quæſtio eſt, an Juſtorum animæ, corporis ſolutæ vinculis, ſi nihil luendum poſt mortem ipſis ſuperſit, quamprimum & ante ultimum illud ac generale Judicium ad claram Dei viſionem admittantur. Occaſionem controverſiæ primus præbuit Cerinthus ſeculo primo, auctor fabulæ de regno Chriſti poſt univerſalem Anaſtaſin per mille annos continuando inter commeſſationes, & nuptiarum voluptates: Papia vero, qui diſcipulus S. Joannis fuiſſe dicitur, & Chiliaſtarum Anteſignanus, amandatis obſcenis Cerinthi deliciis in hoc mille annorum regno duntaxat locum dabat licitis corporis voluptatibus. Denique fuerunt, qui etiam lici-

(o) *Exod.* 33. (p) *Ad Timoth.* 6. (q) *L.* 4. *contra hæreſ. c.* 29.

licitis corporis voluptatibus excluſis ſolas animi ſpirituales caſtasque delicias admittebant: atque hæc ultima opinio etiam Patrum aliquos, ut Irenæum, Apollinarem, Tertullianum, Lactantium &c. & aliquando etiam Auguſtinum patronos nacta eſt. nam quæſtio hæc eo tempore in utramque partem ventilata quidem, necdum tamen ultimo Eccleſiæ judicio deciſa fuit. Theologi nunc ſequentia hoc in negotio dogmata ordine quodam proferunt. Primo quidem docent, a beatitudine ſempiterna excidere omnes illas animas, quæ in ſtatu peccati gravis nondum expiati ex hac vita migrantes juſto dei judicio ad inferni ſupplicia damnantur, quorum æternitatem definiit contra Origenem Synodus Generalis V. Secundo: Illorum animas, qui in gratia quidem decedunt, nondum tamen pro peccatis in vita commiſſis plene ſatisfecerunt, in purgatorii pœnis detineri, donec reſiduas peccatorum maculas penitus expiarint. Tertio: Illos qui poſt conſummatam a Chriſto redemptionem omni reatu tam culpæ quam pœnæ vacui e vita migrant, non debere exſpectare in loco quodam tertio generalem corporum reſurrectionem, aut poſt extremum judicii diem per mille annos cum Chriſto in terris regnaturos eſſe, ut Mil-

 lena-

di, tum bona quædam exteriora, nimirum poſſeſſionem cœli empyrei, ſocietatem & conſuetudinem amicorum ſimiliter beatorum, tum oblectamenta ſenſuum puriſſima. Quare ſecundum SS. Patres & maxime Auguſtinum (u) corpora juſtorum in reſurrectione erunt integra, & omnis defectus ac deformitatis expertia, ſimulque vigore virilis ætatis prædita, quem circa trigeſimum a nativitate annum unusquisque vel habuit, vel habiturus fuiſſet, ſi eousque vixiſſet, id quod colligunt e verbis Apoſtoli (x) *Donec occurramus omnes . . . in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* De cœli poſſeſſione dicit Chriſtus apud Evangeliſtam: *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Societatem amicorum innuunt ea nomina, quibus Scriptura beatitudinem denotat, vocando *regnum cælorum*, *novam civitatem*, *cæleſtem Hieruſalem*, item *convivium.* Oblectamenta ſenſuum oſtendit ratio: Deus enim poſt hanc vitam non minus eſt benignus in dando præmio, quam ſeverus & juſtus in puniendo peccato: ſicut ergo in vindictam peccati omnes ſenſus damnatorum poſt *reſurrectionem* cruciabuntur, ita par eſt etiam in

(u) *L. 22. de Civit. Dei. c. 15. &c.* (x) *Ad Epheſ. 4.*

in præmium virtutis omnes ſenſus beatorum oblectari. hinc apud Matthæum (y) dicitur: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Quatuor autem dotes beatorum corporum adſignantur, nimirum *impaſſibilitas*, *ſubtilitas*, *agilitas*, & *claritas*, quas pluribus explicant Theologi.

§. VI.

Tractatus de actibus humanis.

LXXXII.

Quum beatitudo ſupernaturalis in hac providentia non gratis a Deo conconcedatur homini, ſed hic ſuam quoque ſymbolam per bona opera conferre debeat, hinc tranſeunt Theologi ad actus humanos rite ordinandos. Tendit enim homo ad felicitatem non paſſibus, ſed actionibus ſuis, id eſt, humanis, quas generatim triplici modo heic conſiderant iidem Theologi, ſcilicet ut voluntarias, ut liberas, ut honeſtas. Quippe ad actiones, ut humanæ ſint, ſeu tales, *quarum homo Dominus eſt* (quemadmodum definit S. Thomas) (z) voluntarias & liberas; ut autem ad finem ultimum conducant, etiam

(y) *Cap.* 5. (z) 1. 2. *q.* 1. *a.* 1.

etiam honeſtas eſſe neceſſum eſt. Quantum jam ad primum adtinet, accurate diſtinguunt inter voluntarium directum & indirectum: inter voluntarium ſimpliciter & ſecundum quid: inter liberum & neceſſarium. Porro diſputant ſubtiliter, an ad voluntarium indirectum requiratur actus voluntatis, docentque communius nullum requiri, atque ita non repugnare puram omiſſionem liberam; graviter vero, an concupiſcentia & metus tollant voluntarium, quod communiſſime negant. Quapropter metus per ſe ac ordinarie non excuſat a peccato, quum ejusmodi actus e metu proveniens ſimpliciter voluntarius ſit, utpote elicitus ad majus malum vitandum, niſi tamen ſit metus admodum vehemens in rebus humana duntaxat lege præceptis; tunc enim non imputatur ad culpam v. g. quando quis metu mortis omittit ſacrum die feſto, quum hoc præceptum non obliget cum tanto periculo. Concupiſcentia vero tantum abeſt, ut minuat voluntarium ut potius illud interdum augeat, quando eſt cauſſa, cur voluntas majori conatu actum eliciat: minuit nihilominus liberum, faciendo, ut minus conſiderentur rationes, ab eo quod concupiſcitur, avertentes. Celebris heic quæſtio oritur, an vota,

pro-

promiſſa, donationes, aliique contractus metu gravi ac injuſto initi ſint jure naturæ irriti ac nulli? pro utraque parte ſtat gravis auctoritas tum Theologorum tum Jurisconſultorum. qui negant, eo nituntur fundamento, quod actus iſti atque contractus non obſtante gravi metu ſimpliciter voluntarii ſint: qui vero affirmant, ejusmodi vota a Deo non acceptari, nec contractibus iſtis jus naturæ æquiſſimum adſiſtere cenſent, utpote cum maxima difficultate vel damno ex parte voventium & contrahentium & cum graviſſima injuria ex parte metum inferentium conjunctis: fatentur tamen prioris ſententiæ patroni, leges & æquitatem poſtulare, ut hujusmodi actus per ſententiam Judicis irriti ac nulli declarentur. Præterea ad voluntarium vel involuntarium pertinet ignorantia, quam in ignorantiam juris & facti, item in ignorantiam juris poſitivi & naturalis, demum in ignorantiam vincibilem & invincibilem dividunt Theologi. Circa hanc ultimam acre potiſſimum cum hæreticis bellum exarſit. Ab ipſo naſcentis Theologiæ exordio conſtantiſſima fuit Doctorum ſententia, invincibilem ſive juris poſitivi ſive naturalis ignorantiam excuſare a peccato, donec Lutherus in aciem proceſſit,

&

re, conſervabunt te. Tum ex Concilliis, præſertim Tridentino (e): *ſi quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit:* tum ex Patribus, & ipſo Auguſtino, cujus auctoritatem non niſi peſſima fide pro ſe allegat Janſenius, maxime (f) ubi docet quidem contra Calvinum in utroque ſtatu naturæ integræ ac lapſæ homini convenire libertatem, ſed in ſolo ſtatu priore libertatem indifferentiæ, in poſteriore vero, quantum ad virtutes & vitia, ſolum libertatem a coactione. Sed hanc Janſenii doctrinam tanquam hæreticam damnarunt Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. Certe D. Auguſtinus, ut alios taceam (g), ait: *Quæcunque iſta eſt cauſſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur . . . quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Pugnat igitur cum libertate neceſſitas omnis, ſive ab extrinſeco veniat, quæ cogat invitos, ſive ab intrinſeco, quæ trahat volentes, ſive ea dura ſit, ut Calvini, ſive blanda & mollis, ut Janſenii & aliorum, quæ relicta judicii *indifferentia blanditur premendo, & premit blandiendo*, uti placet

(e) *Seſſ.* 6. *can.* 5.
(f) *L.* 6. *de grat. Chriſt. Salvat.*
(g) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. c.* 18.

eet Vincentio Leni (h). Quidquid autem voluntatis indifferentiam relinquit integram, nihil nocet libertati. Unde nec omnis coactio libertati nocet: ea nimirum, cui reſiſti poteſt, nec neceſſitas conſequens, quam ipſa facit libertas. Diſtinguunt autem Theologi cum Auguſtino diligentiſſime duas res in libero arbitrio: prima eſt illa facultas, quæ e duobus utrumvis eligere poteſt: altera eſt conditio facultatis illius, antequam homo peccati ac concupiſcentiæ jugo erat ſubjectus, qualis erat in primo parente in ſtatu naturæ integræ. Prima eſt ipſa libertas a neceſſitate, quæ poſt peccatum remanſit: altera eſt ea felicitas, quæ per peccatum amiſſa fuit, ſcilicet libertas a lege peccati & concupiſcentiæ, quæ in nobis dominatur, ut ait Apoſtolus. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* (i). Quare graviter halluccinantur Janſenius & ejus Aſſeclæ circa litem, quæ Auguſtinum inter & Pelagium exarſit. Ea neutiquam fuit, an non in nobis eſſet prima facultas ſeu libertas indifferentiæ; tota diſſenſio erat circa libertatis conditionem, ſeu illius integritatem ac vires,

(h) *In ſua Theriaca l.* 1. *c.* 11. (i) *ad Rom.* 7.

res, quas Pelagius ſanas, & ad ſalutariter operandum ex ſe ſufficientes eſſe contendebat: contra Auguſtinus ita fractas & debilitatas fuiſſe oſtendit, ut ſibi relictæ bonum operari non poſſent, niſi per gratiam Chriſti, quæ ſanat, quod eſt ſaucium, & infirma confortat.

Denique hoc in Tractatu agunt Theologi de actibus humanis ut honeſtis, atque ad omnem actum poſitive honeſtum requiri docent, ut ſit conformis primæ regulæ moralitatis ſeu menſuræ, ſecundum quam metiri & judicare oportet noſtrarum actionum moralium bonitatem vel malitiam. Hæc autem regula duplex eſt: objectiva & remota, nimirum lex æterna Dei, uti communius defendunt contra illos, qui in natura rationali qua tali eam conſtituunt: Formalis & proxima, quæ eſt ipſa ratio humana ſeu conſcientia dictans hanc actionem eſſe licitam vel illicitam. Gravis eſt heic controverſia inter Doctores, an dari poſſit actus indifferens, etiam in individuo ut vocant, ſeu talis, qui nec formaliter honeſtus ſit, nec formaliter inhoneſtus. Pars major & ſanior ſententiam affirmantem tenet, quum neque ex Scriptura, nec ex Patribus, aut ulla alia ſolida ratione evinci poſſit, dari obligationem referendi omnes

nes actiones ad finem poſitive honeſtum. Docent igitur iſti, aliam eſſe legem Dei præcipientem, aliam prohibentem, aliam permittentem, atque ita etiam aliquas actiones præceptas, aliquas prohibitas, aliquas demum permiſſas, quæ ſi exerceantur ſolum, uti permiſſæ ſunt, erunt indifferentes, ſeu nec poſitive honeſtæ, nec poſitive inhoneſtæ, quemadmodum ambulare, odorari florem, aſpicere picturam &c. Et ſane, quum ſimiles actiones in humana vita frequentiſſimæ occurrant, omnes has peccati venialis damnare nimis durum foret. Quapropter illud Paulli (k): *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, conſilium eſſe aſſerunt, non præceptum. Quod vero omnes actus noſtros ex motivo formali charitatis Dei elicere teneamur, ad Baji & Quesnelli doctrinam damnatam pertinet. Ut autem actio humana ſit honeſta vel licita, præcedere debet dictamen proximum de honeſtate illius vel licentia, quod, ut moraliter certum ſit, ſeu tale, quod omnem prudentem formidinem & dubium practicum excludat, ſufficit; quum plus juſto exigere videantur, qui phyſicam aut

(k) *In Corinth.* 10.

aut metaphyſicam certitudinem requirunt. Ab his Theologi progrediuntur ad conſcientiam, penes quam eſt ſententiam ferre de actionum noſtrarum bonitate vel malitia, curatius examinandam, eamque diſtinguunt in veram & erroneam, in laxam & phariſaicam, in certam, tutam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. De opinione autem probabili, an eam ſequi liceat, poſtremis hiſce ſeculis atrox ſane bellum inter eos exarſit, aliquibus nonniſi tutum, aliis nonniſi probabiliorem ſequi oportere, multis contra opinionem vere ac theologice probabilem ſequi licitum eſſe contendentibus. Rigidioris ſententiæ patroni multa Scripturæ, plura SS. Patrum teſtimonia, integrum Auctorum exercitum pro ſua opinione adducentes conqueruntur per uſum opinionis probabilis diſſipari leges divinas quamplurimas, viam arctam ad cœlum nimium laxari, ſeduci conſcientias minus cautas, omnique morum licentiæ portam aperiri. At poſterioris ſententiæ patroni, majori auctoritate freti, jugum Chriſti ſuave ac onus leve adductis benigniſſimi Servatoris exemplis commendant: contra ab adverſariis obligationem graviſſimam, quam probare nequeunt, conſcientiis fidelium imponi oſtendunt, pleraque argumenta

in ipſos retorquent, ignorantia invincibili, quæ certo a peccato excuſat, ſe tuentur in poſſeſſione libertatis, & quum poſt tot damnatas a ſumma Sede Apoſtolica alias propoſitiones laxas, poſtque tot prælia & conflictus nunquam & neutiquam damnata fuerit hucusque hæc propoſitio: *Licitum eſt ſequi ſententiam vere ac theologice probabilem, etiam in concurſu tutioris & probabilioris,* (extra Sacramentorum materiam, & ubi non agitur de damno proximi) in ſententia ſua firmi perſiſtunt, ſibique dictum credunt illud D. Bonaventuræ effatum: *Benigna ſententia ſæpe ſalvat damnandum, rigida ſæpe damnat ſalvandum.* Duo heic ſcopuli vitandi ſunt: ſunt, qui obtrudunt tanquam opiniones probabiles, quæ probabiles non ſunt, & hi ſeverius caſtigandi, quam qui pro numis probis adulterinos in commercium invehunt: ſunt, qui omnem, etiam veram juſtamque probabilitatem tanquam ſpeciem duntaxat & umbram veri aſpiciunt, abutunturque hac voce ad calumnias innocentibus ſtruendas. Nemo enim eorum, quos accuſant, ſomniavit unquam, licere ſequi quamlibet ſpeciem veri, ſed talem tantamque ſpeciem, ut prudens rerum æſtimator ea moveri poſſit ad agendum ſine nota imprudentiæ, nec obluctante conſcientia.

 §. VII.

§. VII.

Tractatus de Legibus.

LXXXIV.

Poſtquam conſcientiam & actiones humanas per regulas generales rite ordinarunt, tractandis variis, quibus homines ſubjacent, legibus ſe ſe accingunt Theologi, quantum ſcilicet ad illorum forum pertinet, aguntque de lege univerſe, de lege naturali, de Moſaica ſeu lege veteris, de lege Evangelica ſeu novi Teſtamenti, de lege humana tam Civili quam Eccleſiaſtica. Lex naturalis eſt ordinatio divinæ voluntatis neceſſaria, quæ per rectam rationem cognoſcitur, & verſatur circa ea, quæ agenda quæve omittenda ſunt, tanquam in ſe bona, vel mala. In hac lege naturali communiſſime docent, Deum proprie diſpenſare haud poſſe faciendo, ut abſque variatione in ejus materia lex naturalis non obliget, quum facere nequeat, ut quod intrinſece malum eſt, nulla facta mutatione deſinat eſſe malum: poſſe tamen improprie diſpenſare concedunt faciendo mutationem in earum materia, v.g. dando alicui dominium bonorum alienorum, poteſtatem in vitam innocentis, uti dedit Iſraelitis, Abrahamo &c. Quod

tamen

tamen intelligendum eſt de quibusdam legis naturalis præceptis, non de omnibus, quum nulla ratione blasphemia aut odium Dei poſſit reddi licitum, uti nec mendacium, utpote, quæ actiones divinis perfectionibus opponuntur. Lex Veteris Teſtamenti à Deo condita, & per Moſen promulgata populo Judæorum triplicis generis præcepta continebat, moralia, ceremonialia, judicialia: horum duo ultima fuiſſe abrogata tenent Catholici omnes contra Cerinthum, Ebionem, & Nazaræos: an autem moralia fuerint abrogata, diſputant inter ſe graves Theologi, quorum una pars aſſerit, totam legem veterem penitus abrogatam fuiſſe, ita ut Chriſtiani non obligentur ad ſervanda præcepta Decalogi, uti tradita ſunt in lege veteri, vi hujus legis: ſed quatenus renovata ſunt in Evangelio, vi legis Novæ; quoniam Chriſtiani ſunt, non Judæi, nec Moſes obligare illos poteſt, ſed ſolus Chriſtus. Verum altera pars, quæ legem moralem etiam ut per Moſen datam, & in Veteri Teſtamento ſcriptam vere Chriſtianos obligare contendit, nititur Chriſti teſtimonio, dicentis, *ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere*, id eſt, interpretando perficere, videlicet removendo corruptelas, quæ per falſas interpretationes illi acceſſerant. Lex

De malitia *formali* peccati in quo conſiſtat, non conveniunt Auctores inter ſe, Antiquioribus in pura & phyſica privatione bonitatis ac rectitudinis debitæ, Recentioribus in entitate quadam poſitiva, videlicet in entitate actus ut libere & cum advertentia ad prohibitionem poſiti eſſentiam peccati conſtituentibus. Porro omne peccatum vel eſt mortale, ſic dictum, quia mortem adfert animæ, ſeparando illam a Deo, qui animæ vita eſt: vel veniale, quo Deus quidem offenditur, ſed non usque ad diſſolutionem amicitiæ. Prius eſt, quod legi divinæ graviter præcipienti aut prohibenti, alterum quod leviter obliganti opponitur, quæ tamen obligatio non ita pendet a libertate dei, ut non ſint aliqua peccata ex ſe & ex natura ſua levia, atque ita exigant prohiberi ſolum ſub culpa levi. Erravit itaque Jovinianus, qui omnia peccata in gravitate æqualia eſſe contendit: erravit Michael Bajus, qui docuit, nullum eſſe peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum de ſe mereri pœnam æternam: erravit ac turpiter inſanivit Lutherus aſſeverare auſus, omnia opera hominis etiam juſti eſſe peccata, & quidem ex natura ſua mortalia. Cæterum eſt & aliud diſcrimen inter mortale

tale ac veniale, nimirum quod prius per accidens fieri poſſit veniale, deficiente plena libertate; & aliquando etiam ex parvitate materiæ: poſterius vero nunquam per accidens mortale fiat, niſi accedat nova ſpecies aut circumſtantia mortifera. Præterea explicant Theologi, quænam peccata ſpecie differant, quæ ſolo numero: item quando plures actus peccaminoſi phyſice diſtincti plura numero, aut unum moraliter peccatum efficiant.

His expediti quæſtionibus ad alias magni nominis controverſias pergunt. Primo quidem, an peccatum mortale ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ. Graves Auctores affirmantem ſententiam ſequuntur, hoc nixi fundamento, quod quo major eſt perſonæ offenſæ dignitas, eo major ſit offenſa: quum igitur dignitas Dei offenſi ſit infinita, oportebit etiam offenſam eſſe infinitam. At alii magno numero negantem amplectuntur; concedunt equidem, quod ſicut dignitas perſonæ abſolute eſt in ſupremo ordine ſeu genere boni, ita etiam ſit offenſa in ſupremo ordine mali, ſic tamen, ut dignitatem Dei offenſi malitia ſua non perfecte adæquet, quoniam dignitas perſonæ offenſæ eſt ſumma non ſolum ex genere ſuo, ſed etiam in genere ſuo: offenſa autem peccati mor-

talis licet ſit ſumma ex genere ſuo, non tamen eſt ſumma in genere ſuo, quum qualibet determinate ſumta ſemper inveniri poſſit alia major. *Major effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum* (m). *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet*, ſcilicet peccato Pilati (n). Neque inutilis eſt hæc controverſia, uti quidam falſo ſibi perſuadent, quam acute tractant Theologi, quum ex ea patefiat gravitas offenſæ Dei, & ingens cujuslibet peccati mortalis malitia, dignaque ut æterno puniatur ſupplicio, ſive finita aut infinita ſecundum quid, ſive ſimpliciter infinita dicatur. Altera eſt controverſia circa cauſſam peccati. Certum eſt, ſolam voluntatem creatam eſſe cauſſam per ſe atque auctorem peccati. unde blaſphema eſt Zwinglii, Lutheri, Calvini, aliorumque Novatorum doctrina, qui cum Simone Mago, Marcione, Manichæis, Priſcillianiſtis, Seleucianis &c. aut claris verbis Deum auctorem peccati faciunt, aut ea ſaltem doctrinæ ſuæ fundamenta ponunt, e quibus error tam impius facile deducitur. Lis eſt cum Thomiſtis non paucis (ſunt enim ex horum numero aliqui, qui abhorrent a ſententia adeo dura) docentibus Deum prædeter-

(m) *Jerem. c. 4.* (n) *Joan. 19.*

determinare ad materiale peccati; ſed contra hos invicte oſtenditur, materiale peccati non ſolam eſſe entitatem phyſicam actus peccaminoſi, abſtrahendo an fiat libere & cum advertentia ad prohibitionem, ſed eſſe aliquid vel realiter identificatum, vel ſaltem eſſentialiter connexum cum malitia formali; quo poſito, ſi Deus prædeterminaret ad materiale peccati, timendum ſane, ne cauſſa & auctor fieret formalis peccati. Hucusque de peccato actuali. De peccato habituali docent, quolibet peccato contrahi reatum pœnæ & culpæ, quorum uterque, etiam poſtquam actus peccaminoſus phyſice jam præteriit, in homine *peccatore* remanet: dari proin peccatum habituale, quod nihil aliud eſt, quam peccatum aliquando commiſſum, & nondum remiſſum. Quare merito damnata fuit Baii doctrina, ſolum reatum pœnæ poſt peccatum remanentem admittentis.

LXXXVI.

De peccato originis ſeu *originali* fide certum eſt, hoc peccatum ab Adamo in poſteros, non exemplo tantum & imitatione, ut ſubdole explicabat Pelagius, ſed propagatione transmiſſum, ac verum & proprie dictum peccatum eſſe. Nam per

per *unius inobedientiam* vere, non metaphorice *peccatores conſtituti ſunt multi* (o). Docuit enim inter alia Pelagius, Adamum e ſtatu integritatis & innocentiæ dejectum ſibi ſoli nocuiſſe, atque peccatum originale ſolum imitatione quadam in reliquum genus humanum propagari, quatenus quando peccamus, primum parentem imitamur, teſte quem male adducit D. Auguſtino (p). Errorem hunc damnavit Tridentinum his verbis (q): *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus poſteris nocuiſſe aſſerit, anathema ſit.* ait enim Apoſtolus: *in Adam omnes peccaverunt, in omnes homines mors pertranſiit.* Porro fide certum eſt, peccatum originis diſtingui ab ipſa concupiſcentia, contra quam docuerunt Lutherus, Calvinus, & alii. celebris locus eſt Jacobi Apoſtoli: *Concupiſcentia quum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem* (r). non igitur ipſa peccatum eſt. non minus D. Paullus ait (s): *Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, in quibus tamen certum eſt, remanere *concupiſcentiam.* hinc Tridentinum

(o) *Ad Rom.* 5. (p) *Lib.* 1. *de pecc. mer. & remiſſ. c.* 9. (q) *Seſſ.* 5. *in Decreto.* (r) *In Ep. c.* 1. (s) *Ad Rom.* 8.

determinare ad materiale peccati; ſed contra hos invicte oſtenditur, materiale peccati non ſolam eſſe entitatem phyſicam actus peccaminoſi, abſtrahendo an fiat libere & cum advertentia ad prohibitionem, ſed eſſe aliquid vel realiter identificatum, vel ſaltem eſſentialiter connexum cum malitia formali; quo poſito, ſi Deus prædeterminaret ad materiale peccati, timendum ſane, ne cauſſa & auctor fieret formalis peccati. Hucusque de peccato actuali. De peccato habituali docent, quolibet peccato contrahi reatum pœnæ & culpæ, quorum uterque, etiam poſtquam actus peccaminoſus phyſice jam præteriit, in homine *peccatore* remanet: dari proin peccatum habituale, quod nihil aliud eſt, quam peccatum aliquando commiſſum, & nondum remiſſum. Quare merito damnata fuit Baii doctrina, ſolum reatum pœnæ poſt peccatum remanentem admittentis.

LXXXVI.

De peccato originis ſeu *originali* fide certum eſt, hoc peccatum ab Adamo in poſteros, non exemplo tantum & imitatione, ut ſubdole explicabat Pelagius, ſed propagatione transmiſſum, ac verum & proprie dictum peccatum eſſe. Nam

modo naturali ab ipſo deſcendentium, fuerunt moraliter alligatæ voluntati Adæ, tanquam capitis moralis, & in eum velut transfuſæ in ordine ad obſervantiam vel transgreſſionem præcepti eſum fructus vetantis. Neque adeo intellectu difficile hoc eſt, propter ſolum parentis peccatum privari poſſe parvulum bonis ſibi indebitis, non minus quam ſi ipſe parvulus peccaſſet. Verum quomodo peccati originalis labe infecti odio divino digni & iræ filii reddantur, ita ut hac in re peccatum alienum proprio ac perſonali æquiparetur, hoc profundum, hoc terrore plenum myſterium eſt, in quo credendo ita ſequimur *Literam*, quæ parvulos necdum natos *occidit*, ut non deſeramus *ſpiritum qui vivificat*, uti præclare dixit Theologorum nonnemo. Atque hinc eſt, quod de parvulis, qui ad baptismi gratiam non perveniunt, varie ſentiant Patres ac Theologi, varie idem Auguſtinus. S. Nazianzenus eos aſſerit *nec frui cæleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto judicio affici* (y). S. Ambroſius dicit, *habituros pœnæ immunitatem, ſed on regni bonorem* (z). S. Auguſtinus *quis*, ait, *dubitabit, parvulos non baptizatos*

(y) *Orat. in S. Lavacrum.* (z) *L. de Abraham c. ult.*

num (t) definit: *in baptizatis manere ncupiſcentiam, quæ quum ad agonem licta ſit, nocere non valet non conſenentibus*, ſimulque declarat, *concupiſcenam* non eſſe peccatum, niſi quatenus peccato eſt, & ad peccatum inclinat. uid vero ſit, & qua via propagetur pecitum originale, gravis controverſia eſt: elirant, qui eſſe dicunt ſubſtantialem naginem diaboli, aut actualem quandam pravam cupiditatem. Errant, qui in oncupiſcentiæ ſinu id reponunt; nam æc, etiam culpa originali jam remiſſa, *b medici manibus naturam adhuc cum o languore confligentem relinquit*, ut ite ait Auguſtinus (u). Eſt igitur pecitum originale, quantum ad nos pertiet, ipſummet Adami peccatum prætertum, & moraliter noſtrum, & nobis none remiſſum, nec condigna ſatisfactioe deletum, atque ita moraliter perſeerat in nobis; ſiquidem ſecundum Auuſtinum *in Adamo omnes tunc peccaveunt, quando in ejus natura illa inſita, in ua eos gignere poterat, adhuc omnes ille nus fuerunt* (x). Propagatur autem in oſteros non ex natura rei, ſed ex pao divino, quo voluntates poſterorum, modo

(t) *Seſſ.* 5. *can.* 5. (u) *Lib. de Conſ. c.* 7.
(x) *L.* 3. *de pecc. mer. & remiſſ. c.* 7.

Tridentina (d) & Alexander VII. prohibet, „ ſententiam *piam* (ſcilicet quod „ in primo jam *inſtanti* Conceptionis „ ſuæ immunis fuerit ab omni macula „ & labe originali) quoquo modo, di- „ recte vel indirecte, aut ſub quovis „ prætextu, occaſione, ſcripto, voce „ impugnare, „ graviſſimis pœnis in e s, qui ſecus faciant, conſtitutis. Et vero mirabilem illam prærogativam a primis Eccleſiæ temporibus ad nos transmiſſam agnoſcunt Theologi, exceptis ſi qui ſint, pauciſſimis. Dubium omne tollit univerſæ Eccleſiæ conſenſus & cultus, dum feſtive celebrat Conceptionem B. Virginis ut Sanctam & Immaculatam, quod qua ratione facere poſſet, ſi cultus iſte, qui ſacrificio publico & Canonico exhibetur, de re foret imaginaria aut falſa? Quapropter merito cenſent Theologi, ſententiam piam, quamvis nondum definita ſit, ad proximum tamen eorum, quæ definitioni Eccleſiæ ſubjacent, gradum aſcendiſſe. Minus certa & difficilior quæſtio eſt, quam heic movent Theologi, nimirum, an B. Virgo immunis fuerit etiam a debito, ut ajunt, contrahendi peccatum originale? duplex debitum diſtinguunt, unum *remotum*, quo omnis ille, qui per viam gene-

(d) *Seſſ.* 5.

generationis naturalis deſcendit ab Adamo, includendus fuiſſet eo in pacto, quod Deus cum Adamo iniit circa ipſius poſteros, adeoque certo peccaſſet in Adamo, ſi non ſpeciali favore ab hoc pacto & debito conditionato peccandi in Adamo fuiſſet exemptus: atque ab hoc debito remoto Theologi communius non audent abſolvere B. Virginem. Debitum autem *proximum* eſt obligatio illa, quam habent poſteri Adam, ut peccante Parente concipiantur in peccato, & cum privatione originalis juſtitiæ, orta ex eo, quod in Adamo peccaverint, ſeu quod per alligationem voluntatum Adami peccatum fuerit etiam moraliter ipſorum peccatum. Ab hoc debito proximo non eximunt B. Virginem graves Theologi, præſertim antiquiores (cujus rei occaſio eſſe poterat, ne illo ipſo, quo de B. Virgine a labe peccati originalis eximenda totis viribus certabatur, tempore præjudicium huic certamini fieret petendo quod plus eſt, ſcilicet eximendo eam etiam a debito proximo) antiquiores inquam, quamvis & hi doceant, Dei Matrem, licet voluntas ejusdem Adami voluntati fuerit alligata, & ipſa in Adamo peccarit, fuiſſe tamen in primo *inſtanti animationis* ſuæ a divina gratia præventam & præſerva-

Alter eſt ſtatus naturæ integræ, ultra perfectiones naturaliter debitas donis indebitis cumulatæ, ſcilicet perfecta ſubjectione appetitus ad rectam rationem, & rationis ad Deum, exemptione ab infirmitatibus corporis, & elevatione ad ſupernaturalia; qualia dona fuerunt in primis parentibus ante peccatum. Tertius demum ſtatus naturæ lapſæ, quando nimirum juſtitiam originalem & integritatem, quam in primo parente acceperat, eo peccante perdidit. Atque in hoc ultimo ſtatu, in quo verſamur, oſtendunt Theologi contra Pelagianos & Semipelagianos, gtatiam eſſe neceſſariam tum ad ea cognoſcenda, quorum notitia per ſe ad ſalutem conducit, tum ad ſalutariter operandum & ad graves tentationes ſuperandas, tum denique ad perſeverandum in bono, dicente Scriptura (h), *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*, ſcilicet per gratiæ auxilium. & (i) *ſine me*, nempe gratia mea, *nihil poteſtis facere*. immo non ſolum ad conſummandam ſalutem, ſed ad ipſum etiam ſalutis initium ſine gratia impotens eſſe liberum hominis arbitrium contra Maſſilienſes cum S. Proſpero demonſtrant. Hanc in homine lapſo impo-

(h) *Joan. c.* 6. (i) *&* c. 15.

impotentiam agnovere Patres tum latini tum græci ante Auguſtinum, & poſt ipſum, qui ſi aliquando gratiam tribuere meritis videntur, per gratiam non intellexere interiorem motionem, ſed vocationem externam (quæ poteſt eſſe meritorum naturalium merces) vel gratiam perfectam & ſalutem ipſam, quæ meritis ſupernaturalibus tanquam merces reſpondet.

Poſt gratiæ notiones Theologi eam ſolicite dividunt, potiſſimum in habitualem & actualem, in excitantem ſeu prævenientem & adjuvantem, in operantem & cooperantem, in mere ſufficientem ſeu inefficacem, & efficacem. Gratiam *actualem* Theologi Recentiores docent conſiſtere in actibus intellectus & voluntatis, id eſt, in ſupernaturalibus & piis cogitationibus, quibus *apparet*, *quod latebat*, & in ſanctis inſpirationibus ſeu affectionibus voluntatis, quibus *ſuave ſit*, *quod non delectabat*, uti ait S. Auguſtinus. Utrumque probant ex S. Scriptura, in qua auxilia gratiæ paſſim vocantur tum *illuminatio*, *auditio*, *ſcientia*, *diſciplina*, tum *ſuavitas*, *dulcedo*, *conſolatio* &c. Quodſi ex iis quæratur, qua ratione contingat motio gratiæ divinæ, explicant hoc fere modo: *Primo* Deus e ſola ſua miſericordia absque ullo præ-

cedente merito noſtro, ſaltem ſtricte tali, producit in mente ſine ulla deliberatione cognitionem ſalubrem circa res cæleſtes & pertinentes ad ſalutem. *Secundo*, producit in anima motum voluntatis quaſi primo primum & indeliberatum, quo afficimur ad bonum, nempe ſimplicem aliquam delectationem & complacentiam, aut diſplicentiam de malo; & hæc omnia fiunt gratis. *Tertio*, quod ſi dein ex noſtra libera voluntate hanc ſanctam cognitionem & delectationem negligimus, hoc pretioſum par actuum non ſuo ſed noſtro vitio infructuoſum eſt, & tunc eſt gratia pure ſufficiens & inefficax: quodſi vero illa ſancta cogitatione & adfectione excitati & adjuti deliberate ac efficaciter pergimus amare & velle illud bonum, dicimur conſentire divinis auxiliis, & tunc illa ſunt efficacia, & referunt fructum illum, aliud trigeſimum aliud ſexageſimum, aliud centeſimum (k) pro nobilitate, fervore, ac efficacia actuum noſtrorum. & hanc ajunt eſſe præmotionem illam, qua Deus veriſſime præmovet & inclinat corda noſtra ad actus ſalutares, ita tamen, ut voluntas ei poſſit diſſentire, ſi velit, quemadmodum definit Tridentinum (l).

LXXXIX.

(k) *Matth.* 13. (l) *Seſſ.* 6. *can.* 4.

LXXXIX.

, præmiſſis accingunt ſe Theologi efellendos hæreſum circa gratiam arum errores, qui ſane multiplices int. Inprimis Pelagius inter alia do-, non dari gratiam aliam, quam crea-is, liberi arbitrii, doctrinæ bibliorum, ortationum & exemplorum Chriſti: adjutorum Dei ſolum dari facilius ſe bonum agere, & malum vitare, n autem ſimpliciter poſſe: gratiam, in ocunque demum conſiſteret, homini opter merita, quibus eam procurare adet, conferri. Semipelagiani, qui par-em aliquam errorem Pelagii veluti fur-ivs retinuerunt, contendebant ſaltem ini-ium ſalutis ex ſolis naturæ viribus & bero arbitrio pendere, neque ad illud pus eſſe gratia: prædicationis gratiam n quibusdam adultis, & baptiſmi in qui-usdam parvulis ante rationis uſum mo-ientibus, uti & perſeverantiam atque electionem ad gloriam conferri ex meri-is, etiam ſolum conditionate prævifis, ec unquam exſtituris. Lutherus & Cal-inus impie docebant: Naturam huma-iam ita peccato originali eſſe corruptam, it ab ea nihil poſſit procedere, niſi pec-catum: liberum arbitrium in natura lapſa ſſe extinctum: hominem ex neceſſitate,

non libere agi vel a concupiſcentia ad malum, vel a gratia ad bonum. Bajus ejusque diſcipuli perverſas ſpargebant doctrinas: liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valere: nullam eſſe Chriſti gratiam, quæ non per ſe ipſam efficax foret: nullam eſſe in hoc rerum ſtatu libertatem, niſi quæ opponitur coactioni. Janſenius denique quinque propoſitiones famoſas vulgavit, ab Innocentio X. & ſequentibus aliquot Pontificibus damnatas, inter quas iſtæ: quod hominibus juſtis etiam conantibus ſecundum præſentes vires aliqua dei mandata ſint obſervatu impoſſibilia, & deſit gratia, per quam poſſibilia fiant: quod in hoc ſtatu homini ſufficiat libertas a coactione. Peſtilentes Janſenii doctrinas multis novis & æque pernicioſis auxerunt ejusdem aſſeclæ, maxime Quesnellus, e cujus libro Novi Teſtamenti excerptas centum & unam propoſitiones, inter quas multæ de gratia, Clemens XI. tanquam hæreticas damnavit. Recenſitis autem hiſce erroribus opponunt dogmata Catholica; & quidem contra Pelagianos docent, gratiam ſupernaturalem & theologicam eſſe neceſſariam ad ſalutem, nec ſolis naturæ viribus eam obtineri poſſe, aut ſub meritum hominis

cade-

cadere, dicente Scriptura: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum* (m), ſcilicet per gratiam; & Apoſtolo (n) *non eſt volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei.* Contra Semipelagianos oſtendunt, eandem eſſe neceſſariam etiam ad initium juſtificationis, dicente rurſus Scriptura (o) *ſine me nihil poteſtis facere*, & eodem Apoſtolo (p) *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Adverſus alios hæreticos ſtatuunt, gratiam theologicam eſſe neceſſariam ad quemlibet omnino actum ſalutarem ſeu meritorium vitæ æternæ, uti clare teſtatur Scriptura (q): *omne datum optimum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.* Atque hæc tria dogmata auctoritate Concilii Tridentini confirmant: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit* (r). Ad vitanda vero omnia peccata venialia per longum tempus, aut per totam omnino vitam cum eodem Tridentino (s) requirunt gratiam ſingularem, ſeu ſpecialem Dei favorem,

(m) *Joan.* 6. (n) *ad Rom.* 8. (o) *Joan.* 15. (p) *ad Philipp.* 1. (q) *Jacobi c.* 1. (r) *Seſſ.* 6. *can.* 20. *&* *c.* 16. (s) *Seſſ.* 6. *c.* 23.

vorem, quali gaudebat B. Virgo. videtur enim moraliter impoſſibile, ut natura lapſa tot occurrentibus quotidie occaſionibus atque tentationibus minutiſſimas quasque legum divinarum transgreſſiones tota vita ſua aut per longum tempus evitare queat, dicente Apoſtolo (t) *in multis offendimus omnes.*

Inde transgrediuntur ad gratiam ſufficientem, quæ eſt illuſtratio ſupernaturalis, & inſpiratio ſeu delectatio indeliberata, a Deo benevole ac liberaliter immiſſa, cum qua homo ſalutem ſuam operari poteſt: huic ſi cooperetur, erit ſimul efficax; ſi minus, erit inefficax & mere ſufficiens. Jam vero oſtendunt e S. Scriptura & SS. Patribus (præcipue Auguſtino & Thoma) dari omnibus hominibus gratiam ſufficientem ad bonum agendum, & ad pœnitentiam, quamdiu vita hæc durat. *Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri.* Juſtis ſiquidem, aut juſtificatis non deeſt gratia, qua poſſint in ea perſeverare, *quia Deus non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur,* uti loquitur S. Auguſtinus (u) Neque peccatoribus negatur gratia ad ſalutarem pœnitentiam, quamvis ſæpe negentur in pœnam peccatorum præcedentium auxilia

(t) *Jacobi c. 3.* (u) *l. 2. de nat. & grat. c. 26.*

lia extraordinaria, ſine quibus moraliter quaſi eſt ipſis impoſſibile, ut reſurgant; unde oritur formidabilis ille obcæcatorum & obſtinatorum ſtatus, ut *videntes non videant*, & *audientes non intelligant* (x). Neque infidelibus omnis gratiæ via ad fidem obtinendam eſt occluſa; quamvis enim ſæpiſſime non habeant gratiam proxime ſufficientem, habere tamen poſſunt, ſi velint, ſecundum dogma receptiſſimum: *Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat ſuam gratiam.* Secundo loco contra Calviniſtas & Janſeniſtas probant, dari quoque gratiam pure ſufficientem ſeu inefficacem tum exemplo Corozaitarum & Bethſaidarum, quibus exprobravit Chriſtus (y), quod viſis ſignis atque miraculis pœnitentiam non egerint; & Judæorum, quibus (z) dicitur: *Vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis:* tum auctoritate Concilii Tridentini docentis (a): hominem poſſe Dei gratiam abjicere, ac damnantis eos, qui aſſerunt *liberum arbitrium nil gratiæ cooperari, nec poſſe eidem reſiſtere, ſi velit.* Qua vero ratione gratiam ſufficientem in tuto collocent, qui ad actus ſalutares auxilium phyſice prædeterminans, ſeu infallibiliter con-

(x) *Matth.* 13. (y) *Matth.* 11. (z) *Act.* 7. (a) *Seſſ.* 6. *c.* 5.

connexum cum actu ſalutari. requirunt, viderint ipſi. Si enim auxilium hoc aderit, ſemper aderit quoque gratia efficax: ſi deficit, nunquam aderit gratia ſufficiens.

XC.

A gratia ſufficiente tranſeunt Theologi ad efficacem, circa quam maximi momenti lites occurrunt, quæ non ſolum Scholas Catholicas contra hæreticas armarunt, ſed etiam inter ſe ipſas colliſerunt. Lutherani & Calviniſtæ ut explicent certitudinem & infallibilitatem gratiæ efficacis, docent Deum per gratiam intrinſece efficacem neceſſitare humanam voluntatem ad bonum, ita ut hæc eidem reſiſtere nulla ratione queat. Janſeniſtæ vero efficaciam gratiæ explicant per gratiam victricem, ut vocant: dicunt enim hominem in ſtatu naturæ lapſæ velut in æquilibrio inter bonum & malum, inter delectationem terrenam & cæleſtem eſſe conſtitutum ſic, ut ſi terrena præponderet, ad peccandum, ſi cæleſtis prævaleat, neceſſario & infallibiliter ad bonum agendum trahatur. Verum utraque hæc gratiæ efficacia, quoniam liberum arbitrium tollit, ac libertatem indifferentiæ peſſumdat, & gratiam vere

vere ſufficientem eliminat, S. Scripturæ aperte contraria eſſe oſtenditur, & eſt a diverſis Conciliis, præſertim Tridentino, atque a pluribus ſummis Pontificibus merito damnata. Scholá Thomiſtica, ut gratiæ efficaciam explicet, docet gratiam eſſe intrinſece efficacem, ac phyſice prædeterminantem, ſeu eſſe motionem (quam in qualitate non vitali conſtituunt) qua Deus antecedenter ad omnem præſcientiam quid creatura eſſet actura vel non actura, voluntatem humanam movet ad bonum, ita ut infallibiliter & quin poſſit impediri, poſt ſe trahat conſenſum. Verum hæc ſententia graves patitur tentationes (intra limites tamen Scholæ) a multis, qui contendunt, gratiam etiam quæ eſt efficax, talem eſſe, ut voluntas ei, antequam efficax fiat, poſſit reſiſtere ac diſſentire, quoniam ſecundum Tridentinum *liberum arbritrium a Deo motum & excitatum poteſt diſſentire, ſi velit*; eſſe autem impoſſibile, ut voluntas reſiſtere ac diſſentire queat gratiæ prædeterminanti, utpote quæ impediri ab homine nequit, quin detur, & ſimul poſt ſe infallibiliter trahit conſenſum: dein transgredienti præceptum impoſſibilem fieri obſervantiam præcepti, quia nimirum ad obſervantiam præcepti tanquam actum

actum ſalutarem indiſpenſabiliter requiritur gratia prædeterminans, quæ in ſolius Dei poteſtate eſt; & tamen hac caret, nec pro libitu acquirere poteſt, qui præceptum transgreditur: demum quandocunque voluntas conſtituitur ſub inevitabili ac metaphyſica neceſſitate ad actum, ceſſare libertatem indifferentiæ ad illum; quandocunque autem phyſice prædeterminatur ad aliquem actum, conſtitui eam ſub inevitabili ac metaphyſica neceſſitate ad illum actum. Scotiſtica ſchola ponit efficaciam gratiæ in ſpeciali quadam congruitate, proportione, ac contemperatione auxilii divini cum arbitrio humano, ſeu in decreto condeterminante, ut adpellant, ſive concomitante determinationem voluntatis per quandam quaſi ſympathiam. Sed hæc ſententia easdem fere difficultates patitur, quas prior: ſive enim dicatur gratia prædeterminans, ſive condeterminans, ſi eſſentialiter & abſolute connexa eſt cum actu, (uti aſſerunt ipſi Scotiſtæ) & ſimul impediri ac evitari non poteſt a voluntate humana (uti admittere debent, quum immediate poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ante præviſionem determinationis creatæ deus decernat hanc gratiam dare) ſive inquam dicatur gratia prædeterminans ſive condeterminans,

liber-

libertas in ſummum diſcrimen vocatur. Schola Societatis poſt Molinam cum plurimis aliis gratiam efficacem docet eſſe auxilium divinum (ſeu illuſtrationem ac inſpirationem ſupernaturalem) collatum in ejusmodi circumſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam certo & infallibiliter prævidetur, quod effectum ſuum ſit conſecuturum. Ex quo patet, in hoc ſyſtemate gratiam non eſſe intrinſece, ſed extrinſece efficacem, quum entitas gratiæ de ſe non ſit conexa cum conſenſu vel diſſenſu: interim tamen, ſi accedat præſcientia dei, qua Deus videt, ſi in his circumſtantiis conferatur hoc auxilium, voluntatem non eſſe diſſenſuram, licet poſſet diſſentire, & ſi inſuper dependenter ab hac præſcientia det hoc auxilium in his circumſtantiis, infallibiliter poſt ſe trahet conſenſum & cooperationem creaturæ. Nititur hæc ſententia auctoritate D. Auguſtini (b) dicentis: *etiamſi multos vocet Deus, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quando eis vocari aptum eſt, ut ſequantur.* Et paullo poſt: *nullius enim Deus fruſtra miſeretur: cujus enim miſeretur, eum ſic vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Patitur & hæc ſententia ſuam difficultatem; quam-

(b) *Lib.* I. *ad ſimplic. q.* 2.

quamvis enim ex una parte libertatem indifferentiæ ſartam tectamque ſervet, arguitur tamen, quod ex altera parte dominium dei abſolutiſſimum, quod habet in actus noſtros bonos, imminuat: ſed ſententiæ hujus patroni reſpondent, quum collatio talis gratiæ, cui deus prævidet, humanam voluntatem eſſe conſenſuram, atque ita efficacem fore, ſit libera ſoli deo, & in ejus veluti manibus poſita, huic dominio dei nihil prorſus decedere, atque ſic ſalvam eſſe & libertatem hominis, & dei dominium, id quod ad concordiam libertatis cum gratia omnino neceſſarium eſt. Præter hæc ſyſtema aliud eſt quorundam Gallorum & Belgarum, qui explicant gratiam efficacem per *prædeterminationem moralem*, id eſt, per talem gratiam, quæ per ſe quidem non connectitur phyſice aut metaphyſice cum conſenſu, ſed moraliter, quin ut ajunt, tam apte & ſuaviter afficit voluntatem, ut moraliter impoſſibile ſit, eam hujusmodi gratiæ diſſentire quamvis phyſice ac abſolute poſſit. Verum efficacia gratiæ debet eſſe tanta, ut metaphyſice infallibile ſit, conſenſum eſſe ſecuturum: alias enim deus non haberet medium infallibile obtinendi conſenſum per gratiam a ſe collatam; talis autem non eſt effica-

cia

dia, illa, quam gratiæ tribuit hoc ſyſtema: præterquam quod ſæpe experiamur, non ſolum non moraliter impoſſibile nobis eſſe, ponere diſſenſum præſente gratia, ſed etiam non raro arduum nobis accidat conjungere conſenſum, præcipue ſi vehemens tentatio urgeat, ut patet in Abrahamo filium immolare juſſo. Quamvis autem ſyſtematum Catholicorum de gratia hucusque relatorum magna ſit diſcrepantia, & quantumvis inter ſe pugnent Scholæ graviſſimis rationibus Theologicis hinc & illinc adductis, quum tamen nulla in hæc cenſura hactenus ab Eccleſia ſit lata quodlibet illorum absque nota graviore defendi poteſt.

XCI.

A gratia actuali ad *habitualem*, & *juſtificationis* negotium pergunt Theologi. Ponunt autem gratiam habitualem ſanctificantem in qualitate aliqua ſpirituali, ſupernaturali, quæque phyſice ac ſtabiliter inhæreat animæ, tanquam ſpecialis quædam participatio naturæ divinæ; unde hæreticorum quorumdam doctrinam, qui gratiam ſanctificantem ſolum in externa remiſſione peccatorum, aut interna quadam imputatione juſtitiæ Chriſti conſtituebant, omnino rejiciunt cum Triden-

 tino,

tino, damnante hanc propoſitionem, *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffunditur atque illis inhæreat, anathema ſit* (c). Præterea juſtificationem peccatoris in hac providentia fieri per gratiam ſanctificantem prius deſcriptam docent cum eodem Tridentino (d), ita ut hæc ſit cauſſa unica & forma intrinſeca, qua juſti reddimur; quamvis communius admittant, non repugnare, ut peccatum mortale (de hoc enim ſermo eſt) per condonationem pure extrinſecam remittatur. Gravis heic controverſia occurrit inter Doctores, an gratia ſanctificans conjungi poſſit in eodem ſubjecto cum peccato mortali habituali aut actuali non remiſſo: qui adfirmant hoc fieri poſſe, negativo argumento nituntur, quod nulla contradictio hac in re oſtendi queat, quo minus peccatum mortale ac gratia ſanctificans per abſolutam dei potentiam ſtare poſſint in eodem ſubjecto, quemadmodum ſummus calor & ſummum frigus in eadem aqua. Qui vero negant, ajunt eſſe de eſſentia gratiæ ſanctificantis, ut hominem Deo gra-

(c) *Seſſ. 6. can. 11.* (d) *ib. c. 7.*

gratum faciat, ſicut unionis hypoſtaticæ, ut Deum & hominem uniat: eſſe autem impoſſibile, ut effectum hunc formalem tribuat ſubjecto, in quo ſtat peccatum mortale, quod ex eſſentia ſua hominem reddit deo inimicum, & odio ac abominatione dignum. Ut autem juſtificationis negotium plenius percipiatur, ſequentes ad eam diſpoſitiones requirunt Theologi, ſuffragante Scriptura & Patribus: Prima eſt *fides*, quæ vocatur a D. Clemente Alexandrino *prima ad ſalutem inclinatio* (e). Secunda *timor*; nam ſecundum Auguſtinum opus eſt, ut *intret timor, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas ſanitas* (f). Tertia *ſpes* quia quod Ambroſii effatum eſt, *nemo poteſt bene facere pœnitentiam, qui non ſperaverit indulgentiam* (g): Quarta *dilectio* ſaltem inchoata, ſpem naturali ordine conſequens. Qui enim ſperat a Deo *juſtificationem*, Deum incipit diligere ut juſtitiæ fontem, ait Tridentinum (h). Quinta dolor ſeu *triſtitia illa ſecundum Deum*, quæ teſte Apoſtolo (i) *pœnitentiam operatur in ſalutem ſtabi-*

(e) *L. 2. Rom.* (f) *Tract. 9. in epiſt. S. Joan.* (g) *L. 1. de pœnit. c. 1.* (h) *Seſſ. 6. c. 7.* (i) *1. Cor. 7.*

ſtabilem. Sexta *votum* ſeu deſiderium *Sacramenti pœnitentiæ* re ipſa recipiendi Septima vitæ novæ totiusque legis ſervandæ *propoſitum.* Peccatori enim *projicienda* ſunt *iniquitates ſuæ*, ut fiat in ei ſpiritus novus & cor novum (k). Ex his facile intelligitur, contritionem aut charitatem actualem non eſſe ipſam formam juſtificantem, ſed ultimam & completam diſpoſitionem ad formam hanc ſeu gratiam juſtificantem. Porro mirabiles ſane ſunt hujus gratiæ effectus quos produnt Theologi. 1. vera peccatorum remiſſio. 2. Interior hominis pulchritudo. 3. Renovatio hominis, qui per gratiam fit juſtus, rectus, & ſanctus. 4. Amicitia Dei, in quam homo reſtituitur. 5. *Filiatio* Dei adoptiva. eſt enim gratia charitas illa, *quam dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus* (l). 6. Jus ad hæreditatem cœleſtem. 7. Vita ſpiritualis. Nam *mors criminum vita virtutum*, inquit S. Cyprianus.

Gratiam proxime conſequitur meritum ſupernaturale, quod definiunt Theologi eſſe obſequium Deo exhibitum, ex ſe potens movere ad retributionem doni ſupernaturalis: dividuntque in *condignum* quando ſcilicet invenitur ſecundum re-

ctam

(k) *Ezech.* 18. (l) 1. *Joan.* 3.

tam æſtimationem æqualitas inter meritum & præmium; atque in *congruum*, quando non adeſt ejusmodi æqualitas, ſed ſolum liberalitati dantis munus commenſuratur. Requirunt autem ad meritum conditiones aliquas tum ex parte operis, ut meritum ſit actus poſitivus, libertate indifferentiæ, poſitive honeſtus & ſupernaturalis: tum ex parte operantis, videlicet ſtatum viæ, & ſtatum gratiæ. Dari meritum hominis proprie dictum coram Deo, certum eſt dogma Catholicorum: *Faciet* enim *Deus unicuique ſecundum meritum operum ſuorum* (m). *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet* (n). Unde Concilium Arauſicanum II. *debetur* inquit *merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant* (o). Non minus certum eſt, quod actus ſupernaturaliter boni, facti ab homine in ſtatu gratiæ ſanctificantis, mereantur beatitudinem æternam de condigno, dicente Scriptura: meritis noſtris reddi vitam æternam tanquam mercedem, & Auguſtino (p): *merito juſtitiæ tanquam ſtipendium reſpondet vita æterna.* Quamvis vero non ſit æqua-

(m) *Eccles.* 16. (n) 1. *Cor.* 3. (o) *can.* 18.
(p) *Epiſt.* 105.

æqualitas inter meritum ſeu obſequium hominis ſecundum ſe, & inter vitam æternam, eſt tamen æqualitas, ſi meritum per gratiam dignificatum conſideretur. Nam homo juſtus ſeu in gratia conſtitutus eſt filius adoptivus Dei: mereri ergo poteſt ſuam hæreditatem, quæ debetur operibus dignificatis a ſtatu gratiæ, in quo fiunt, & conditione filii. Nec obeſt, quod Regius Vates dicat (q): *qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*. Quum enim merita noſtra valorem habeant a gratia, quæ gratis & miſericorditer datur a Deo, præcipue ſi ſit efficax, recte dicimur coronari ſeu præmiari in Dei miſericordia. Hac tamen in re plus quam par eſt exigunt illi, qui ſolos actus charitatis, vel certe illos duntaxat, qui a charitate imperantur, gratiam ac gloriam mereri contendunt, ſed abſque ſufficiente fundamento: neque enim Tridentinum, quod meriti rationem ac naturam dilucide explicat (r), plus requirit, ut homo cenſeatur vere, id eſt, de condigno promeruiſſe vitam æternam, quam ut ſit juſtificatus, ſeu in gratia conſtitutus, *ut operetur ex gratia ſeu virtute*, atque ut ejus *opera ſint in Deo facta:* quæ omnia habe-

(q) *Pſalm.* 102. (r) *Seſſ.* 6. *c.* 16.

haberi poſſunt etiam per alios virtutum actus in gratia elicitos, utpote qui non minus ſunt obſequium Deo præſtitum, quam actus charitatis, aut a charitate imperati. Quin Chriſtus ipſe (s) promittit operibus miſericordiæ vitam æternam, nulla facta charitatis theologicæ mentione. Quamvis autem homo juſtus gratiæ ac gloriæ augmentum, ipſamque vitam æternam condigne ſibi poſſit mereri, dicente Apoſtolo (t): *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ;* non tamen poteſt mereri ſibi aut alteri merito condigno aut congruo infallibili gratiam perſeverandi aut a peccato reſurgendi, quoniam de hoc nulla in Scripturis exſtat dei promiſſio, ſed potius contrarium indicatur: *Qui ſtat, videat ne cadat* (u). Denique quærunt Theologi, an prima gratia actualis ſeu prima vocatio, qua excitamur vel ad fidem vel ad dolorem de peccatis, ſub meritum cadat? Affirmabant olim Pelagiani & Semipelagiani. his fortiter ſe oppoſuit S. Auguſtinus, & tota Eccleſia Catholica. Et ſane res certa eſt, nos ejusmodi gratiam de condigno mereri non poſſe. *Non eſt*, inquit Apoſtolus (x) *volentis, neque currentis,* *ſed*

(s) *Matth.* 25. (t) 2. *Tim.* 4. (u) 1. *Cor.* 10. (x) *ad Rom.* 9.

ſed Dei miſerentis: & (y) *vocavit nos vocatione ſancta non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.* Hinc natum eſt illud inter Theologos celebre ac receptum, axioma, quod *principium meriti non cadere poſſit ſub meritum.* Fruſtra heic objiciunt Adverſarii aliud axioma Theologicum: *Facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.* Nam a D. Thoma, Bonaventura & aliis axioma iſtud non admittitur, quod Deus non deneget gratiam facienti, quod eſt in ſe, *ex ſolis naturæ viribus*, ſed in ſenſu, quod facienti quod eſt in ſe *ex prima gratia præveniente* non neget ulteriorem gratiam.

§. X.

Tractatus de virtutibus Theologicis, Fide, Spe ac Charitate.

XCII.

A gratia divina, a qua initium, medium & finis noſtræ ſalutis pendet, gradum faciunt Theologi ad actus virtutum, quæ ad ſalutem conſequendam vel neceſſariæ ſunt, vel plurimum conferunt. Inter

(y) 2. *Tim.* 1.

inter iſtas eminent Fides, Spes & Charitas, quas virtutes Theologicas adpellamus. Nam ut ait S. Auguſtinus (z) *Domus Dei*, ſeu æterna beatitudo, *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Eſt autem virtus Theologica, quæ tanquam objectum ſuum formale immediate reſpicit Deum, aut aliquam perfectionem divinam. Fides reſpicit infinitam Dei ſapientiam & veracitatem, Spes potentiam & fidelitatem, Charitas ipſum Deum tanquam ſumme bonum, & omni amore digniſſimum. Harum trium virtutum Theologicarum habitus ſupernaturales una cum gratia ſanctificante homini primo infunduntur: amittuntur contra charitas quidem per quodvis peccatum mortale: fides vero & ſpes per ea ſolum peccata, quæ ipſis directe opponuntur. Incipiunt autem tractare hoc in loco Theologi de Fide, quæ inter theologicas virtutes prima eſt ordine, non dignitate: major enim omnium & nobilior eſt charitas. Circa fidem diutius ob graviſſimas, quæ occurrunt, quæſtiones detinent ſe, atque examinant *primo objectum materiale* fidei, ad quam pertinere docent omnia illa, quæ a deo ſunt

(z) *Serm.* 22. *de verbis Apoſtol.*

ſunt revelata, poſſuntque, ſaltem aliquando, fide divina explicite credi, uti ſunt ea objecta, quæ implicite tantum & virtualiter ſunt revelata. Unde multi contendunt, hanc propoſitionem: *Clemens XIII. eſt verus Pontifex & Chriſti in terris Vicarius* eſſe de fide divina credibilem, non minus, quam credi poteſt, quod hoc vel illud Concilium Oecumenicum fuerit legitimum & infallibile, cujus rei rationem dant, quod univerſalis propoſitio: omnis legitime electus in Papam eſt verus Papa & Chriſti Vicarus ac Caput Eccleſiæ, ſit veritas revelata per illa verba Chriſti: *paſce oves meas: tibi dabo claves: tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non ſolum Petro, ſed in Petro omnibus legitimis ſucceſſoribus dicta, quum alias male providiſſet Deus ſtabili Eccleſiæ ſuæ regimini. Quare quum omnino certum ſit, hunc Clementem XIII. legitime electum eſſe, utpote quem tota Eccleſia pro legitime electo indubitanter agnoſcit, particularis hæc: Clemens XIII. eſt verus Pontifex &c. ſub univerſali contenta, & implicite revelata cenſetur. Porro ſtatuunt Theologi certas regulas, quandonam concluſio ex præmiſſis, quæ ſunt de fide, deducta

etiam

etiam ipſa ſit de fide. Cæterum obſervant heic graves Theologi, in Eccleſia poſt Evangelicam legem a Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis promulgatam non dari novas revelationes, quæ ſint ſimpliciter novæ, ſed ſolum *ſecundum quid*, nempe per majorem explicationem & extenſionem revelationis alias factæ, ejusque adplicationem ad ſing[illegible], quæ in ea continentur. Deus enim a mundo condito ſuccéſſu temporis multa revelavit per Patriarchas, per Prophetas, ac denique per Apoſtolos, præcipue vero per ipſum Chriſtum *Auctorem & Conſummatorem fidei.* quare opus eſſe non videtur novis in Eccleſia revelationibus, quum ad ſervandum *depoſitum fidei* ſufficiat auctoritas & infallibilitas ad explicandas antiquas revelationes, & interpretandas Scripturas, quam Deus Eccleſiæ conceſſit, quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*, ſimulque habet Spiritus Sancti *adſiſtentiam*, qui ſpiritus & fons eſt omnis veritatis. unde præclare dixit Vincentius Lirinenſis (a), novas Eccleſiæ definitiones antiqua dogmata explicare clarius: *quod ſint eadem gemmæ, ſed illis adjiciatur ſplendor: eadem ſemina, ſed ſucceſſu temporis latentia germina evolvantur.* Ex quo

(a) *Lib. contra hæreſ. novit, c.* 17.

quo ſimul inferunt, nihil eſſe de fide, præciſe quia Eccleſia dixit, ſed quia revelatum eſt a Deo, cujus revelatio nobis proponitur ab Eccleſia.

Examinant ſecundo *objectum formale* fidei, quod firmiſſimum atque certiſſimum eſſe oportet, ut ei ſecure poſſit inniti fides noſtra. Communius docent Theologi, illud eſſe tum auctoritatem Dei loquentis, tum revelationem divinam, ita ut neutra ſeorſim ſit adæquatum formale objectum, ſed ſimul. quippe hoc complexum ex auctoritate ac revelatione eſſentialiter connexum eſt cum veritate myſterii, quum metaphyſice ſit impoſſibile, ut detur revelatio divina de incarnatione, & ſimul infallibilis auctoritas Dei revelantis, & tamen incarnatio non exiſtat. Conſtituunt autem Dei auctoritatem in ſumma ipſius ſapientia, & ſumma veracitate, per quarum primam intelligitur ad ſciendum omnia, ut ſunt in ſe, & ad loquendum omnia, ut ſcit, ſumme determinatus. Et quis eſt, qui non adhibeat fidem tantæ auctoritati? *Revelatio* autem eſt locutio Dei ſeu prolatio ſigni ordinata ad manifeſtandam veritatem aliquam: atque hæc locutio Dei alia eſt interna: *loquar ad cor ejus* (b), alia

(b). alia externa: *ſicut loquutus eſt ad patres noſtros* (c). alia publica: *Hic eſt filius meus dilectus* (d). alia privata: *Factus eſt ſermo Domini ad me* (e). Harum quælibet eſſe poteſt objectum formale fidei divinæ, quoniam quævis eſt locutio dei habentis ſummam auctoritatem. Adplicari vero debet revelatio per judicium credibilitatis moraliter certum, quodque omnem excludat formidinem, ne non ſit locutus Deus. eſt enim damnata ab Innocentio XI. propoſitio vigeſima prima: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili, immo cum formidine, qua quis formidat, ne non locutus ſit Deus.* Non tamen æquali paſſu menſurare ſolent Theologi judicium credibilitatis in hominibus doctis, & rudi plebecula, de qua Auguſtinus (f): *cæteram quidem turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas certiſſimam facit.* his enim ſufficere videtur judicium credibilitatis, quod æquivaleat moraliter certo, quodque fundat teſtimonium Parochi vel Catechiſtæ proponentis myſterium fidei aliquod, ita ut excludant omnem formidi-

(b) *Oſ.* 2. (c) *Luc.* 1. (d) *Matth.* 3. (e) *Ezech. c.* 16. (f) *Contra Epiſt. fundam. c.* 4.

midinem, quum nulla dubitandi ratio ipſis occurrat; quamvis dum credunt Parocho dicenti, Deum hoc eſſe locutum, ultimato credant & credere debeant ipſi Deo loquenti. Qui plus requirunt, videant, ne fidei viam intercludant ſimplicibus, & injuriam faciant benignitati Dei, cujus eſt *cum ſimplicibus ſermocinatio* (g).

XCIII.

Majorem difficultatem experiuntur Theologi in ultima, ut vocant, reſolutione fidei, id quod examinant tertio loco: nimirum ut oſtendant ultimum illud motivum, cui fides ita innitatur, ut non amplius alio opus habeat. Si enim quæratur: cur credis myſterium Euchariſtiæ? reſpondebis, quia Deus infinitæ auctoritatis hoc dixit. Sed ſi ulterius quæratur, unde ſcis Deum eſſe infinitæ auctoritatis? item, unde ſcis Deum revelaſſe myſterium Evchariſtiæ? In hac implicata quæſtione ſatis conveniunt primo, fidem non reſolvi in teſtimonium Eccleſiæ, ut præciſe cœtus hominum eſt, ne quid humanum ſapiat fides. Secundo, neque in motiva credibilitatis, quæ quidem inducunt voluntatem ad imperandum aſſenſum, ſed non ſunt rationes credendi formales.

(g) *Prov.* 3.

males. Tertio, neque in propoſitionem particularem Parochi aut Doctoris tanquam præſentem & mediatam Dei locutionem. talis enim propoſitio Parochi aut Doctoris non habet characterem vocis divinæ, quemadmodum locutiones Patriarcharum ac Prophetarum. Quarto, neque in revelationem præteritam fide ſolum hiſtorica & motivis humanis veſtitam. Ecce! in quid non reſolvatur Fides. Docent itaque graves Auctores, ultimato reſolvi fidem tum in auctoritatem dei vel ex terminis vel aliunde notam; ſuppoſita enim exiſtentia Dei tanquam entis infinite perfecti per ſe clarum eſt, eum eſſe infinite ſapientem, infinite veracem, nec falli poſſe, nec fallere, atque ita ſummæ auctoritatis eſſe: tum in ipſam dei revelationem ſuaſive propoſitam lumine ſupernaturali, ita ut revelatio ſe habeat tanquam motivum *ut quo.* atque hanc illuſtrationem requiri a Concilio Arauſicano patet, definiente: *Hæretico falli ſpiritu eum, qui dixerit, Evangelicæ prædicationi conſentiri poſſe, absque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti.* Extrinſece tamen & diſpoſitive eadem fides reſolviter in argumenta credibilitatis, qualia ſunt, quæ veram fidem comitantur, doctrinæ puritas,

tas, propagatio Evangelii, ſanguis martyrum, nubes teſtium, miraculorum copia &c. hæc enim ſigna moraliter loquendo nonniſi a Deo fieri potuerunt, & cum Richardo a S. Victore exclamare poſſumus (h) *Domine ſi error eſt, quem credimus, a te ipſo decepti ſumus.* Totam hanc doctrinam complectitur paucis verbis Doctor Angelicus (i): *Ille qui credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ* (en! motivum ut quod extrinſecum) *& quod plus eſt, interiori inſtinctu dei invitantis.* En! motivum ut quo.) Heic ergo ſiſtitur, nec ulterius pergitur, ceſſatque circulus ille vitioſus, quem fruſtra objiciunt hæretici, & Pontificium vocant. Falluntur autem hi ipſi, & fallunt alios, dum pro ultima fidei regula Spiritum privatum, idolum illud ſuum domeſticum, ſtatuunt. nullus enim eſt hæreticus, qui non jactet Spiritum privatum in ſacra Scriptura intelligenda, & fidei articulis exponendis: nullus igitur litium & religionis controverſiarum finis erit; nullus hæreticorum ad veram fidem reduci poterit, quovis ad Spiritum privatum tanquam ad judicem adpel-

(h) *Lib.* 2. *de Trinit. c.* 2. (i) 2. 2. *q.* 2. *a.* 9. *ad* 3.

adpellante, ac provocante; atque ita Ecclesia & Religio Chriſtiana peſſime foret conſtituta: præterea ſpiritus hic privatus Spiritus Dei eſſe non poteſt, ſed potius eſt ſpiritus Sathanæ, quum contradictiones ſuggerat, ut patet vel ex ſolo Eucharistiæ myſterio, & litibus circa illud, quæ Lutheranos inter & Calviniſtas graſſantur. Hinc rejecto hoc ſpiritu invictis argumentis demonſtrant Theologi Eccleſiam Romano - Catholicam in decidendis quæſtionibus ad fidem & bonos mores ſpectantibus falli aut fallere non poſſe propter certam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, à Chriſto Domino promiſſam. Exercet autem Eccleſia infallibile ſuum judicium in Conciliis Generalibus legitime convocatis, & a Summo Pontifice approbatis, quorum definitiones, quæ ad fidem & mores ſpectant, tanquam ultimum & decretorium judicium ab omnibus agnoſci & acceptari debent. Eadem auctoritas & infallibilitas, eadem reverentia & obedientia debetur Romani Pontificis ſententiæ, ſi plurium per orbem diſperſorum Epiſcoporum conſenſu firmetur: quin immo quum Concilia Oecumenica nonniſi raro & difficillime convocari poſſint, aut conſenſus Epiſcoporum diſperſorum exſpectari nequeat,

emergentibus interea gravibus in Eccleſia controverſiis, idcirco ad infallibilitatem deciſionis Pontificiæ non eſt abſolute neceſſarius Eccleſiæ conſenſus, ſive in Concilio congregatæ, ſive diſperſæ: unde paucis exceptis communiſſimo ſuffragio docent Theologi, Pontificem independenter a conſenſu Eccleſiæ errare haud poſſe in quæſtionibus fidei & morum, in factis dogmaticis, in damnando ſenſu propoſitionis alicujus ab auctore intento, in declaranda orthodoxia aut heterodoxia doctrinæ. quare inanis ſemper fuit & eſt etiamnum Janſeniſtarum a definitione Papæ ad Concilium Generale adpellatio.

XCIV.

Examinant quarto dotes, quibus inſtructus eſt, ac eſſe debet actus fidei. 1. eſt diſcurſivus, ut ajunt, ſaltem virtualiter, aſſerens unum propter aliud, exiſtentiam ſcilicet myſterii propter revelationem. 2. eſt obſcurus, quando elicitur ex ſolo fidei, motivo, tum quia verſatur circa myſteria obſcura, quæ nulla ratione naturali demonſtrari poſſunt; eſt enim fides ſecundum Apoſtolum *argumentum non apparentium:* tum quia nititur fides revelatione per ſe obſcure propoſita. hinc cre-

credendo dicimur *captivare intellectum.* Nihilominus Theologi longe plures ſentiunt, poſſe actum fidei ſubſiſtere etiam cum evidentia ſeu ſcientia objecti. Sic exiſtentia Dei, quæ evidenter nota eſt, debet etiam credi, dicente Apoſtolo (k): *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* & ſane deterioris conditionis forent docti, quibus multæ veritates fidei: exiſtentia Dei, providentia, immortalitas animæ, aliaque principia moralia, ſunt demonſtratæ, ſi ab iis credendis ob doctrinam ſuam tot laboribus & vigiliis partam excluderentur. Fatentur tamen ultro, quod de potentia ordinaria fides ſtare nequeat cum viſione *beatifica: cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt* (l). 3. eſt liber libertate mediata. extollunt enim SS. Patres meritum fidei eo ex capite, quod in captivitatem redigat intellectum in obſequium primæ veritatis, quod falſum foret, ſi liber non eſſet, ſaltem mediate, quatenus a voluntate imperatur aſſenſus hic intellectui. 4. eſt eſſentialiter verus, ita ut non poſſit ei ſubeſſe falſum, *quum nullus ſcire valeat*, ut ait Tridentinum (m) *certitudine fidei, cui non poteſt*

(k) *Ad Hebr.* 11. (l) 1. *Cor.* 13. (m) *Seſſ.* *c.* 9.

teſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Oritur enim actus fidei a lumine ſupernaturali ſeu illuſtratione S. Spiritus, cui nullum eſſe poteſt cum falſitate commercium. 5. Denique eſt certus tam certitudine infallibilitatis quam adhæſionis, & quidem certior, quam quivis actus naturalis; quod multa cum ſubtilitate e fundamento primum allato deducunt Theologi.

Examinant quinto loco, in quanam Religione vera fides inveniatur. ad hanc quæſtionem rite tractandam præmittunt diverſitatem Religionum, quæ ad quinque reduci poſſunt, ſcilicet Polytheismum, qui multitudinem & turbam Deorum Dearumque admittit: Theismum, qui quidem unum fatetur Deum, ſed nihil credendum eſſe contendit, niſi quod ratione naturali aſſequi poſſumus: Mahumetismum, qui Machumetem tanquam Prophetam & Legislatorem agnoſcit, ac beatitudinem in voluptatibus & deliciis conſtituit, innumerisque fabulis religionem ſuam conſpurcat: Judaismum, penes quem olim vera fuit religio, ſed abnegato Dei filio, qui homo factus eſt, eoque in crucem acto Meſſiam venturum fruſtra exſpectat, & abrogatis Teſtamenti Veteris legibus mordicus adhæret: Chriſtianis-

mum,

num, qui Chriſtum Legislatorem ac novi Teſtamenti conditorem celebrat, ejusque legem ſanctiſſimam amplectitur. Tum demonſtratis graviſſimis cæterarum quatuor Religionum erroribus oſtendunt inprimis Religionem Chriſtianam eſſe evidenter credibilem ex ſumma ſanctitate, ſapientia, & potentia Chriſti religionis chriſtianæ auctoris, ex puritate, ſanctitate, & efficacia doctrinæ, quam profitetur hæc religio, ex teſtimonio hominum omni exceptione majorum, Apoſtolorum, Martyrum, Patrum & Eccleſiæ Doctorum, ex Prophetiis clariſſime impletis, & miraculis plurimis ac certis in confirmationem religionis Chriſtianæ, patratis. Poſt hæc oſtendunt Religionem Chriſtianam eſſe etiam evidenter credendam. Eſt enim aliqua Religio credenda, quum vix ulla gens etiam maxime barbara unquam fuerit absque omni religione, nec genus humanum ſine religione aliqua ſubſiſtere poſſit: quoniam igitur omnes aliæ præter Chriſtianam manifeſte ſunt falſæ, & ſola Religio Chriſtiana evidenter eſt credibilis, evidenter quoque credenda eſt.

Porro hæc ipſa Religio Chriſtiana quum in diverſas ſibique oppoſitas ſectas, ut Catholicam, Lutheranam, Calvinianam,

non eſt, quam amor concupiſcentiæ, ſive amor rei ut nobis bonæ cum appetitu eam habendi. *Fiduciale*, quia ſpes debet eſſe cum fiducia acquirendi rem. Hæc fiducia excitat ad agendum, quod ex parte noſtra eſt neceſſarium ad eam rem obtinendam, dum ipſa deſperatio vitium ſpei oppoſitum eſt quidem deſiderium, ſed ſine fiducia ac ſolicitudine de agendo. *Supernaturale*, quia pendet a præveniente Spiritus S. inſpiratione, & ejus adjutorio, ſine quo nemo credere, ſperare, aut diligere poteſt, ut definit Tridentinum (p). *Superna beatitudinis*, hoc eſt, Dei per viſionem & amorem poſſidendi. Si enim alia ſperamus, non referendo ea ad Deum, non eſt actus ſpei theologicæ, ſed ſolum ſpei alicujus moralis: ſi autem alia ſperamus in ordine ad Deum, tunc magis hunc ipſum ſperamus; quemadmodum ſi diligimus proximum propter Deum, etiam hunc ipſum, & magis diligimus. *Deo auxiliatori innixum*, quia quum ſolis viribus naturæ non poſſimus beatitudinem ſupernam conſequi, debemus juvari a Deo, quumque hic auxilium promiſerit, merito noſtra fiducia ejus auxilio, ſeu ipſi auxilium promittenti & certiſſime collaturo innititur. Habitualis autem ſpes eſt virtus theo-

(p) *Seſſ.* 6. *can.* 3.

theologica elicitiva deſiderii fiducialis paullo ante deſcripti. Porro dividunt theologi ſcholarum more objectum ſpei in materiale & formale: Materiale primarium eſt ipſe Deus poſſidendus, ſive concretum ex Deo & ejus viſione ac amore: alia vero quæ ſperantur in ordine ad Deum conſequendum, e. g. auxiliantes gratiæ, ſunt objectum ut vocant ſecundarium. Proprietates ac dotes, quæ objectum hoc materiale ſpei inſigniunt, prodit Doctor Angelicus (q), dum ait: *objectum ſpei eſt bonum, futurum, arduum, poſſibile haberi.* Bonum videlicet, quia tendit ad Deum, qui ſummum Bonum & bonorum omnium fons eſt: Futurum, *nam ſpes quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, non ſperat,* ut loquitur Apoſtolus (r). Arduum, quia requirit animi erectionem adverſus difficultates ſuperandas. Hinc Altiſiodorus ſpem vocat *quandam audaciam mentis:* Poſſibile haberi; nam impoſſibilis ſicut *ignoti nulla cupido.* Objectum formale actus ſpei theologicæ adſignant ipſam bonitatem Dei poſſidendi, ut bonam nobis, ſi ſpes conſideretur quatenus eſt deſiderium: ſi vero quatenus eſt fiducia ſpectetur, fideliſſi-

(q) 2. 2. *q.* 17. *a.* 1. (r) *ad Rom.* 8.

virtutes ſunt vitia. Jam vero de ipſo actu charitatis theologicæ docent Theologi, quod ſit amor, quo diligimus Deum ſuper omnia propter ſe ipſum, id eſt, non quia bonus nobis, ſed quia ſibi ipſi bonus eſt. Ad hoc requiruntur tria: primo ut amor hic præferat Deum omnibus rebus, & ipſum amet appretiative præ cunctis aliis, etiam ſeipſo amante, & pro nulla re totius mundi aliquid Deo graviter diſplicens admittat: ſecundo, amor hic debet Deum amare, ſeu velle ipſi bonum tam intrinſecum ſeu perfectiones, de quibus gaudet, quam extrinſecum ſeu cultum, & adorationem, quod utrumque exhiberi Deo deſiderat: tertio, debet præſcindere ab omni concupiſcentia ſeu propria amantis utilitate, ut non quærat ullum bonum ſuum, ſed ſolum Dei bonum. hinc diſtinguunt Theologi inter amorem benevolentiæ, & amorem concupiſcentiæ, quorum tamen prior non poſitive excludit poſteriorem, ſed præſcindit ab eo. Porro objectum materiale charitatis primarium eſt Deus: ſecundarium omnia ea, quæ amantur propter Deum. Objectum vero formale eſt bonitas divina, non ut bona nobis, ſed ut bona Deo. Nam *Amicus amico vult bona ejus, ipſius cauſſa,* ut ani-

animadvertit pridem Ariſtoteles (x). Unde datur inter Deum & hominem juſtum vera amicitia, atque adeo actus charitatis eſt amor amicitiæ. Quapropter Pſalmiſta vocat homines juſtos & ſanctos Dei amicos: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus* (y). Enimvero nec deeſt jus ad amorem reciprocum: *Ego diligentes me diligo:* nec proportio, quum per gratiam ſanctificantem homo fiat filius adoptivus Dei, & ſic participet ſuo modo naturam divinam. Nam etiam ſecundum Juris placita adoptio eſt *aſſumptio legitima naturæ extraneæ.* Sunt heic non pauci magnique nominis Auctores, qui docent, in adultis juſtificationem fieri formaliter per actum charitatis in contritione perfecta contentum. At alii communius id negant, aſſerentes actum charitatis non juſtificare formaliter, quum S. Scriptura pluribus in locis (z) vere pœnitentibus & perfecte contritis promittat remiſſionem peccati, & admiſſionem ad amicitiam Dei: quis autem promittit rem aliquam propter ſe ipſam, & non propter aliam? dicere volo, juſtificationem propter charitatem, ſi hæc ſit jam ipſa formalis juſtificatio? nihi-

(x) 8. *Ethic. c.* 7. (y) *Pſalm.* 138.
(z) *Ezech.* 18. & 33. *Zachar.* 1.

quæque in illis reperiuntur: atque etiam uti habebantur initio naſcentis Eccleſiæ inter fideles Hieroſolymis, ſicut refertur in actis Apoſtolorum (d) & adhuc habentur in Religioſis communitatibus. Attamen ob numerum innumerabilium hominum, nolentium ad perfectionem adſtringi, & ob graviſſimas cauſſas diviſionem ſuadentes melius fuit res dividi, & privatis bona tanquam propria poſſidenda relinqui: neque Jus naturale, quo omnia, ut dictum eſt, ſunt communia, præcipiebat, ut hæc bonorum communitas ſemper obſervaretur, ſed eam ſolum tamdiu permittebat, donec ex juſtis causſis res privatis dominis legitime adtribueretur. Porro hanc diviſionem videtur innuere S. Scriptura (e) dicens: *Natique ſunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra,* quamvis non videatur negandum eſſe, jam ante diluvium aliquam terrarum & bonorum diviſionem fuiſſe factam Præſide diviſionis Adamo, uti poſt diluvium Præſide Noemo. His poſitis concludunt, diviſionem primam factam eſſe jure gentium. Non enim facta eſt jure divino, quum nullum hac de re præceptum Dei aut traditio de tali præcepto exſtet: immo

(d) *Genes.* 10. (e) *Pſalm.* 8.

mo Deus ſubjecit hominibus & volatilia cœli, & piſces maris, & animantia terræ: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves &c.* Neque facta eſt jure naturali, ut vidimus. Rationes autem cur jure gentium facta ſit, ſane multas & maximi momenti adferunt, videlicet quia excitanda fuit hominum induſtria ad conſervationem & culturam talium bonorum, tum ut evitaretur rerum confuſio, quæ contigiſſet uno in alterius & plura bona invadente, tum denique ut caveretur innumeris litibus ex communitate bonorum orituris, ac perturbationi ſocietatis humanæ certo certius ſecuturæ.

Stabilita ſic rerum diviſione pergunt Theologi ad Dominium, quod in genere deſcribunt, eſſe jus reale diſponendi de re in proprium commodum vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum emolumenta ipſius, vel ſecundum utrumque. Facta poſtmodum diviſione dominii in varias ejusdem ſpecies duo maximi momenti, & ad forum proprium ſpectantia examinant, nimirum quale dominium competat Clericis, & quale Religioſis. Ad primam quæſtionem de Clericis imprimis notant, ſub initium Eccleſiæ Chriſtianos plurimos & Clericos omnes communem vitam voto paupertatis obſtrictam egiſſe

nihilominus facile concedunt hi Auctores, quod actus charitatis quam proxime diſponat ad juſtificationem, id quod colligunt ex Tridentino (a). Cætera non tantum minuitur, ſed omnino tollitur & deſtruitur charitas per peccatum mortale, utpote cum quo componi nequit: *quæ enim ſocietas lucis ad tenebras?* non tamen minuitur per peccatum veniale. Nam ex hoc ſequeretur, multiplicatis venialibus tandem deſtrui charitatem, & hominem damnari propter peccata venialia, quod eſt in fide erroneum; quamvis aliquo modo, ſcilicet indirecte, etiam venialia peccata minuant charitatem, diſponendo ad peccatum mortale, impediendo fervorem charitatis, intendendo pravos habitus ad malum. *Qui ſpernit modica, paullatim decidet* (b).

§. XI.

Tractatus de Jure ac Juſtitia.

XCVII.

Expedita virtutum Theologicarum doctrina Theologi præcipuam ex iis, quas Cardinales adpellare ſolemus, explicandam ſibi ſumunt, nempe Juſtitiam, quam D. Tho-

(a) *Seſſ.* 6. *c.* 5. (b) *Eccleſ.* 19.

mercedem: *dignus eſt enim* Operarius mercede ſua. Hinc natum proverbium: *Beneficium datur propter officium.* Nulla igitur ratio ſubtrahendi ſuperfluos reditus a dominio: immo Clericos ſeculares docent non teneri titulo juſtitiæ errogare ſuperflua in pauperes vel cauſſas pias, quam ſententiam Covarruvia (i) dicit nunc eſſe communem, & totius orbis conſuetudine juvari; quamvis graves aliqui Auctores contrarium ſentiant. Inferunt autem priores ſententiam ſuam e Concilio Tridentino (k), ſcilicet quod Clerici *faciant fructus ſuos*, adeoque ſub eorum dominium cadant. Neque etiam ab Eccleſia urgentur ad reſtitutionem ſuperfluorum in profanos uſus expenſorum, quod tamen fieri deberet, ſi ex juſtitia tenerentur. Omnes tamen fatentur, Clericos ſub gravi peccato obligari, ut non expendant illa in res profanas, uti docet memoratum Tridentinum (l). Ad ſecundam quæſtionem de Religioſis docent primo: eos in communi, ſeu communitates Religioſas poſſe habere dominium & rerum mobilium & immobilium, ex-

(i) *In C. cum in officiis de teſtamentis. n.* 11.
(k) *Seſſ.* 22. *c.* 3. *&* *Seſſ.* 24. *c.* 11. *de reform.* (l) *Seſſ.* 25. *de reform.*

exceptis Fratribus Minoribus, quos de obſervantia vocant, & Capucinis. quippe Tridentinum (m) omnibus aliis Religioſis, etiam iis, quibus vi Conſtitutionum ſuarum non licebat, facultatem concedit, ut *deinceps bona immobilia eis poſſidere liceret*. Secundo, Religioſos tamen particulares eſſe incapaces omnis dominii, vel juris proprietatis cujus cunque, etiam imperfecti, uti tradit idem Tridentinum (n), quæ incapacitas oritur ex jure Eccleſiaſtico illam adnectente ſolemni Profeſſioni, vel aliis votis Religioſis.

XCVIII.

Circa objectum Dominii conveniunt Theologi, hominem eſſe dominum bonorum externorum, quæ vocantur bona fortunæ: item bonorum famæ propriæ ac honoris, utpote quæ bona ſuis meritis & actionibus acquirit quemadmodum alia bona, quæ Juriſperiti vocant bona acquiſita; unde ſine alterius damno infamare ſe ipſum poteſt: item eſſe dominum libertatis ſuæ: negant tamen hominem eſſe abſolutum Dominum vitæ ſuæ ac membrorum, ſed duntaxat habere uſum fructum, quamvis ex juſta cauſſa facere aliquid vel omittere poſſit, ex quo indirecte mors propria vel mutilatio

(m) *ibid. c.* 3. (n) *ibid. de Regularibus c.* 2.

tio membrorum ſequatur. Examinant heic Theologi primo, an homo habere poſſit dominium in alterum hominem? Negant hoc fieri poſſe jure naturæ, utpote quo omnes ſunt æquales; poſſe tamen acquiri tale dominium jure poſitivo. Ita conſtat tum ex S. Scriptura, tum ex jure civili, varia eſſe ſervitutum genera: fiunt aliqui ſervi jure belli, quando ſunt in eo capti, a qua tamen ſervitute excipiuntur Chriſtiani: alii ſunt ſervi a nativitate, qui de matre ſerva nati ſunt, quia partus ſequitur ventrem: alii juſta condemnatione & propter delictum libertate exuti in ſervitutem rediguntur. Examinant ſecundo, an Judex licite poſſit hominem, quem privata ſcientia novit eſſe innocentem, quamvis ſecundum allegata & probata ſit nocens, adjudicare morti? controverſia hæc celebris eſt inter Theologos & Juriſperitos, in utramque partem ſeſe dividentes. Mitior ſententia favet innocentiæ accuſati contra Judicem. Deus enim, qui vitæ ac necis arbiter eſt, nec Judici nec Reipublicæ ejusmodi poteſtatem concedit: non Judici, cui dicit (o): *Inſontem & juſtum non occides*; non Reipublicæ; hæc enim ne quidem ad vitandum excidium totius com-

(o) *Exodi* 23.

ſatis declarant Jura diverſis locis. De venatione autem docent, eam licet jure naturali cuique hominum permiſſa ſit, tamen Rempublicam vel Principem ex juſtis cauſſis ſibi vendicare poſſe, excluſis ſubditis, etiam in prædiis & ſilvis eorum propriis; non tamen propterea licere Principibus vel Magnatibus, ut prohibeant ſubditis, ne arceant vel abigant feras a ſatis aut pratis frugiferis. Non enim cenſendum eſt, cum tanto ſubditorum damno jus hoc vel primo reſervatum ab iis, vel poſtea in illos translatum fuiſſe. Interea tamen venator feram capiens in loco prohibito fit dominus feræ, utpote quæ in naturali libertate conſtituta in nullius eſt dominio, ſed fit primo occupantis: & quamvis peccet contra jus alterius, non tamen tenetur in conſcientia ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis. Num autem lex prohibens venationem ſit tantum pœnalis, an non, diſputant inter ſe Theologi & Juriſtæ. Doctiſſimus Card. Lugo (p) ait, communem eſſe ſententiam, injuſtum venatorem non quidem teneri ad reſtitutionem feræ, bene tamen ad compenſationem pro læſo jure venandi, niſi ex magnificentia Domini colligatur, ipſi non eſſe curæ reſtitutionem damni,

(p) *De Juſtit. Diſp. 6. Sect. 7. & 8.*

ni, ſed ſolum ſtatuere pœnas, ut feræ ſint tutæ, id quod ordinarie præſumendum eſſe credit de Principibus & Magnatibus. Hoc certum eſt, tum ex parte Principum nimia cupiditate vel ſeveritate, tum ex parte ſubditorum nimia libertate, quam ſibi arrogant, malitia, & obſtinatione animi non raro graviter peccari cum onere reſtitutionis. Idem ferme ſentiunt Theologi de piſcatu. De occupatione rerum inventarum ad theſauros quod adtinet, obſervanda ſunt ea, quæ jura & conſuetudines ſtatuunt. Difficilior quæſtio occurrit de aliis rebus inventis, ad quem pertineant, ſi poſt debitam diligentiam adhibitam dominus non compareat. Obligationem res inventas dandi pauperibus aut expendendi in cauſſas pias communius Antiquiores Theologi adſtruebant. At Recentiores, inter quos graviſſimi Auctores, abſolvunt ab hoc onere inventorem bonæ fidei, remque inventam in propriam utilitatem ab eo converti poſſe cenſent. Ajunt enim, gravem hanc obligationem nec probari ex lege naturali, quum paſſim Viri docti hanc non agnoſcant: nec ex poſitiva, quia hæc ſolum loquitur de bonis incertis ex delicto, neque ex conſuetudine, quæ eſt contraria: profecto ſic *neminem* fore, qui rem inventam tolleret,

quum teneretur cum incommodo ſuo conſervare ac cuſtodire, usque dum dominus compareat, & eo non comparente ſine ullo commodo aliis tradere: atque ita benigniorem ſententiam optabiliorem eſſe non ſolùm inventori, ſed & ipſi etiam domino. Circa ſecundi generis modos acquirendi ſeu Civiles agunt Theologi primo de præſcriptione, quam admittunt efficacem eſſe non ſolum in foro interno conſcientiæ, ſed etiam pro externo in judicio. Poſt examinatas quatuor potiſſimum conditiones ad præſcriptionem legitimam requiſitas, ſcilicet bonam fidem, res quæ præſcribi vel poſſunt vel nequeunt, juſtum titulum, & tempus determinatum, valide inter ſe diſputant de prima conditione, ſeu de bona fide. conveniunt in eo, quod neceſſaria ſit ad inchoandam præſcriptionem: immo etiam ad continuandam ita, ut ſi interveniat mala fides, præſcriptionis curſus interrumpatur. Difficultatem movent nonnulli, an ad inchoandam præſcriptionem requiratur fides poſitive bona, ſeu conjuncta cum judicio prudenti, quod res ſit ſua; vel ſufficiat fides negative bona, ubi ſuſpenditur judicium, nec habetur ſufficiens ratio dicendi, rem potius eſſe ſuam, quam non ſuam. Sed longe communior Doctorum ſententia

fidem

ſidem poſitive bonam requirit ad inchoandam præſcriptionem. nam qui nondum poſſidet, & ſimul dubitat, an res ſit ſua, & an lædat forte jus alterius, inique agit rem ſibi tanquam propriam vindicando, quum in tali dubio non ſit melior ipſius conditio quam alterius, ſeque exponit periculo violandi jus proximi, nec formare ſibi poteſt dictamen practicum, id ſibi licere. Aliud eſt, ubi agitur de continuanda præſcriptione, ad quam ſufficere fidem negative bonam facile conceditur, quum qui poſſidere bona fide incepit, poſſeſſionis titulo tueri ſe poſſit, nec poſſeſſione dejici, quamdiu non probetur, rem eſſe alterius.

XCIX.

Alteram Tractationis partem, ad materiam juſtitiæ pertinentem ponunt Theologi in reſtitutione, ſeu reparatione juris læſi ac damni illati. Hujus geminam radicem ſtatuunt, videlicet quod reſtituere teneamur vel titulo rei acceptæ, vel injuſtæ acceptionis. Prima poteſt eſſe ſine culpa, & tamen reſtitutioni eſt obnoxia: *res enim*, qnamdiu exiſtit, *ſemper clamat ad dominum*: non item poſterior, ubi etiamſi res amplius non exiſtat, ſi injuſte accepta ſit, reſarciri damnum debet ex

æquo

æquo & juſto. quippe répugnat juri naturali, ut quis cum alterius detrimento & injuria fiat locupletior (q). Heic magnis ſtudiis in utramque partem agitatur quæſtio, an bonæ fidei poſſeſſor cum re evicta reſtituere teneatur fructus non ſolum formaliter, ſed etiam virtualiter exſtantes, ſeu bona fide conſumptos, ex quibus factus eſt ditior. Affirmantis ſententiæ patroni ajunt, ex una parte certum eſſe, quod jure naturæ teneatur, quoniam fructus virtualiter ſeu in æſtimatione morali exſtant, & quælibet res fructificet domino ſuo: ex altera, leges poſitivas, dum virtualiter exſtantium dominium tribuere videntur poſſeſſori, intelligendas eſſe de dominio revocabili. At qui neganti ſententiæ ac benigniori adhærent, tuentur ſe Lege (r), quæ pronunciat *illum, qui bona fide percepit fructus, lucrari oportere, ſi eos conſumpſit.* unde inferunt poſſeſſorem bonæ fidei (excepto poſſeſſore hæreditatis alienæ, de quo, Jura contrarium aſſerunt) non teneri reſtituere lucrum ſibi a Legibus juſta de cauſſa ſine diſcrimine adjudicatum; ut nihil dicam de graviſſimis litibus circa fructus bona fide perceptos orituris, quas jura

(q) *Leg.* 206. *ff. de Reg. Jur.* (r) *Sed & loci* 4. §. *poſt litem ff. de fin. regund.*

jura provide in materia de præſcriptione evitare voluiſſe cenſenda ſunt. Contra malæ fidei poſſeſſorem communi ſuffragio condemnant ad omnes fructus, induſtrialibus exceptis, non ſolum perceptos & conſumtos, ſed etiam percipiendos, ſeu quos verus dominus interea percipere potuiſſet, reſtituendos. Porro nulla culpa ſive lata ſive levi (ſecluſo ſpeciali pacto) induci docent obligationem reſarciendi damnum ex delicto illatum ante Judicis ſententiam, ſi culpa mere civilis ſit, & abſit culpa vere theologica ob defectum deliberationis aut advertentiæ. Non enim datur hæc obligatio ex re accepta, quum damnum ponatur eſſe illatum absque lucro illius, qui hoc intulit: neque ex injuſta acceptione, utpote quæ culpam theologicam ſupponit. Sufficit ergo, quod poſt ſententiam judicis hæc obligatio detur, quo in ſenſu legem Aquiliam communior intelligit. Tum late diſputant Theologi de furto & reſtitutionis onere, quod inde oritur. ubi certum eſt, furem ad reſtitutionem teneri vel ſub levi vel ſub gravi pro quantitate vel qualitate rei furto ſubtractæ. docent autem, quod ad quantitatem determinandam non eadem univerſe *materia* ſtatui poſſit, ſed diverſa

pro

Ac primo quidem tractant de Sacramentis in genere, atque definiunt Sacramentum novæ legis cum Tridentino (u) quod ſit ſymbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ forma viſibilis: vel cum Catechiſmo Romano juſſu Tridentini edito, quod ſit inviſibilis gratiæ ſignum viſibile ad noſtram ſanctificationem divinitus inſtitutum. quibus verbis præter alia (uti baptiſmum Joannis, actum charitatis perfectæ, ſacramentalia &c.) excludunt a ratione Sacramenti Martyrium, quum hoc non ſit ceremonia ſacra, & quamvis Martyri vere tale conferat infallibiliter gratiam ſanctificantem, non tamen ad hanc ſignificandam eſt inſtitutum a Deo, qui proprie Auctor martyrii non eſt, utpote quod peccatum tyranni ſupponit. Fuerunt autem Sacramenta in omni lege; & quidem in lege naturæ fuit remedium a Deo inſtitutum pro parvulis ad delendum peccatum originale, atque remedium hoc verum fuit Sacramentum; uti S. Auguſtinus, & poſt ipſum omnes Theologi docent: *Non eſt credendum*, inquit ille, *ante datam circumciſionem famulos Dei, quando quidem illis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento eos opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud ſit, aliqua neceſſaria cauſſa*

(u) *Seſſ.* 13. c. 3.

cauſſa Scriptura latere nos voluit (x). Conſtituunt autem communiter remedium hoc tum *in fide interna miniſtri*, quum fidem aliquam in Chriſtum omni tempore ad juſtificationem noſtram fuiſſe neceſſariam dogma ſit Catholicum, tum *in actione quadam proteſtativa fidei* ob ſimilitudinem cum aliis Sacramentis, quæ conſtant rebus ſenſibilibus: ſola enim fides interna, quum ſenſibus ſubjecta non ſit, externa quadam actione manifeſtari debebat. Atque hinc natum eſt axioma illud, in lege naturæ parvulos fuisſe *juſtificatos in fide parentum*. In lege Moſaica plura fuerunt ſacramenta, quam in lege naturæ: populus enim jam in unum corpus Religionis adunatus diſponi debuit ad adventum Chriſti venturi ex ſtirpe Abrahæ. hæc autem congregatio populi & ſegregatio a cæteris gentibus facta eſt per ſpecialem & magis expreſſam profeſſionem fidei in Deum & Chriſtum venturum, nimirum per circumciſionem Abrahæ imperatam, quæ ſimul erat remedium pro peccato originali parvulorum, (nam pro femellis utpote circumciſionis incapacibus remanſit remedium legis naturæ) ac verum legis Moſaicæ ſacramentum. Præter hoc adſignantur alia hujus Le-

(x) *L. 5. contra Julianum. c. 11.*

Legis ſacramenta: Immolatio agni Paſchalis, Sacerdotium Legale, varia Sacrificia & Expiationes. Circumciſio erat figura baptiſmi, Agnus Paſchalis Evchariſtiæ, Sacerdotium legale noſtri ſacerdotii, Sacrificia & Expiationes ſacramenti Pœnitentiæ. Matrimonium vero in lege veteri ſacramentum non fuit, quia nondum erat factum mirabile illud connubium ſeu conjunctio Verbi cum humanitate. Extrema unctio & Confirmatio non habuerunt proprias figuras teſte D. Thoma (y), quia in confirmatione datur plenitudo Spiritus Sancti; per unctionem vero præparatur homo ad introitum gloriæ. At lex Moſaica erat *egena & vacua*, ut loquitur Apoſtolus, nec poterat hominem introducere ad gloriam, quum necdum porta cœli aperta ſtaret. Verum de his omnibus veteris legis ſeu ſcriptæ ſeu non ſcriptæ Sacramentis docent Theologi, quod non contulerint gratiam ſanctificantem ex *opere* ut vocant *operato*, ſeu ipſo uſu & adplicatione per propriam virtutem citra vel ſaltem ultra meritum ſuſcipientis. Nam ſi conſulamus Apoſtolum, *quomodo* ait *iterum convertimini ad infirma & egena elementa* (z)? *Quæ utilitas circumciſionis? multum quidem & per omnem*

(y) I. 2. q. 102. a. 5. (z) Ad Galat. 4.

omnem modum, quia credita ſunt illis eloquia Dei (a). Nulla heic mentio fit de virtute juſtificandi; quæ tamen præcipua fuiſſet circumciſionis utilitas. Si conſulamus Florentinum, hoc conceptis verbis docet (b), Sacramenta antiqua non cauſſaſſe gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam præfiguraſſe. Nihilominus Theologi tribuunt circumciſioni, quatenus involvit fidem miniſtri & proteſtationem internam, quæ illam imperabat, tribuunt inquam virtutem conferendi gratiam juſtificantem ex opere operantis; ſcilicet intuitu operantis & fidei ipſius, quæ ſententia media eſt, & conciliat Patres, quorum antiquiores cum Auguſtino docuere, circumciſionem ad conſignandum populum electum fuiſſe inſtitutum; fere omnem tamen vim & virtutem ad juſtificandum adimebant: Recentiores vero illam, ut eſt remedium legis naturæ, extollunt, & vim ad juſtificationem parvulorum adtribuunt. Hæc de Sacramentis Veteris Teſtamenti.

At in novo ſeptem præciſe Sacramenta eſſe, & quidem a Chriſto Domino immediate inſtituta oſtendunt non ſolum e Conciliorum Florentini & Tridentini definitioni-

(a) *Ad Rom.* 3.

(b) *In Decreto de Sacramentis.*

tionibus, verum etiam ſolide probant cum ex ipſis SS. Literis & perpetua Traditione, tum ex Patribus, tum denique ex communi omnium Eccleſiarum conſenſu. Et ſane totidem Sacramenta videri poſſunt neceſſaria ad vitam ſpiritualem tum obtinendam per Chriſtum; tum conſervandam. per baptismum enim regeneramur, per confirmationem roboramur in fide, per pœnitentiam ad ſalutem revocamur, per evchariſtiam nutrimur, per extremam unctionem in morbis & mortis articulo confortamur ad agonem, per matrimonium propagatur fidelium communitas, per Ordinem ſpiritualiter gubernatur. Contra hæc ſanctæ Eccleſiæ militantis pignora inſurrexere Sectarii illi, qui propterea Sacramentarii vocantur. Mirum eſt, quanta ſit hos ipſos inter diſcordia: Capharnaitæ & Simon Magus, atque Archontici omnia negabant Sacramenta; quem errorem etiam Fraticellis, ſeu Beguinis adſcribit Joannes XXII. atque hunc ipſum inſtaurarunt Schwenckfeldiani: Novatiani rejiciebant Sacramentum Confirmationis: Evchariſtiam Petrobuſiani: matrimonium Encratiſtæ, Albigenſes extremam unctionem: Lutherani negant transſubſtantiationem in Evchariſtia, rejiciunt confeſſionem auricularem,

&

& e Sacramentorum catalogo expungunt Matrimonium, Confirmationem, & Ordinem: Zwingliani & Calviniani negant realem præſentiam Chriſti in Evchariſtia: Anabaptiſtæ ſolos adultos baptizandos eſſe dicunt, non vero parvulos. Univerſo autem cum Maſſilianis, Catharis, Armenis recentiores fere omnes noſtrorum temporum hæretici Sacramentis denegant eorum virtutem & efficaciam, ita ut aſſerere auſi ſint Sociniani, Sacramenta aliud nihil eſſe, quam nudum ſignum, quo Chriſtianus a Gentili vel Judæo diſtinguatur: Anabaptiſtæ ea ſolum eſſe allegorias morum & bonorum operum, quibus pie ac religioſe vivere admoneamur: Zwingliani Sacramenta duntaxat eſſe pignus quoddam, quo homines initiantur, & Chriſto ejusque militiæ ſe ſe obſtringunt: Lutherani totam illorum efficaciam conſtituunt in eo, quod ſint teſtimonia quædam publica divinæ promiſſionis, quibus certi ac ſecuri reddimur de obtinenda gratia per fidem in Chriſtum, quam ſolam ad ſalutem ſufficere docent: Calviniſtæ contendunt eſſe ſymbola externa, & ſigilla, quibus Dominus promiſſiones factas in conſcientiis noſtris obſignat. Sed contra hos omnes opponunt Theologi dogma Catholicum, quod Sacramenta no-

væ legis contineant & *cauſſent* gratiam *ſanctificantem*, ut loquitur Florentinum Concilium, & Tridentinum (c) anathema dicit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per fidem gratiæ & juſtitiæ, & notæ quædam profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus.* Atque hanc gratiam cauſſant ex opere operato, ut ibidem *can.* 8. definit idem Concilium. unde ſimul patet, fructum hunc Sacramentorum novæ legis non ex probitate aut fide miniſtri pendere, ſed ab ipſis Sacramentis tanquam cauſſis inſtrumentalibus: cauſſa enim principalis ſolus eſt Deus. Poſt hæc Theologi examinant eſſentiam phyſicam Sacramentorum, & demonſtrant, omnia ex rebus & verbis tanquam materia & forma conſtare, dicente Auguſtino (d): *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Communius autem negant intentionem Miniſtri, qua vult facere, quod facit Eccleſia, eſſe partem Sacramenti, ſed duntaxat requiſitum aliquod, quemadmodum intentio ſuſcipientis. Porro declarant,

qua-

(c) *Seſſ. 6. can. 6.* (d) Tract. 8. in Joan.

qualem materiam & formam cujuslibet Sacramenti Chriſtus inſtituerit, & quænam mutatio ejusdem materiæ & formæ obſit valori Sacramentorum. Diſputant autem diviſis agminibus inter ſe, ac primo quidem, an phyſice vel moraliter cauſſent gratiam Sacramenta? videtur conformior Scripturæ ac Patrum doctrinæ ſententia illorum, qui moralem ſolummodo influxum iis concedunt, quum Patres & Scriptura eodem modo de Sacramentis, ac de ſanguine & paſſione Chriſti loquantur, ſcilicet, quod *ſanguis emundet*, *lavet a peccatis* &c. non autem poteſt ſanguini ac paſſioni Chriſti phyſicus influxus tribui, alias cauſſarent phyſice, quando phyſice non exiſtunt. Secundo, an æqualiter diſpoſitis Sacramenta conferant gratiam æqualem, id quod longe communior Auctorum adfirmat, nixus auctoritate Tridentini (e) dicentis, *homines juſtificari unumquemque ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujusque diſpoſitionem & cooperationem.* Et ſane ordo gratiæ ſecundum Theologiæ placitum imitatur ordinem naturæ, atque Sacramenta ſe habent inſtar cauſſarum naturalium, quæ in ſubjectis æqua-

(e) *Seſſ. 6. 7.*

æqualiter diſpoſitis æqualem effectum producunt, ſecus inæqualem.

CI.

Ulterius exponunt Theologi diſcrimen multiplex, quod inter ſacramenta intercedit. Sunt enim & vocantur aliqua ſacramenta mortuorum, uti baptiſmus & pœnitentia, quæ ſcilicet per ſe ſunt inſtituta, ut homini per peccatum mortuo reſtituant vitam ſpiritualem ſeu gratiam ſanctificantem; alia vivorum, uti reliqua ſacramenta, quæ nimirum per ſe loquendo adminiſtrari debent ſolis membris Eccleſiæ vivis, id eſt, exiſtentibus in ſtatu gratiæ: per accidens tamen etiam hæc ſacramenta quandoque producunt primam gratiam, idque in tribus præſertim caſibus: primo quando quis cum invincibili ignorantia ſe in ſtatu peccati gravis verſari, accedit bona fide ad hæc ſacramenta: ſecundo, quando quis confeſſus cum ſola attritione non valide abſolvitur vel ob defectum jurisdictionis vel intentionis: tertio quando quis conſcius peccati conatur elicere contritionem, & ſolum pertingit ad attritionem, deeſtque ſacerdos, cui confiteatur. Porro alia Sacramenta ſunt, quæ iterari non queunt absque ſacrilegio, & hæc characterem impri-

primunt, uti baptiſmus, confirmatio & ordo: alia quæ iterari poſſunt, ut reliqua Sacramenta, quæque characterem non imprimunt. Eſt autem character ſignum quoddam ſpirituale impreſſum animæ, per quod homo deputatur ſpeciali modo ad cultum dei, & ab aliis diſtinguitur, eſtque indelebilis non ſolum in hac vita, ſed probabilius etiam in altera, ita ut remaneat in beatis ad ornamentum, in damnatis vero ad opprobrium. De Miniſtro Sacramentorum ſatis conveniunt Theologi, quod peccatum mortale per ſe loquendo committat Miniſter ad id conſecratus aut ſpecialiter deputatus, ſi conficiat ſacramentum, ſibi conſcius gravis peccati, quum maximam ſane irreverentiam exhibeat rei ſanctiſſimæ, ad quam rite ac ſancte peragendam ſpeciali modo vi Ordinis ſuſcepti eſt deputatus, quæque moraliter eſt actio ipſius Chriſti, cujus ſanguinem & merita continet. Sacerdos *omnis, qui acceſſit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino* (f). An autem Laicus v. g. baptizando in caſu neceſſitatis mortali crimine obſtrictus peccet graviter, multi negant, quia Laicus in hoc caſu conficit ſacramentum

(f) *Levit.* 22.

non ut Miniſter per ſe & ſpecialiter ad id deputatus, ſed per accidens in defectu Miniſtri ab Eccleſia deputati: affirmant alii, quia ſancta ſancte tractanda ſunt, & Laicus quoque heic agat ut Vicarius & Legatus Chriſti, eademque moraliter cum Chriſto perſona ſit. De Diacono & Subdiacono propria ordinis ſui miniſteria in ſtatu peccati mortalis exercentibus rurſus diſcrepant Theologi, quorum aliqui peccatum grave committi aſſerentes Apoſtoli verba allegant (g) de hujusmodi dicentis, *ut miniſtrent nullum crimen habentes:* Communius vero alii contrarium ſentiunt, quia in illorum miniſteriis nulla intervenit confectio aut adminiſtratio ſacramenti, ſi Evchariſtiae diſtributionem excipias, quae ab omnibus cenſetur actio religioſiſſima & ſanctiſſima, quum ipſum Chriſtum omnis ſanctitatis auctorem contineat. Peccare autem graviter per ſe eum, qui ex officio miniſtrat Sacramentum illi, quem vere indignum ſcit accedere, certa eſt ſententia, monente S. Scriptura: *nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* (h). & Apoſtolo dicente: *Hic jam quaeritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur* (i). Quare

(g) 1. *Timoth.* 3. (h) Matth. 7. (i) 1. Cor. 4.

peccatori publico & notorio, puta
rario, ſicariis, publicis meretricibus
anda ſunt Sacramenta, etiam publice
entibus: At peccatori, qui privata &
ulta notitia indignus eſſe ſcitur, ſi
blice petat, nec repelli poſſit niſi cum
vi infamia & aliorum ſcandalo, ad-
niſtrandum eſt Sacramentum; nec enim
is Miniſter cooperari cenſendus eſt al-
ius peccato, & exemplum Chriſti ſe-
itur, qui nec proditorem ſuum a ſacra
nſa rejecit. Quod autem ad fidem
niſtri adtinet, hanc in eo non requiri
cent, quemadmodum definitum fuit
ntra varios hæreticos, in quo errore
iam aliquamdiu cum Epiſcopis Africa-
s S. Cyprianus verſabatur, contendens
nuo baptizandos eſſe illos, quibus ba-
iſmus ab hæreticis fuiſſet collatus; ſed
eliora edoctus a Cornelio Papa erro-
m depoſuit, ac veræ Eccleſiæ fidem
artyrio obſignavit. Multo minus ad
lorem ſacramentorum requiritur ſancti-
s aut probitas Miniſtri quemadmodum
cuerunt Donatiſtæ, Albigenſes, & Wi-
effus, qui etiam prædeſtinationis pignus
Miniſtro neceſſarium eſſe duxit. Ve-
m prava iſtorum dogmata a Conciliis
onſtantienſi & Tridentino condemnata
erunt; & merito, quum parum Eccle-

ſiæ

ſiæ conſuluiſſet Chriſtus, ſi valorem ſacramentorum a probitate Miniſtri voluiſſet pendere, atque ita innumeris de valore dubiis locum feciſſet.

His expeditis pergunt Theologi ad intentionem, qualis in Miniſtro requiratur, ut Sacramenta rite adminiſtret; docentque inprimis contra Lutherum & Calvinum, aliosque, non ſufficere ad valorem Sacramenti, ſi miniſter ponat materiam & formam, ritumque externum ſine intentione faciendi ſacramentum, ſed quod requiratur ſeria intentio ac voluntas faciendi quod Chriſtus inſtituit, aut Eccleſia facere intendit. Hoc enim requirunt Concilia Florentinum ac Tridentinum, & Alexander VIII. damnavit propoſitionem numero octogeſimam octavam: *valet baptismus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia.* Et revera Miniſter heic ſuſtinet & agit perſonam Chriſti, qui non voluit ponere ſolas actiones externas ut tales, ſed eas ad rationem ſacramenti, & ad conferendam gratiam juſtificantem elevare intendit. Hæc autem intentio non ſufficit, ut ſit mere habitualis; non tamen eſt neceſſaria actualis, dum conficiuntur;

alias

alias ob inſtabilem imaginationis humanæ conditionem, & frequenter occurrentes animi evagationes ſacramenta ut plurimum periculo nullitatis expoſita, immo invalida forent. Quis autem cogitare auſit, Chriſtum cum talis intentionis conditione tot periculis ſubjecta ſua inſtituiſſe ſacramenta? Sufficiet igitur virtualis, quæ tunc adeſt, quando vi præcedentis intentionis actualis certa actionum non interrupta ſerie fit id, quod erat intentum.

§. XIII.

Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Evchariſtiæ.

CII.

A Sacramentis in genere via patet ad Sacramenta in ſpecie. Ex his, dum partim Theologia moralis partim Jus quoquoque ſacrum abunde tractet, duo præcipue pro foro ſuo examinanda ſibi ſelegit Theologia Scholaſtica, nimirum Pœnitentiam & Evchariſtiam. Ad Pœnitentiam quod adtinet, de ejus neceſſitate ad ſalutem docent Theologi, quod abſolute quidem remitti poſſit peccatum mortale ſine omni pœnitentia, quum non adpareat, cur deus in alia providentia non *poſſit cedere jure* ſuo ad hominem

odio habendum ratione peccati præteriti, atque per viam gratuitæ condonationis remittere, quamvis hic illud non retractet per pœnitentiam: de lege Dei ordinaria tamen, & in hac providentia id fieri negant, dicente Scriptura; *ſi pænitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis* (k) ac Tridentino (l) *Fuit quidem pænitentia univerſis hominibus, qui ſe aliquo peccato mortali inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.* An autem ſtatim (moraliter loquendo) poſt commiſſum peccatum agi de hoc pœnitentia debeat, diſputant inter ſe, Recentioribus plerisque negativam ſententiam contra Antiquiores tenentibus, quum obligatio iſta nimium difficilis eſſe videatur, quoniam plerumque non datur ſtatim confitendi copia, & extra Sacramentum contritio requiratur, quam elicere confeſtim peccatori, præſertim inveterato, aut ardente adhuc concupiſcentiæ æſtu res eſt omnino ardua: neque etiam pœnitentes de transgreſſione hujus præcepti ſe accuſant, nec Confeſſarii interrogant aut monent, quod fieri deberet, quum eſſet juris divini, & quidem naturalis obligatio: per accidens tamen hanc dari haud negant v.g. in

(k) *Luc.* 13. (l) *Seſſ.* 14. *c.* 1.

in periculo amittendæ vitæ, aut ſi Sacramentum ſit conficiendum vel ſuſcipiendum. Porro oſtendunt relapſis poſt baptiſmum pœnitentiæ ſacramentum eſſe neceſſarium non ſolum neceſſitate præcepti tam divini quam Eccleſiaſtici, ſed etiam neceſſitate medii vel in re vel in voto, quando re ipſa ſuſcipiendi occaſio non ſe offert: conſtat enim poſſe peccatorem juſtificari per contritionem perfectam; ita tamen ut juſtificatio ſecundum Tridentinum (m) non ſit adſcribenda *contritioni*, niſi quantum continet votum Sacramenti. Eſt autem inſtitutum hoc ſacramentum a Chriſto poſt reſurrectionem ſuam, quando diſcipulis *inſufflavit* dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Neque inſtitutum ſolummodo eſt quoad poteſtatem abſolvendi, ſed etiam quoad ritum peccata diſtincte confitendi, quem ritum heterodoxi contra fidem omnis antiquitatis aſſerunt ab Innocentio III. in Eccleſiam fuiſſe introductum, quod falſum eſſe luculenter oſtendunt Theologi. Partes autem pœnitentiæ non ſunt terrores animo a lege incuſſi, fides, aut omnia opera bona, quæ poſt juſtificationem fiunt, uti volunt Lutherani: neque mortificatio & vivifica-

(m) *Seſſ.* 14. *c.* 4.

vificatio in ſenſu Bezæ & Calvini acceptæ, ſed contritio, confeſſio, abſolutio & ſatisfactio. Circa primam partem ſeu contritionem imprimis docent Theologi contra Bajum, Janſenium, Molanum, Eſthium, paucosque alios, perfectam contritionem ſive dolorem de peccatis propter Deum ſuper omnia dilectum habere infallibilem vim remittendi peccata, etiam extra Sacramentum. Dicit enim Scriptura (n) *cum ingemueris, tunc ſalvus eris*. Ubi particula *tunc* ſenſum facit, quamprimum ingemueris, ſalvus eris. Nam *juſtitia juſti*, ait Ezechiel (o) *non liberabit eum, in quacunque die peccaverit. Et impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Eſt nimirum omnis perfecta contritio vera Converſio ad Deum: omni autem veræ converſioni ad Deum promiſſa eſt a Deo peccatorum remiſſio. Hinc inter alias damnata fuit hæc Bajii propoſitio: *per contritionem etiam cum charitate perfectam, & voto ſuſcipiendi ſacramentum conjuncta non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis aut martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti*. Dein contra Adrianum, Sotum, & quosdam Doctores Belgas oſtendunt ad contritionem perfectam non requiri

quiri

(n) *Iſai.* 30. (o) *c.* 33.

quiri intenſionem ſeu abſolute ſeu comparate ſummam, aut certum intenſionis gradum valde magnum & ſoli Deo cognitum, quum nec Scriptura, nec Tridentinum tale quid requirant, ſed tribuant vim juſtificandi ſimpliciter contritioni, dum charitate perfecta eſt, ſcilicet dum nititur motivo charitatis. Sufficit ergo, ſi appretiative ſumma ſit, hoc eſt, deteſletur peccatum ſuper omnia mala. Ulterius docent, contritionem perfectam ſaltem implicite aut virtualiter debere ſe ad omnia peccata mortalia extendere, eaque efficaciter deteſtari. Scriptura enim requirit, *ut impius agat pœnitentiam ab omnibus ſuis peccatis*, & *ut convertat ſe ad Deum ex toto corde:* eſtque certum Theologorum dogma, nullum peccatum mortale in hac providentia remitti ſine altero, quum remiſſio fiat per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ cum peccato mortali ſtare nequit. Subtiliter poſtmodum diſputant inter ſe, num contritio perfecta debeat peccatum mortale magis deteſtari, quam omnia alia mala? num etiam plusquam malum pœnæ æternæ ſeu inferni? & qua ratione hoc fieri poſſit? utilius vero, an peccata ſemel per pœnitentiam deleta poſt relapſum, & an merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviſcant?

Ad primum reſpondent, peccata ſemel remiſſa nunquam redire ſive quoad culpam, ſive quoad pœnam, teſtante S. Scriptura, ea per pœnitentiam *dealbari ſicut nix* (p), *mundari, deleri* (q), *projici in profundum maris* (r). Certe Synodus Tridentina de peccato originali docet (s) illud per baptiſmum ita tolli, ut nihil ejus remaneat: & Gelaſius Papa (t) *Divina clementia*, inquit, *remiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.* Quando autem Scriptura dicit, quod *in memoriam redeat iniquitas Patrum ejus in conſpectu Domini* (u). intelligunt iſtud SS. Patres & Interpretes de pœnis quibusdam temporalibus hucusque dilatis. Ad ſecundum docent, merita per peccatum mortificata (hoc eſt, impedita a ſuo effectu, qui eſt hominem perducere ad vitam æternam) per pœnitentiam reviviſcere, & quidem integre ac perfecte ad totum præmium eſſentiale gratiæ ac gloriæ, ita ut tota gratia per peccatum amiſſa in inſtanti juſtificationis pœnitenti reſtituatur. Colligunt hoc tum ex Apoſtolo (x) dicente de iis, qui multa paſſi ſunt, & poſt baptiſmum relapſi: *Tanta paſſi*

(p) *Iſai.* 1. (q) *Pſalm.* 50. (r) *Michæ* 7.
(s) *Seſſ.* 5. (t) *De Pœnit. diſt.* 4. *c. ult.*
(u) *Pſalm.* 108. (x) *Ad Galat.* 3.

paſſi eſtis ſine cauſſa, ſi tamen ſine cauſſa, quaſi diceret ſecundum Patres & Interpretes, *non plane ſine cauſſa*, quum paſſionis veſtræ fructus redire per pœnitentiam poſſit: tum ex Tridentino (y), quod ſine exceptione *nihil amplius* ait *juſtificationis deeſſe, quo minus operibus, quæ in Deo facta ſunt* (id eſt in ſtatu gratiæ) *vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam vere promeruiſſe cenſeantur*. Et re ipſa in pœnitentiæ inſtanti totum tollitur impedimentum gratiæ; cur ergo hæc tanquam cauſſa ſupernaturalis non exerat totam ſuam efficaciam, uti faciunt cauſſæ naturales remoto obice? Magnum utraque hæc ſententia peccatoribus vere pœnitentibus ſolatium afferre poteſt. A contritione ad attritionem divertunt Theologi, quæ eſt deteſtatio peccati concepta ex motivo timoris pœnæ æternæ, vel deſiderii vitæ beatæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex motivo ſupernaturali alterius virtutis charitate inferioris: monſtrantque primo, attritionem ex metu pœnæ vel deſiderio ſalutis æternæ conceptum eſſe actum honeſtum tum ex Scriptura, quæ paſſim hortatur ad ejusmodi timorem & deſiderium, atque exempla

(y) *Seſſ. 6. c. 16.*

gi, ſi non eſſet neceſſaria confeſſio: tum ex Conciliis, & unanimi Patrum conſenſu, tum ex perpetua praxi Eccleſiæ non ſolum Latinæ, ſed & Græcæ, uti oſtendunt Theologi. Quoad modum Confeſſionis audiendum eſt Concilium Tridentinum (a), ubi inter alia ſic loquitur; „ Unde cum „ a ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus „ magno unanimique conſenſu ſecreta „ Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio „ Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, „ & inventum humanum eſſe, atque a „ Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non „ verentur &c. „. Materiam confeſſionis neſſariam eſſe omnia & ſola peccata gravia poſt baptismum commiſſa, & necdum in S. Tribunali rite expoſita, eaque ex præcepto divino diſtincte quoad ſpeciem & numerum exponi debere, conveniunt omnes Theologi. controverſia vero magnis partium ſtudiis agitatur de circumſtantiis intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantibus: item de peccatis negative ut vocant dubiis. Quoad circumſtantias utraque pars auctoritate Concilii

(a) *Seſſ.* 14. *c.* 5.

cilii ſe tuetur; qui adfirmant, eam inquiunt ex mente Concilii confeſſionem requiri, ex qua poſſit Confeſſarius recte judicare de criminum gravitate, & pœnas eorum merito proportionatas imponere, quod fieri non poſſet, ſi prædictæ circumſtantiæ non declarentur: qui negant, ajunt non eſſe credibile, quod ſi hæc obligatio daretur, Concilium nullam de his circumſtantiis mentionem fecerit, quum tamen promiſerit in procemio ſesſionis decimæ quartæ, exactam & plenam ſe notitiam de iis, quæ ad confeſſionem requiruntur, daturum eſſe: cæterum absque harum confeſſione ſufficiens quoad ſubſtantiam judicium a Confeſſario ferri poſſe. non minus de peccatis dubiis controverſia eſt inter Doctores, utrum ſi negative dubia ſint, hoc eſt, ſi non habeatur poſitiva & ſufficiens ratrio in utramque partem, an commiſſum fuerit peccatum mortale, aut an quod commiſſum eſt, ſit mortale, nec ne, num exponi de novo debeant. in hac gemina controverſia ſententia adfirmans dari obligationem multis probabilior, negans nihilominus vere ac theologice probabilis eſſe videtur: praxis tamen timoratorum hominum pro confirmante potius ſtat, quam pro negante. Præterea do-

cent Theologi, quamvis per ſe loquendó requiratur confeſſio materialiter integra, pro caſu tamen, quo hæc moraliter aut phyſice poſſibilis non eſt, ſufficere ad valorem & fructum Sacramenti confeſſionem ſolum formaliter integram; & hinc ſi moribundus nullum peccatum in ſpecie poteſt confiteri, ſatis eſſe, ſi in genere dicat, ſe peccaſſe.

Quantum ad *tertiam partem*, adtinet, ſcilicet abſolutionem, unanimis modo contra quosdam antiquos Theologorum conſenſus eſt, per abſolutionem ſacramentalem vere remitti peccata quoad culpam; immo Tridentinum (b) anathema dicit illi, *qui dixerit abſolutionem Sacramentalem eſſe nudum miniſterium pronunciandi & declarandi, peccata eſſe remiſſa.* Quodſi moribundus ſit ſenſibus deſtitutus, dederit tamen aliqua ſigna doloris, & vel per ſe vel per alium oſtenderit deſiderium confeſſionis vel abſolutionis, a ſuperveniente *Confeſſario* poteſt ac debet abſolvi: ſi autem nullo ſigno hoc deſiderium ſuum manifeſtavit prius, abſolutionem huic impertiri non licere communiter docent Auctores, quamvis non audeant in praxi condemnare oppoſitam ſententiam, quæ tenet, talem moribun-

(b) *Seſſ.* 14. *can.* 9.

ribundum, dummodo vitæ ſignum adhuc edat, & aliunde nihil obſtet, non videri deſtituendum beneficio abſolutionis ſub conditione dandæ.

Ad *quartam partem* ſeu Satisfactionem reſpondent, ſine manifeſto errore negari non poſſe, ſæpe remiſſa jam culpa remanere adhuc reatum pœnæ temporalis, hinc palam eſt, rite confeſſis ſalubriter imponi opera quædam pœnalia, quibus vere ac proprie ſatisfieri poteſt pro reatu pœnæ temporalis, qui expiandus adhuc eſt. Quare agunt heic Theologi de indulgentiis, quas ad eundum eluendum quam maxime conducere contra Montaniſtas, Waldenſes, Lutherum & Calvinum, qui omni poteſtate indulgentiarum Eccleſiam Chriſti ſpoliatum ivere, ex antiquiſſimo ejusdem Eccleſiæ uſu ac traditione perpetua, atque ex Concilii Tridentini doctrina ſolide demonſtrant.

CIII.

A Sacramento pœnitentiæ ſic explicato transferunt ſe Theologi ad Sacramentum Evchariſtiæ, quod definiunt eſſe Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem animarum refectionem inſtitutum. Hujus partes conſtitutivas eſſe docent præter

corpus & ſanguinem Chriſti etiam ſpecies panis & vini: unum tamen ſpecie Sacramentum, integrum, & completum eſſe, quemadmodum cibus & potus unam integram corporis refectionem conſtituunt. Tum oſtendunt contra hæreticos, in Eucharistia vere & realiter ac ſubſtantialiter contineri corpus & ſanguinem Chriſti Domini, idque ex ipſis verbis Chriſti, uti ea ſemper intellexit tota Eccleſia Catholica; neque conſiſtere ſolum in uſu hoc Sacramentum, ſed Chriſtum in eo exiſtere etiam ante ac poſt uſum, uti Concilia definierunt, & Patres ſemper tenuerunt, & a temporibus Apoſtolorum Fideles ſemper adorarunt præſentem in hoc Sacramento Chriſtum Deum-hominem. Certe per omnes Eccleſiæ ætates eunti teſtimonia occurrunt luculenta. In I Seculo S. Ignatius Martyr (c) dicit: *Eucharistiam eſſe carnem Salvatoris.* In II. (Juſtinus Martyr (d) aſſerit: *Chriſtianos nutriri carne Dei incarnati.* In III. S. Cyprianus: *in Eucharistia porrigi panem non effigie, ſed natura mutatum* (e). In IV. S. Hilarius (f) ſic loquitur: *Si vere verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo dominico ſumimus.* In V. Chry-

(c) *In epiſt. ad Smyrnenſes.* (d) *Apol.* 2.
(e) *in ſerm. de cœn. Dom.* (f) *L.* 8. *de Trinit.*

Chryſoſtomus (g) *carnes ſuas*, inquit, *nobis tradidit Chriſtus, ſemetipſum immolandum propoſuit.* Hoc eodem ſeculo multa exſtant teſtimonia Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini &c. Ut taceam reliqua ſecula, quorum hac de re monumenta late refert Bellarminus (h) a Seculo V. usque ad XI. vix fuit aliquis hæreticus, qui hanc de præſentia Chriſti in Eucharistia doctrinam auſus ſit in dubium vocare; adeo fuit pacifica poſſeſſio de fide tanti myſterii usque ad Berengarii tempora. Hic Andegavenſis Archidiaconus ſub finem Seculi XI. primus omnium Sacramentariis vexillum prætulit, dum corpus & ſanguinem Chriſti vere ac ſubſtantialiter in Eucharistiæ ſacramento contineri negavit, aſſeruitque hoc ſolummodo umbram eſſe ac figuram, qua corpus Chriſti & ſanguis ſignificaretur. Verum impia hæc doctrina damnata fuit in Concilio Romano ſub Leone IX. & in Concilio Turonenſi, ac Romano altero an. 1059. ubi Berengarius plene convictus hæreſin abjuravit, cujus reliquias poſtmodum velut e ſtercore Calvinus collegit. Tum multis probant Theologi dogma Catholicum, ſcilicet non ma-

(g) *Hom. 5. in Matth.* (h) *toto libro 2. de Euchar.*

manere in hoc Sacramento ſubſtantiam panis & vini, remanentibus licet illarum ſpeciebus; ubi bellum grammaticale movent hæretici circa ſenſum harum vocum: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Sed Catholicorum alii intelligunt & exponunt *Hoc*, id eſt, quod Chriſtus in manibus habebat, quodque ſub panis ſpeciebus deliteſcebat, quodque porrigebat Apoſtolis, & antea fuit ſubſtantia panis, nunc autem eſt Chriſti corpus & panis Evchariſticus ſecundum illud Joannis (i) *Panis quem ego dabo caro mea eſt.* Alii per particulam *hoc* panem verum & materialem indicari volunt, qui vi horum ipſorum verborum actu tranſit in corpus Chriſti, non quod ſit panis, ſed quod fuerit: ſicut ſerpens, in quem virga Moſis converſa fuit, virga vocatur (k). alii etiam figuram ſpeciemque panis intelligunt, quæ priſtinum nomen retinet. Eadem res eſt & explicatio vocum: *Hic eſt ſanguis meus.* Solutis poſtmodum reliquis hæreticorum argumentis, expeditisque variis circa materiam & formam quæſtionibus inter ipſos Catholicos controverſis, docent cum Tridentino (l) *vi verborum* ſub ſpecie panis poni

(i) *C.* 6. (k) *Exod.* 7. (l) *Seſſ.* 13. *c.* 3.

pani corpus, ſub ſpecie vini vero ſanguinem Chriſti: ſub utraque autem exiſtere corpus, & ſanguinem, & animam *vi naturalis illius connexionis*, ut loquitur Concilium, *& concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: divinitatem vero propter admirabilem illius cum corpore & anima hypoſtaticam unionem.* Non minus probant in Sacramento Evchariſtiæ dari veram converſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, *quæ Converſio*, ſecundum Tridentinum, *convenienter & proprie a S. Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiatio eſt appellata.* Procul igitur recedat Lutherus cum ſua, quam ſomniavit, famoſa *impanatione*, ſeu præſentia Chriſti *in*, *cum*, & *ſub* pane.

Circa Transſubſtantiationem communiſſimus Theologorum & fidelium ſenſus eſt, ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem deſtrui, & in nihilum redigi; de qua re Suarius (m) aſſerere non dubitat; *pro comperto habuit Eccleſia Dei ab Spiritu S. edocta, ſimpliciter non manere in rerum natura has ſubſtantias, & contrariam opinionem eſſe valde tenerariam.*

Poſt

(m) *Tom. 3. in 3. p. diſ. 49. ſect. 2.*

manere in hoc Sacramento ſubſtantiam panis & vini, remanentibus licet illarum ſpeciebus; ubi bellum grammaticale movent hæretici circa ſenſum harum vocum: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Sed Catholicorum alii intelligunt & exponunt *Hoc*, id eſt, quod Chriſtus in manibus habebat, quodque ſub panis ſpeciebus delitescebat, quodque porrigebat Apoſtolis, & antea fuit ſubſtantia panis, nunc autem eſt Chriſti corpus & panis Evchariſticus ſecundum illud Joannis (i) *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Alii per particulam *hoc* panem verum & materialem indicari volunt, qui vi horum ipſorum verborum actu tranſit in corpus Chriſti, non quod ſit panis, ſed quod fuerit: ſicut ſerpens, in quem virga Moſis converſa fuit, virga vocatur (k). alii etiam figuram ſpeciemque panis intelligunt, quæ priſtinum nomen retinet. Eadem res eſt & explicatio vocum: *Hic eſt ſanguis meus.* Solutis poſtmodum reliquis hæreticorum argumentis, expeditisque variis circa materiam & formam quæſtionibus inter ipſos Catholicos controverſis, docent cum Tridentino (l) *vi verborum* ſub ſpecie panis poni

(i) *C. 6.* (k) *Exod. 7.* (l) *Seſſ.* 13. *c.* 3.

pani corpus, ſub ſpecie vini vero ſanguinem Chriſti: ſub utraque autem exiſtere corpus, & ſanguinem, & animam *vi naturalis illius connexionis*, ut loquitur Concilium, *& concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: divinitatem vero propter admirabilem illius cum corpore & anima hypoſtaticam unionem.* Non minus probant in Sacramento Evchariſtiæ dari veram converſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, *quæ Converſio*, ſecundum Tridentinum, *convenienter & proprie a S. Catholica Eccleſia Transſubſtantiatio eſt appellata.* Procul igitur recedat Lutherus cum ſua, quam ſomniavit, famoſa *impanatione*, ſeu præſentia Chriſti *in*, *cum*, & *ſub* pane.

Circa Transſubſtantiationem communiſſimus Theologorum & fidelium ſenſus eſt, ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem deſtrui, & in nihilum redigi; de qua re Suarius (m) aſſerere non dubitat; *pro comperto habuit Eccleſia Dei ab Spiritu S. edocta, ſimpliciter non manere in rerum natura has ſubſtantias, & contrariam opinionem eſſe valde temerariam.*

Poſt

(m) *Tom. 3. in 3. p. diſ. 49. ſect. 2.*

riſtiam ſub ſola panis ſpecie: tum ex Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi ac Tridentino: tum ex traditione Eccleſiæ, quæ tale præceptum nunquam agnovit; immo ferventibus in Chriſtianos tempeſtatibus ſolebat poſt ſacrificium iisdem tradere Evchariſtiam ſub ſola ſpecie panis domum perferendam, ut opportuno tempore ac inſtante lucta cum tyrannis ad conſtantiam ea ſumta animarentur; quin etiam primis ſeculis Evchariſtia ſub ſola ſpecie panis adſervabatur pro ægrotis: denique jam tempore Apoſtolorum ut ſub una ſpecie ſumeretur à Chriſtianis Evchariſtia, in uſu poſitum erat; quemadmodum colligitur ex actis Apoſtolorum (p): *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*; nulla facta calicis mentione. Cæterum ad calcem utriusque Tractatus de Sacramentis illud notatu dignum occurrit, quod Theologi in ſtabiliendis ſuis doctrinis fere ubique & potiſſimam partem Conciliorum auctoritati innitantur, quorum eſt S. Scripturæ ſenſum interpretari ac declarare. Primis octo Conciliis Oecumenicis Orientalibus debemus fidem SS. Trinitatis & Incarnationis: fidem vero

(p) C. 2.

vero Sacramentorum ab Eccleſia Occidentali firmius ſtabilitam accepimus per multa Concilia, præcipue per Conſtantienſe, Florentinum, ac Tridentinum. Primum damnavit errores Wicleffi, Joannis Huſs, & Hieronymi Pragenſis in materia Sacramentorum Ordinis, Evchariſtiæ, Baptismi &c. multa quoque ſanxit, quæ Lutheri, Calvini, & ſequentium hæreticorum circa ſacramenta doctrinæ præjudicant. Secundum doctrinam Catholicam de numero, materia, & forma Sacramentorum accuratius pertractavit & definivit, nemine præſentium, etiam Græcorum, reclamante. Tertium omnium temporum errores profligavit, præcipue Sacramentariorum, & inconcuſſa de Sacramentis dogmata tradidit, atque decretis & canonibus editis confirmavit.

§. XIV.

Scriptores Theologiæ Scholaſticæ.

CIV.

Supereſt, ut pro inſtituti mei ratione in medium producam Auctores illos, qui Theologiam Scholaſticam, cujus ſynopſin exhibui, doctis commentariis ac libris illuſtrarunt; non quidem omnes,

utpote quorum, præſertim Patrum antiquorum, catalogus vel ſolus ingens volumen conficeret, ſed ex iis duntaxat vel magis notos, vel præſtantiores, qui poſt S. Damaſcenum & D. Anſelmum, ac Magiſtrum ſententiarum, Petrum Lombardum, quos primos Theologiæ Scholaſticæ, ut nunc tractatur, fundatores adpellare licet, ſcriptis ſuis vel eam univerſam, vel maxima ex parte complexi ſunt. Hos inter primum ac principem locum merito obtinet Seculo XIII. Doctor Angelicus, D. Thomas Aquinas, qui quatuor ſententiarum libros, tanquam totidem Magiſtri ſententiarum libris reſpondentes Commentarios, conſcripſit, quos poſtmodum in breviorem ſummam omnibus notam redegit. . . . Hunc ætate ac magiſterio præceſſit B. Albertus M. qui commentarios in quatuor libros ſententiarum, & duas partes ſummæ theologicæ edidit. . . . Alexander Hales, ſeu Halenſis, Ordinis Minorum primus Theologiæ Doctor, qui ſummam Theologiæ univerſæ in quatuor partes diſtributam juſſu Papæ Innocentii IV. conſcripſit, quam eandem eſſe cum commentariis in IV. libros ſententiarum, qui eidem adtribuuntur, Natalis Alexander contra Wadingum contendit. . . . . Gulielmus Pariſi-

riſſinus Epiſcopus, qui de omni fere materia Theologica doctas lucubrationes poſteritati reliquit . . . S. Bonaventura Ord. Min. S. R. E. Cardinalis in quatuor libros ſententiarum commentatus eſt.

Seculo XIV. ſcripſerunt: Joannes Duns, cognomento Scotus, Doctor ſubtilis Diſtinctiones in quatuor libros ſententiarum, quæ opus Anglicum ſeu Oxonienſe vocantur . . . Durandus a S. Porciano Ord. Præd. Commentaria in libros quatuor ſententiarum, ſatis docta, quamvis aliqua in iis a communi Doctorum ſententia diſcedant, aliqua etiam ab Eccleſia improbata fuerint . . . . Joannes Baco, Ordinis Carmel. Doctor Reſolutus Quæſtiones in IV. Libros ſententiarum . . . Petrus Aureolus, Ord. Min. Compendium Theologiæ in octo libros partitum, quod Trithemius exiſtimat eſſe commentarium, quem in IV. Libros ſententiarum edidit . . . Gulielmus Ocham ſeu Ockamus, Ord. Min. ſectæ *Nominalium* Auctor, Quæſtiones in quatuor libros ſententiarum , & Centiloquium Theologicum . . . Gregorius de Arimino Ord. Eremit. S. Aug. Commentaria in I. & II. librum ſententiarum.

Seculo XV. ſcripſerunt: Petrus ab Alliaco, Cameracenſis Epiſcopus, dein Cardinalis, commentarios breves in IV. libros ſententiarum, & Quæſtiones ſeu principia in eosdem. . . . Joannes Charlierius de Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, compendium Theologiæ. . . . Joannes Capreolus Ord. Præd. commentaria in IV. libros ſententiarum. . . . Raynerius Piſanus Ord. Præd. ſummam univerſæ Theologiæ. . . . S. Antoninus Ord. Præd. Archiepiſcopus Florentinus, ſummam theologicam in quatuor partes diviſam. . . .

Seculo XVI. ſcripſerunt: Thomas de Vio, patria Cajetanus, Cardinalis, Commentaria in totam ſummam D. Thomæ .... Dominicus Sotus, Ord. Præd. commentaria in Quartum ſententiarum & libros decem de Juſtitia & Jure. . . . Bartholomæus a Medina, Ord. Præd. Commentaria in D. Thomæ primam ſecundæ ac tertiam partem. Tom. duos . . . Franciſcus Victoria Ord. Præd. in univerſam Summam D. Thomæ Relectiones tredecim, in duos Tomos diviſas . . . Melchior Canus Ord. Præd. duodecim libros de locis Theologicis, & Relectiones duas, unam de Sacramentis in genere, alteram de Sacramento pœnitentiæ . . . Ludovicus Molina S. J. celebrem librum de Concordia

dia gratiæ & liberi arbitrii præter ſex tomos de Jure & Juſtitia.

Seculo XVII. ſcripſerunt: Dominicus Bannes Ord. Præd. duos Tomos Diſputationum in primam, & ſecundam ſecundæ D. Thomæ ... Gregorius Valentia S. J. in ſummam D. Thomæ Tomos quatuor ... Gabriel Vasquez S. J. Tomos decem Theologiæ Scholaſticæ & Poſitivæ ... Franciſcus Suarius S. J. Doctor Eximius, & Theologus vix ulli ſecundus univerſam Theologiam Scholaſticam Tom. octodecim ... Paulus Nazarius Ord. Præd. Commentaria in D. Thomam Tom. quatuor ... Petrus Ledesma Ord. Præd. Summam Theologicam, & de divinæ gratiæ Auxiliis ... Leonardus Leſſius S. J. libros quatuor de Jure & Juſtitia, quatuordecim de perfectionibus divinis, & Providentia, de ſummo bono, de gratia efficaci & prædeſtinatione ... Martinus Becanus S. J. Tom. ſex Theologiæ Scholaſticæ ... Didacus Ruiz de Montoya S. J. Tomos quinque de Dei ſcientia, & voluntate, Trinitate, Prædeſtinatione, & Providentia. ... Hieronymus Faſolus S. J. tomos tres in primam partem D. Thomæ. ... Adamus Tannerus S. J. in ſummam D. Thomæ tomos quatuor. ... Ludovicus Mæratus S. J. tria volumina theologica

. . . . Philippus Gamachæus, Doctor Sorbonicus Theologiam univerſam tomos tres. . . . Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus Theologiam univerſam Tom. duos. . . . Gregorius Martinez Ord. Præd. commentarios in D. Thomam . . . Nicolaus Yſambertus Doctor & Socius Sorbonicus Theologiam univerſam, Tomos ſex . . . Joannes Ildephonſus Baptiſta, Ord. Præd. Commentaria in S. Thomam, Tomos tres . . . Joan. Martinon S. J. Tomos quinque Theologiæ Scholaſticæ . . . Joannes Poncius Ord. Min. Curſum Theologiæ Scotiſticæ . . . Antonius Perez S. J. ob ingenium ſublime dictus Doctor mirabilis varios in omnem materiam Theologicam Tractatus, pluribus tomis comprehenſos . . . Rodericus de Arriaga, S. J. Pragæ Theologus & Academiæ Cancellarius univerſam Theologiam, Tomos octo . . . Gregorius de Rhodes S. J. Theologiæ Scholaſticæ Curſum, Tomos duos . . . Joan. Baptiſta Gonet, Ord. Præd. Clypeum Theologiæ Thomiſticæ, Tomos ſex . . . Franciſcus Amicus S. J. in Collegiis Aquilano, Neapolitano, Græcenſi & Viennenſi Profeſſor: Tomos novem Theologiæ Scholaſticæ . . . Bernardus Aldreti, S. J. Theologiæ curſum, Tomos quatuor . . . Sfortia Pallavicinus S. J. Cardinalis Aſſertionum

Theologicarum libros octo in quin-
volumina diſtributos præter tomum
ı Diſputationum in primam ſecundæ
ıomæ . . . Joannes de Lugo S. J. Car-
is, ſeptem Tomos Theologicæ do-
e . . . Theophylus Raynaudus S. J.
ndecim Thomos, quorum primi
ιue Theologiam continent . . . Dio-
s Petavius S. J. Theologiæ Dogma-
Auctor primus, Tomos quinque . . .
ıratus Fabri S. J. Summulas Theolo-
, earumque Tractatus novem . . .
ıs de Godoy, Ord. Præd. Theologiæ
ɔs ſeptem . . . Thomas Comptonus S. J.
ırſam Theologiam, Tomos duos . . .
hus Zagaglia de Ferraria, Ord. Car-
Curſum Theologicum ad mentem
ıis, Tomos ſex . . . Gaudentius Bon-
i Ord. Capuc. Theologiam Schola-
n ad mentem D. Bonaventuræ, To-
ſeptem . . . Bartholomæus Maſtrius
Medulla, Ord. Min. Diſputationes
logiæ Scotiſticæ, Tomos quatuor . . .
ırdus Sannius, Ord. Min. Curſum
logicum ſcholæ Scotiſticæ, Tomos
ıor . . . Cœleſtinus Sfondrati, Ord.
ned. Cardinalis, e cujus MSS. col-
s fuit Curſus Theologicus Sangallen-
tomulis decem, præter alia monu-
a Theologica, quæ typis dedit . . .

 Ri-

Richardus Arsdekin S. J. Theologiam tripartitam, Tom. tres. . . Sylveſter Maurus S. J. Opus Theologicum diſtributum in tres Tomos. . . Martinus de Esparza S. J. Tomos duos univerſæ Theologiæ. . . . . Joannes Martinus de Ripalda S. J. Tomos tres de Ente ſupernaturali, & unum de virtutibus Theologicis. . . Ludovicus Thomaſſinus, Presbyter Congr. Orat. D. Jeſu, Theologiam Dogmaticam de Deo & Incarnatione Tomos duos, præter alios tres de Beneficiis. . . Collegii Salmanticenſis FF. Carmelitarum Diſcalceatorum curſus Theologicus, Tomo duodecim. . . Joannes Baptiſta Du Hamel, Regiæ ſcientiarum Academiæ Pariſinæ ſocius Theologiam ſpeculatricem & practicam tom. ſeptem. . . . Bonifacius Maria Grandi Ord. Præd. curſum Theologicum, Tomos tres. . . Joſephus Saenz de Aguirre Ord. S. Benedicti, Theologiam S. Anſelmi, Tomos tres. . . . Jacobus Granado S. J. Theologiam univerſam, Tomos quinque. . . . Chriſtophorus Haunoldus S. J. Theologiæ ſpeculativæ totius libros quatuor. . . . Jacobus Platellius S. J. Synopſin Theologicam tom. quinque. . . . Thyrſus Gonzalez S. J. Præpoſitus Generalis, ſelectarum ex Theologia univerſa diſputationum Tomos quatuor

tuor. . . . Paulus Mezgerus Ord. S. Benedicti, Salisburgenſis Profeſſor Theologiam Scholaſticam ad mentem D. Thomæ, tomos quatuor. . . . Joan. Baptiſta Gormaz S. J. in pluribus Hiſpaniæ Academiis & Romæ Profeſſor, Curſum Theologicum.

Seculo XVIII. ſcripſerunt: Dominicus Viva S. J. Theologiam univerſam in octo partes diſtributam, editionis quartæ. . . . Joannes de Ulloa S. J. in Complutenſi & Romana Univerſitate Profeſſor, Theologiam Scholaſticam, Tomos ſex. . . . Edmundus Simonet S. J. Univerſitatis Muſſipontanæ Cancellarius, Theologiam univerſam, Tomos tres. . . . Martinus Grandin, Doctor & Socius Sorbonicus, univerſam Theologiam, Tomos quinque . . . . Antonius Boucat, Ord. S. Franc. de Paula, Theologiam Patrum Dogmatiecam Scholaſtico Poſitivam, Tomos quinque. . . . Joannes Marin S. J. Complutenſis Primarius Profeſſor, Theologiam Scholaſticam, Tomos tres. . . . Franc. Ant. Kamperger S. J. Pragæ & Olomuzii Profeſſor & Cancellarius Univerſitatis, Quæſtiones & Reſponſa in univerſam Theologiam, Tomos duos. . . Joſephus Perimezius Ord. Min. S. Franc. de Paula, Diſſertationes ſelectas in S. Scien-

tiam Hiſtoricas, Dogmaticas, Theologicas, Tomos octo. . . . Honoratus Tournely, Doctor & Socius Sorbonicus, magnum inter Theologos Recentiores nomen, Prælectiones Theologicas, Tom. quatuordecim. . . . Vincentius Ludovicus Gotti Ord. Præd. poſtea Cardinalis Theologiam Scholaſtico Dogmaticam, Tom. ſedecim. . . . Joſephus de Aravio S. J. Ulyſſiponenſis Profeſſor, Univerſam Theologiam, Tomos tres. . . . Antonius Mayr S. J. Ingolſtadienſis Profeſſor & Stud. Præf. Theologiam ſcholaſticam univerſam, Tom. octo. . . . Aurelius Piette, Ord. Erem. S. Auguſtini, Theologiam, Tom. ſex. . . Fortunatus Venerius, Presbyter Congr. S. Pauli Barnabita, Theologiam univerſam Tom. octo. . . . Carolus Renatus Billuart, Ord. Præd. ſummam D. Thomæ Tom. novendecim. . . . Creſcentius Criſperus Ord. S. Franciſci, Theologiam ſcholæ Scotiſticæ, Tomos quatuor. . . . Euſebius Amorth, Can. Reg. S. Auguſtini Curſum Theologicum. . . . Laurentius Alticotius, S. J. Summam Auguſtinianam, Tom. ſex. Alios, qui magna cum laude ac doctrinæ fama diverſa opera Theologica de variis ejusdem materiis in lucem dedere, duobus præſertim ultimis ſeculis, ſilentio præterire tum an-

guſtiæ

guſtiæ loci, tum copia Scriptorum nos cogit: e ſola Societate Jeſu usque ad annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum quintum ultra centum enumerat Sotvellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

CAPUT VIII.

THEOLOGIA HISTORICA SEU CONTROVERSIÆ CELEBRIORES THEOLOGORUM PARTIM CUM HÆRETICIS, PARTIM INTER SE IPSOS.

§. I.

Controverſia cum Arianis.

CV.

Quemadmodum vaſtis Imperiis & Provinciis, ita & late patenti regno Literario, præſertim Reipublicæ Theologicæ, nunquam bella defuerunt, partim hoſtilia, partim civilia. Omni fere Catholicæ Eccleſiæ ſeculo in armis ſtandum erat Theologis adverſus juratos ejusdem hoſtes, nimirum hæreticos; ultimis etiam inter ipſos lites & diſcordiæ non levis momenti

gatum fuit. Quievit poſt hæc tantiſper tempeſtas, Ario e civitate Alexandrina velut in exilium migrante, ac pœnitentiam ſimulante: quod quum ſerio agi crederet Conſtantinus Imperator, Arium in Eccleſiam Conſtantinopolitanam admitti juſſit. Sed hic, dum ad Eccleſiam ovans properat, e via declinans alvum exonerandi cauſſa, repentina effuſione viſcerum infamem vitam pari morte Judæ Proditoris inſtar concluſit circa an. 336. vel ut alii cenſent 340. At non cum Auctore extinctum eſt ipſum malum, ſed poſt mortem Conſtantini M. imperante Conſtantio gliſcens ſub cineribus flamma in apertum incendium erupit, hæreſis favente Auguſto larvam detraxit, & Imperatorum aliquot Regumque, quos infecerat, auctoritate fulta totum prope orbem in partes ſuas, errorisque contagium tractura videbatur. Fautores enim habuit Conſtantium & Valentem in Oriente, Juſtinam Imperatricem in Occidente: Reges Vandalorum in Africa; Viſigothorum & Suevorum in Hiſpania, ac denique Longobardorum in Italia. Triſtem rerum faciem graphice deſcribit Vincentius Lirinenſis (r) inquiens: „ Venenum non „ jam portiunculam quandam, ſed pene „ to-

(r) *In Commonit. Arianorum.*

„ totum orbem contaminaverat, adeo
„ ut prope cunctis latini ſermonis Epi-
„ ſcopis partim vi partim fraude deceptis
„ caligo quædam mentis offunderetur,
„ quidnam potiſſimum in tanta rerum
„ confuſione ſequendum foret . . . Cum
„ namque profana ipſa Arianorum novi-
„ tas, velut quædam Bellona aut furia
„ capto prius omnium Imperatore (Con-
„ ſtantio) cuncta deinde Palatii culmina
„ legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam
„ deinceps deſtitit univerſa miſcere. . .
„ Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ
„ viduæ, profanatæ Virgines, monaſte-
„ ria demolita, diſturbati Clerici, ver-
„ berati Levitæ, acti in exilium Sacer-
„ dotes, oppleta Sanctis ergaſtula, car-
„ ceres, metalla: quorum pars maxima
„ interdictis urbibus protruſi atque ex-
„ torres inter deſertas ſpeluncas, feras,
„ ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, at-
„ triti, & tabefacti ſunt &c. „

CVI.

Tantum valuit in hac rerum perturbatione hæreſis iſtius violentia: ſed plus nocuiſſe viſa eſt malitia. Quippe Ariani & Semi-Ariani varias fidei formulas conceperunt edideruntque, tredecim ſcilicet

aut

aut quatuordecim, nusquam tamen inter ſe cohærentes, partim ut a moleſtis, quibus eos urgebant Concilia & Epiſcopi ſincere Orthodoxi, inquiſitionibus ſe liberarent, partim ut Catholicos, maxime Principes, minus cautos in ſuas partes traherent. In his Filius modo Deus, modo æqualis cum Patre ſubſtantiæ, nunc Patri per omnia æqualis, nunc ſimilis, modo diſſimilis, nunquam *Conſubſtantialis* dicebatur, quam tamen vocem Nicæni Patres tanquam teſſeram ſeu ſymbolum Catholicæ communionis exigebant, quamque qui neſciret, alienus a orthodoxia haberetur. Ipſum ſane Conſtantinum M. quamvis nunquam a fide Nicæna defecerit, occultis artibus eo deduxerunt, ut nimium credulas aures præbuerit accuſatoribus magni Athanaſii, cujus in exilium abeuntis intrepida hæc ad Imperatorem verba fuerunt: *Dominus judicabit inter te & me, quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ*, ut refert Epiphanius (s). Has inter fraudes & ſimulationes continuo crevit ac latius ſe ſe explicavit hæretica lues, atque ex Arianismo tanquam uno trunco tres præcipue rami prodierunt: primus fuit Aetianorum, qui duce Aetio purum Arianismum

(s) *Hæreſi* 68.

ıum profitebantur, Filium Dei nec ejus-
em cum Patre ſubſtantiæ, nec ei ſimi-
m eſſe dicentes; in qua etiam hæreſi
ıerunt Eudoxiani & Eunomiani. Alter
ait Semi-Arianorum, quorum princeps
ıit Baſilius Ancyranus, qui Filium Dei
ὁμοιούσιον, hoc eſt, ſimilem in ſubſtantia
dmittebant, neutiquam tamen *conſub-
ſtantialem*, ſeu ejusdem ſubſtantiæ. Ter-
ius error inter duos veluti medius erat
orum, qui Filium Dei nec *conſubſtan-
tialem*, nec ſimilem in ſubſtantia voca-
ant, quamvis Deum eſſe concederent in
enſu quodam minus proprio & allegorico,
ere ea qua ſcriptum eſt ratione: *Ego
ixi, Dii eſtis vos, & filii Excelſi om-
es* (t). Præcipua hujus ſectæ capita fue-
ant Urſacius & Valens, in Concilio Ari-
ıinenſi, quod *bono initio, fœdo exitu
onſummatum* ſcribit Severus, damnati;
uorum errores ſeculo XV. in Polonia
enovarunt Joannes Crellius, & Michael
ervetus Genevæ comprehenſus, & vi-
us exuſtus. Nunquam tamen Ariana
æreſis plus invaluit, quam poſt Arimi-
enſe, quod dixi, Concilium, quando
Occidentis Epiſcopi quadringenti & am-
lius, qui Ariminum ſimul convenere,
par-

(t) *Pſalm.* 81.

„ currebant Epiſcopi, qui Ariminenſibus „ dolis irretiti ſine conſcientia hæretici „ ferebantur, conteſtantes corpus Domi- „ ni, & quidquid in Eccleſia ſanctum „ eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpica- „ tos &c.„ Receptis igitur in Eccleſiæ ſinum iis, qui receſſerant, vel receſſiſſe viſi ſunt, aliquamdiu malacia frui licuit, cui tamen brevi atrocior quam antea tempeſtas ſucceſſit ſub Valente, qui a fratre Valentiniano in conſortium Imperii admiſſus fuit. Hic Arianorum conſuetudine ac conjugis blanditiis ſeductus, addente ſtimulos Eudoxio, qui Conſtantinopolitanam ſedem invaſerat, crudeliſſima Neronum ac Diocletianorum tempora in Orientem revocare viſus eſt, Epiſcopis in exilium pulſis, aliisque Orthodoxis maxime Monachis Ægyptiis vario mortis genere ſublatis. Non minus in Occidente Juſtina Valentiniani Senioris uxor poſt mariti Catholicæ fidei tenaciſſimi mortem Arianum virus diſſeminavit, vexato crudeliter Ambroſio Mediolanenſi Antiſtite, donec tandem in Oriente Theodoſius ſupremam evertendæ huic hæreſi manum admovit, impetrata a Damaſo Pontifice Synodo Oecumenica, quæ Conſtantinopolitanarum quidem prima eſt, Univerſalium vero ſecunda:

da: in Occidente autem Valentinianus Junior, Princeps animo & exemplo vere Catholicus. Ita grande hoc hæreſis monſtrum annis fere ſexaginta & octo poſtquam exortum fuerat, denique proſtratum fuit, modicis omnino reliquiis poſt ſe relictis. Contra hoc animo non fracto præditi, & armis ſacræ doctrinæ inſtructi in aciem prodierunt antiqui Patres ac Theologi, quorum dux erat S. Athanaſius, extrema quæque pro fide Catholica perpeſſus, variis orationibus, epiſtolis, & diſputationibus contra Arianos & Arianam hæreſin editis. De ſymbolo fidei, quod Athanaſio paſſim tribuitur, dubitant nonulli, nec ſine omni fundamento, eo quod Auctor ſymboli ipſo velut in limine aggrediatur hæreſin Neſtorii, in Chriſto naturas confundentis, qua tamen hæreſi orta mortuus jam erat Athanaſius, nec quiſquam ſymboli hujus ante Hincmarum, qui ſeculo nono vixit, meminerit. Præter Athanaſium ſtrenui pugiles fuere D. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, libris duodecim de Trinitate ſcriptis: S. Phæbadius, ſecundus in Aquitania Aginnenſis Epiſcopus, uno in Arianos edito de Trinitate libro: S. Gregorius Nazianzenus orationibus variis: S. Ambroſius libris quinque ad Gratianum Imperato-

rem exaratis, & S. Auguſtinus, qui in Concione ad Catechumenos contra Judæos, Paganos & Arianos mirum in modum exagitat Arium ipſum, contendentem Filium Patre minorem eſſe ex illis Chriſti verbis: *Pater major me eſt* (y). Locus Auguſtini memoratu digniſſimus eſt. alloquens Arium ita inquit: *Ipſe dixit, Pater major me eſt: quia non intelligis, ideo tibi male ſonat, quod bene dixit. Vide quando hoc dixit: in ſuſceptione humanæ naturæ poſitus hoc dixit; tunc dixit: Pater major me eſt, quando dixit: triſtis eſt anima mea usque ad mortem: tunc dixit, Pater major me eſt quando flevit, quando laſſatus eſt, quando eſurivit, quando ſitivit . . . in ſuſceptione hominis minor eſt non ſolum patre, ſed & Angelis; æqualis in forma Dei; minor in forma ſervi; æqualis cum Patre, creans Angelos; æqualis cum Patre homines faciens; æqualis cum Patre novum conſtituens mundum: minor Patre perditum reparans mundum; æqualis cum Patre vitam largiens æternam, minor Patre mortem ſuſcipiens noſtram.* Hæc omnia ſi paucis complecti velimus, aliud non indicant, quam Chriſtum æqualem eſſe cum Patre ut Deum, minorem Patre

tre

(y) Conc. ad Catechum.

tre ut hominem. Profecto hoc ipſum eſt teſtimonium omni exceptione majus, quod ipſe Dei Filius præbuit de ſe quidem ut Deo, dum dixit: *Ego & Pater unum ſumus* (z). de ſe autem ut homine, dum ait: *Pater major me eſt* (a).

§. II.

Controverſia cum Pelagianis, & Semi-Pelagianis.

CVII.

Pelagius e majori Britannia oriundus (quem S. Proſper *Britanniæ colubrum* vocat) profeſſione Monachus erat, non eorum e numero, qui vel in cœnobiis aut eremo, ſed qui religioſam in ſuis ædibus vitam agebant. *Suum*, ut Lindanus loquitur, *diu coxit ſub Monachali pallio venenum*. Ejus indolem verſipellem vivis ſane coloribus depingit Joannes Garnerius S. J. (b) „ Hæc, inquit, „ Pelagio erant artes hæreſin diſſemi„ nanti. Nihil de ſuis myſteriis aperte „ vulgo credere, ſed fidis tantum auri„ bus. Si quid dogmatum emanaſſet in „ publicum, negare palam, quod in cu„ bicu-

(z) *Joan.* 10. (a) *Joan.* 14. (b) *in Commentario.*

„ biculis doceret. Si aperte proponen-
„ dus error, alienam induere perſonam,
„ ſi ſuo nomine loqui cogeretur, dubi-
„ tantis more, timideque afferre, de
„ quo ſimularet, ſe velle doceri. Si ex
„ libris argueretur cujusdam aſſertionis,
„ libros cauſari vel non eſſe ſuos, vel
„ prius ſubreptos, quam emendarentur.
„ Si ex confeſſis urgeri contingeret, ſen-
„ tentias interpretari verbis perplexis,
„ & in ſpeciem Catholicis. Si neceſſi-
„ tas foret Eccleſiæ nonnulla damnanti
„ conſentire, damnare omnia libenter,
„ ſed ut ajebat, Eccleſiæ ſenſu, id eſt,
„ eo quem poſtea fingeret ad arbitrium.
„ Si aliquando fidem exponere deberet,
„ copioſe proſequi plurima, de quibus
„ non interrogaretur: de re vel nihil
„ vel ambiguum quiddam loqui. Imitari
„ ſerpentes, qui ut ait Oroſius (c), cum
„ tuendi ſolius capitis cauſa reliquum
„ conciſioni atque injuriæ corpus oppo-
„ nunt, nihil damni arbitrantur, ea tan-
„ tum ſui parte a periculo libera, quæ
„ multimodas venenatasque in ſe obti-
„ net linguas, etiamſi membris omnibus
„ amputentur.„ Eadem de indole Pela-
gii mens erat D. Hieronymo & S. Pro-
ſpero, quorum prior (d) *ſolam hanc* ſcri-
bit

(c) *Apologet. c.* 1. (d) *epiſt. ad Cteſiphont.*

bit *hæreſin eſſe, quæ publice loqui erubeſceret, quod ſecreto tradere non timeret.* Poſterior autem (e) ait:

Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Ingenium itaque Pelagii non minus fraudum quam errorum ferax erat, qui ſane multiplices fuere: Primo enim docuit, ad obtinendam ſalutem naturam hominis ſibi ſoli ſufficere absque omni gratia. Quum vero hoc dogma offenderet aures omnium Catholicorum, qui propterea Pelagium accuſarunt in Concilio Dioſpolitano, citatus ac doctrinæ poſtulatus ut meritas pœnas atque cenſuras declinaret, publice in eo profeſſus & neceſſitatem gratiæ; atque ita abſolutus & liber dimiſſus fuit velut negotio peracto. At diſcuſſo periculo brevi ad genium rediit. Nam domeſticos intra parietes quatuor libros de libero arbitrio elucubravit, in quibus ſecundum errorem docuit, quod gratia non ſit aliquid ab ipſo libero arbitrio hominis diſtinctum, & hanc ſolam gratiam eſſe neceſſariam, nempe liberum arbitrium, quo ſolo benigne collato in plena dein hominis poteſta-

(e) *Carm. de ingratis.*

teſtate collocata ſit ejus ſalus, quin ulla alia gratia requiratur. Quum vero rurſus ob ſequiorem hanc doctrinam a Patribus graviter corriperetur, tandem admiſit gratiam aliquam a libero arbitrio diſtinctam, huicque ſuperadditam. Verum mox in tertium errorem prolapſus eſt, dum hanc gratiam nihil aliud eſſe docuit, quam doctrinam, legem Evangelicam, & exemplum Chriſti: legem eſſe lucernam lucentem foris ad ineundam viam mandatorum dei, doctrinam autem ſeu inſtitutiones Evangelicas depellere tenebras ignorantiæ noſtræ. Sed quum ne ſic quidem acquieſcerent Catholici, cum Auguſtino cæteriſque Patribus aſſerentes: Evangelium, legem, & exemplum Chriſti non ſufficere ad ſalutem hominis, ſi abeſſet gratia, qua iſta cognoſcere, atque amplecti poſſet, ulterius progreſſus fraudum artifex admiſit denique etiam *revelationem*, & peccatorum remiſſionem: præter hæc autem nihil, quod rationem gratiæ haberet. Atque hic proin quartus error erat Pelagii, mox rejectus a Concilio Milevitano (f) in quo damnabantur dicentes, quod *gratia Dei præciſe valeat ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, non autem*

(f) *Can.* 3.

tem valeat in adjutorium aliquod, ne committantur. Videns itaque omnes circa gratiæ explicationem vias ſibi eſſe præcluſas, tandem in eam, quam Patres adſtruebant, conſenſit, non tamen absque novo, id eſt, quinto errore, dum illam non eſſe ſimpliciter ad ſalutem hominis & actus ſalutares neceſſariam aſſeruit, ſed duntaxat ad melius eſſe, ſeu ad bonum facilius operandum. Paullo poſt quinto etiam ſextum errorem ſuperaddidit, omnium graviſſimum, docens gratiam in quocunque demum conſiſteret, homini intuitu meritorum ſuorum conferri, eamque ab his pendere, ita ut homo gratiam ſibi ſuis quaſi ſumtibus procuret. Atque hæc vera effigies eſt perverſæ de gratia doctrinæ, quam Pelagius ſparſit, nec non errorum illius ſeries. Non ſolum autem in gratiæ negotio, ſed in aliis quoque Catholicis dogmatibus graviter hallucinatus eſt Pelagius cum ſuis, quemadmodum patet ex Auguſtino (g): „ Tria ſunt, inquit S. „ Doctor, quæ maxime adverſus eos „ (nimirum Pelagianos) Catholica de„ fendit Eccleſia, quorum unum eſt, „ gratiam Dei non ſecundum merita „ noſtra dari, quoniam Dei dona ſunt, „ &

(g) *L. de dono perſev. c. 2.*

„ & Dei gratia etiam conferuntur me„ rita univerſa juſtorum. Alterum eſt, „ in quantacunque juſtitia ſine qualibus„ cunque peccatis in hoc corruptibili „ corpore neminem vivere. Tertium „ eſt, obnoxium naſci hominem pecca„ to primi hominis, & vinculo damna„ tionis obſtrictum, niſi reatus, qui ge„ neratione contrahitur, regeneratione „ ſolvatur „. Ex quibus palam fit, docuiſſe Pelagium cum aſſeclis ſuis non ſolum, gratiam Dei haud eſſe neceſſariam ad ſalutem, eamque homini non gratis, ſed ob merita ſua conferri, verum etiam Adamum a Deo creatum ſibi ſoli nocuiſſe per peccatum: poſteris vero non propagatione peccati, ſed malo duntaxat exemplo; ac proinde infantes ſine baptiſmo decedentes non privari æterna vita: porro, tantas eſſe liberi arbitrii vires, ut homo iis ſolis inſtructus poſſit omnia dei præcepta implere, juſtus permanere, ac ſine gratiæ auxilio ſalutem conſequi. Paucis alio in loco verbis rem totam complexus eſt idem Auguſtinus, dicens ſententiam Pelagii fuiſſe: *naturam hominum neque in parvulis egere medico, quia ſana eſt; neque in adultis gratiæ adjutorio, quia ſibi ſufficiens eſt ad ſalutem.* Cætera propugnatores perverſorum dogma-

dogmatum habuit Pelagius in paucis ſtrenuos, ſcilicet præter Anianum, quem Origenes *Pelagii Armigerum* vocat, Cœleſtium & Julianum. Prior incertæ gentis ac patriæ, primum Cauſidicus, dein Monachus & Pelagii diſcipulus, ſed Magiſtro audacior non clam, ſed palam & aperte hæreſin docuit, & dum Pelagius per Aſiam, iſte per Africam venenum ſparſit. Alter Julianus de proſapia Æmiliorum Capuanus, vel ut alii ſcribunt, Eclanenſis Epiſcopus, teſte Gennadio vir fuit ingenio & eruditione magnus, ſed Pelagianæ doctrinæ veneno ita plenus, ut contra Auguſtinum & Catholicam fidem pro tuendis Pelagii placitis varios in lucem dederit libros, quibus *velut alter David adverſus Goliath in aciem egreſſus eſt, ut pugnas omnium utriusque contentio dirimeret.* Hæc quam ſuperbe jactabat Julianus, tam modeſte Auguſtinus *Abſit*, reſpondebat, *ut mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Unus ſum e multis, qui profanas veſtras novitates, ut poſſumus, refutamus.* Verum duos pariter Oppugnatores acerrimos Pelagiana hæreſis nacta eſt, Hieronymum, & hunc ipſum Auguſtinum, qui doctiſſimis voluminibus conſcriptis, ſuſceptisque

cer-

certaminibus ejus veſtigia ubique premebant ſimul & opprimebant. Ut de Auguſtino duntaxat loquar, (qui eodem die natus in Africa fuit, quo Pelagius in Britannia) ſcripſit adverſus Pelagianos primo tres libros de peccatorum meritis & remiſſione ad Marcellinum: ſecundo librum de ſpiritu & litera, longamque epiſtolam ad Hilarium: tertio poſt Concilium Dioſpolitanum librum de geſtis Pelagii. Hoc vero per Papam condemnato librum unum edidit de natura & gratia, alterum de peccato *originali*, ac tertium de nuptiis & *concupiſcentia*; quem quum libris quatuor refelleret Julianus (in occidente alter Pelagius) totidem illi libros oppoſuit D. Auguſtinus. Non minus in Conciliis male mulctata eſt hæreſis iſthæc, quorum viginti quatuor ante Epheſinum Oecumenicum contra errores Pelagii atque Cœleſtii celebrata fuiſſe aſſerit Granerius. Inter hæc eminuerunt Carthaginenſe unum anno 416. celebratum, eodemque Milevitanum, cujus utriusque Concilii geſta ad Innocentium I. Pontificem fuere delata probataque, ita ut Auguſtinus (h) exclamare auditus fuerit: *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde*

(h) *Serm. 2. de verb. Apoſt.*

inde etiam reſcripta venerunt : cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error. Sed ut varſatilis eſt in omnem partem hæreticorum indoles, Pelagiani ſingularia duntaxat fuiſſe Concilia, nec aliunde ſatis libera queſti, inaudito ad hæc poſtrema usque tempora exemplo octodetim Epiſcoporum ſuffragiis ad Oecumenicam Synodum provocarunt. At clamores eorum contempſit Eccleſia. Ubique terrarum Eccleſiaſtica ſimul & Imperatoria ſententia perculſi, ab urbe ac communione fidelium extorres facti ſunt; quamvis nec eorum damnationi defuerit Concilium quoque Oecumenicum, ſcilicet Epheſinum, celebratum an. 431. contra Neſtorium, in quo ejusdem Amicorum Pelagii ac Cœleſtii errores ſimul fulmine vaticano percuſſi fuerunt.

CVIII.

Ex hac hæreſi Pelagiana velut ex ovo male fauſto alius non impare partu pullus prodiit, nimirum hæreſis Semi-Pelagiana, exorta Maſſiliæ, atque aliis in Gallia Narbonenſi locis vicinis; unde Semi-Pelagianis nomen Maſſilienſium adhæſit, quia Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyteri fuerunt, primusque illorum dux Maſſiliæ Epiſcopus. Venenum hauſerunt e li-

e libro D. Auguſtini *de Correptione & Gratia* ad Monachos Adrumeticos ſcripto, e quo hæreſis ſuæ antidotum promere debuiſſent. Putabant ſcilicet Auguſtinum nimium tribuere virtuti gratiæ, contra nimis extolli a Pelagio vires liberi arbitrii. Mediam igitur ineuntes viam cum Pelagianis initium ſalutis, juſtitiæ, ac fidei e ſolis naturæ viribus procedere docuerunt; cum Catholicis vero faſſi ſunt, reliquum ſalutis non ſoli naturæ, ſed gratiæ adſcribendum. Subtrahebant hac ratione homines nefarii aliquid gratiæ Dei, nec totum quod ſibi debuerunt, illi tribuebant, uti obſervat præclare D. Proſper (i) inquiens: *non aliud habet ſumma, quam portio; & eſt devotionis dediſſe prope totum, & fraudi retinuiſſe vel minimum.* Atque hic primus error illorum fuit, ac fundamentum cæterorum. Alter erat, quod dicerent, Deum quidem velle omnes ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, tamen illos ſolum ſalutem conſequi, qui ex viribus naturalibus ſui proprii arbitrii crediderunt in Deum, eumque invocarunt, atque ita ex merito proprio ſibi debitam fecerunt ulteriorem gratiam juſtitiæ ac ſalutis. Quum

ve

(i) *Contra Collatorem.*

vero urgerentur a Patribus, cur Evangelium prædicatum fuerit potius his gentibus quam aliis, licet ad hanc prædicationem nullius gentis merita præcesſiſſent, in tertium errorem lapſi ſunt reſpondentes, hoc inde fieri, quod Deus prævideret has gentes, ſi audirent Evangelium, illud recepturas ex naturalibus viribus ſui liberi arbitrii, ſicque merituras eſſe ſuam ſalutem & gratiam: alias vero gentes Evangelium repudiaturas &c. Diſplicuit merito doctrina hæc Patribus, ac denuo inſtabant: quare aliqui ex parvulis morirentur ſine baptismo, alii cum baptismo, quamvis neutri haberent aliquid meriti vel culpæ e naturalibus liberi ſui arbitrii viribus? repoſuerunt addentes quartum errorem: hoc inde proficiſci, quod Deus prævideret, aliquos ex hoc parvo grege ſi ſupervixiſſent, male acturos, & virium propriarum conatu ſibi gratiam & ſalutem non fore comparaturos. Hinc permittere Deum, ut baptismi expertes ex hac vita ſubito migrarent: alios vero conaturos fuiſſe viribus ſuis naturalibus, ut gratiam & ſalutem ſibi debitam facerent, atque hos mori prius baptismi ſacramento expiatos. Quare tam quod ad parvulos, quam quod ad adultos adtinet, initium ſalutis in meritis ſolum naturali-

invidiam impoſuere: ſed poſtquam quæ hæreticorum iſtorum circa gratiam doctrina, quæ mens fuerit, melius edocti fuerunt tum ab Adverſariis, tum a Domeſticis, præſertim a Natali Alexandro, vix modo aliquos reperire eſt, qui hanc dicam ſcribant, niſi illi, qui novi quid, quod ſolide opponant, non invenientes antiquatas ex antiquis auctoribus ſuis nænias exſcribunt.

§. III.

Controverſia cum Neſtorianis, Eutychianis, & Monothelitis.

CIX.

De primis canit S. Proſper:

Neſtoriana lues ſucceſſit Pelagiana.

Natale ſolum fuit Neſtorio Germanicia Syriæ oppidum, profeſſio autem vitæ Monaſticæ in cœnobio S. Euprepii, cujus tunc temporis Antiochiæ celebre nomen erat: ibi bonis artibus piiſque moribus informatus eloquentiæ laude florebat, peregrinus tamen in ſacris Scripturis, & SS. Patrum placitis. Inde eductus primum ad Presbyterii. tum etiam Clero in partes diviſo ad Patriarchæ Conſtantinopoli-

politani ſublimen gradum adnitente Theodoſio Juniore evectus Siſinnio ſucceſſit, vultus pallore, corporis macie, & veſtium neglectu ſanctitatis Apoſtolicæ mentientem imaginem præſeferens. Principio quidem auctor fuit Theodoſio, ut hæreticos, aliosque homines nefarios novis legibus proſcriberet, ſic eum adloquens in ſua, quam habuit, prima oratione: *Da mihi Imperator puram ab hæreticis terram, ego cælum viciſſim dabo; everte mecum hæreticos, ego tecum Perſas evertam.* Sed quod hominum arrogantium eſſe ſolet fatum, paullo poſt ipſe hæreſiarcham induit. Quatuor præcipue peſtilentis, quam diſſeminavit, doctrinæ capita fuerunt. Primum, *Incarnationis* myſterium aliud haud eſſe, quam ut ita dicam, habitationem Dei in homine. Alterum, cum Theodoro Mopſueſteno, ac Diodoro Tarſenſi, vel ut aliis placet, Paullo Samotſetano duas in Chriſto perſonas eſſe docuit, eumque velut diviſit in Filium Dei, & hominis filium: ambos hos autem non vera & *ſubſtantiali unione*, ſed morali aliquo ſecundum dignitatem nexu, & participatione nominis a perſona Verbi derivata copulatos eſſe. Tertium, negavit Deum paſſum eſſe aut mortuum, *Redemptionis*

Antiocheno, & adjutoribus Iræneo ac Candidiano Comitibus, qui parum memores mandati, & Neſtorianis ſupra modum addicti maximopere turbarunt Concilium Epheſinum, cujus auctoritatem tueri debuiſſent. Horum fraudibus circumventus ipſe Princeps tum Neſtorium, tum Cyrillum ac Memnonem in cuſtodiam tradi juſſit, utpote quos omnes in utraque Synodo legitime damnatos credidit. Sed fraude detecta adnitente Pulcheria Sorore, eximiæ pietatis ac prudentiæ fœmina, Theodoſius ex errorum tenebris, quibus eum Comites involverant, ad lucem veritatis emerſit. Ergo Neſtorianæ factionis Legati dimiſſi: Epiſcopi eidem faventes ad ſuam quisque Eccleſiam abire juſſi: Iræneus & Candidianus exauctorati: Neſtorius Antiochia relegatus mitiori tum quidem exilio, verum quod hæreſin adhuc docere tuerique pergeret, quadriennio exacto in Oaſim, oppidum Lybiæ, locum exilii teterrimum, migrare juſſus eſt, ubi fato incerto ſed miſerrimo periit, blasphema lingua poſt obitum vermibus ſcatente reperta. Divino ſane conſilio factum fuiſſe creditur, quod per Virginem Auguſtam Pulcheriam Deipara Virgo a Neſtorii blasphemiis vindicaretur. Sunt, qui credunt, in Epheſina, de qua dixi

dixi Synodo ad reparandam injuriam Deiparæ a Neſtorianis illatam definitum fuiſſe, ut ſalutationi Angelicæ verba hæc: *Sancta Maria Mater Dei &c.* adjungerentur. Non tamen extincta ſtatim fuit cum Auctore ſuo hæreſis: reliquiæ per totum Orientem diffuſæ ad Indos usque penetraſſe dicuntur, tamque altas ibi radices egiſſe, ut multi etiamnum reperiantur ibi Neſtoriana profitentes dogmata; quamvis non deſint eruditi, qui Neſtorianum, quod apud nonnullos Orientales vigere adhuc fertur, nomen alio e fonte derivari exiſtiment.

CX.

Interea charybdim, ad quam naufragium paſſus eſt Neſtorius, vitare volens Eutyches, in ſcyllam incidit. Hic celeberrimi in Urbe Conſtantinopolitana Monaſterii Archimandrita, dum unam in Chriſto perſonam profitebatur, naturarum in eo diſcrimen tollere aggreſſus eſt, unam uti perſonam, ita & naturam unam illi tribuendam eſſe ratus. Itaque docuit primo, duas equidem ante unionem in Chriſto fuiſſe naturas. Nam hæc duo diſtinguebat, *Incarnationem* & *unionem*. Secundo, mox autem poſt unionem ex utraque natura, divina & hu-

mana, unam coaluiſſe ſubſtantiam, unamque factam eſſe Chriſti naturam, quæ ex duarum commixtione ac confuſione, abſorpta ſcilicet per divinitatem humanitate, reſultaſſet. Tertio, addebat alium abſurdiſſimum errorem, nimirum, Chriſtum non habuiſſe carnem a Maria, ſed carnem illam e cœlis veniſſe, ac proinde Beatiſſimam Virginem nec Deiparam, nec Chriſtiparam dicendam, utpote per quam duntaxat verbum tranſiiſſet. Præcipuam hæreſis hujus partem in compendio exhibet S. Leo Papa, ad quem ſcribere auſus eſt Eutyches, Conſtantinopoli Neſtorianam revixiſſe hæreſin adſtruendo duas in Chriſto naturas, dum hunc in modum illi reſpondit (l): „ Quid prodeſt impudentiſſimo ſeni (Eutycheti) „ Neſtorianæ hæreſeos nomine eorum „ lacerare opinionem, quorum piiſſimam „ convellere non poteſt fidem? cum „ quantum Neſtorius a veritate diſceſſit, „ divinitatem verbi ab aſſumpti hominis „ ſubſtantia ſeparando, tantum a recto „ tramite iſte deſciſcat, qui Unigenitum „ Dei Filium ſic de utero Beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veritas verbo unita non „ fue-

(l) *Epiſt. ad Julianum.*

„ fuerit? de quo prodigio falſitatis quis „ non videat, quæ opinionum monſtra „ naſcantur? Negator enim Mediatoris „ Dei & hominum, Hominis Jeſu Chri„ ſti, neceſſe eſt, ut multis impietatibus „ implicetur, eumque aut Apollinaris „ ſibi vindicet, aut Valentinus uſurpet, „ aut Manichæus obtineat, quorum nul„ lus in Chriſto humanæ carnis credi„ dit veritatem „. Hæreſi huic Eutychianæ ore ac calamo bellum indixere Viri graves ac ſanctitate conſpicui, inter quos Boetius, philoſophiæ ac martyrii laurea inſignis, edito libro, quem de duabus naturis inſcripſit: S. Proſper Aquitanicus exaratis contra Eutychetem diverſis epiſtolis; & memoratus S. Leo Pontifex Romanus, qui his in epiſtola ad Flavianum verbis utitur: *Salva igitur proprietate utriusque naturæ & in unam coeunte perſonam ſuſcepta eſt a majeſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad perſolvendum conditionis noſtræ debitum natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Jeſus & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. Integra igitur veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus: totus*

in

in noſtris. Omnibus vero in damnanda hæreſi Eutychiana palmam præripuit S. Flavianus, Antiſtes Conſtantinopolitanus. Hic ea ipſa in urbe ſynodum celebravit, ad quam triginta & duo Epiſcopi, Abbates viginti tres convenerant. In hac Eutyches ter citatus nunquam comparuit; tandem monachorum & militum armis ſtipatus quum adeſſet, & fruſtra de revocandis erroribus admonitus in hæreſi ſua contumax perſiſteret, communi Patrum ſuffragio damnatus & ſacerdotii honore privatus fuit. Hoc irritatus dedecore Eutyches aliam vindictæ ſumendæ viam init, ac Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, alias Flaviano graviter infenſi opem implorat: nec ſpes fefellit. Quippe Dioſcorus Theodoſio Imperatori ſuggeſſit, rem tanti momenti Concilio indigere Oecumenico, quod etiam repugnante licet Flaviano, & reclamante primum Papa Leone ab Imperatore Epheſi indictum, conſentiente tandem, ut aperti ſchismatis malum evitaretur, Leone, ac Legatos & Epiſtolas eo mittente celebratum fuit, funeſto tamen exitu. Nam Theodoſius Barſumam Archimandritam Dioſcoro familiarem, & Elpidium Sacri Conſiſtorii Comitem ad Concilium illud protinus delegavit, illum ut Monachorum

om-

omnium nomine contra Orientales Epiſcopos, qui Eutychetem damnarunt, ageret: iſtum ut ſynodi defenſor eſſet & cuſtos, ac iis, qui Eutycheti non faverent, judicandi facultatem adimeret. Hac male data poteſtate pejus adhuc uſi ſunt. Nam Dioſcorus & Barſumas militum manu in ſynodum irrumpunt, Notariis acta ſcribentibus digitos fœdum in modum lacerant, tabulas publicas frangunt, Epiſcopos in vincula conjiciunt: Dioſcorus vero homo impotens ut præclaro facinori conoronam imponeret, in Flavianum ad Apoſtolicam Sedem provocantem involat, & inaudito hactenus ſcelere non tantum iniqua damnationis ſententia ferit, ſed etiam calcibus & pugnis ſanctum Præſulem ita contundit, ut poſt triduum plagarum dolore oppreſſus obierit. Divina humanaque jura in hac ſynodo, quam *prædatoriam & latrocinium Epheſinum* ſcriptores vocant, peſſum data fuerunt; Epiſcopi ſæviſſimis minis territi novæ hæreſis adſertione præſtita, Eutychete per ſummam injuriam abſoluto, reſtitutoque in priſtinum gradum, Catholicorum dogmate condemnato, quaſi Chriſto ter negato ex atrio Pilati ſunt egreſſi: reſpiciente tamen eos Domino amare coeperunt flere, quo in luctu biennio fere Orientalis Eccleſia merſa

merſa jacuit. Interea Leo tum a Flaviano prius, tum poſtea ab Hilario Diacono, qui e Legatorum Pontificiorum numero fuerat, quos nulla vis transverſum agere potuit, fuga elapſo rem totam edoctus, coacta Romæ Synodo Acta Conventus Epheſini reſcidit, graviſſimis literis tam ſuis, quam Imperatoris Valentiniani ad Theodoſium datis, ut Concilium Oecumenicum convocetur, in quo eorum, quæ perperam Epheſi geſta fuerunt, palinodia caneretur. Sed nihil a Theodoſio Eutychianis fabulis ac dolis irretito nec literis nec precibus impetratum. Æquiorem ſe præbuit fratre e vivis ſublato Soror Pulcheria, Princeps religioſiſſima, cum conjuge Marciano Viro avitæ pietatis ſtudioſiſſimo, quorum opera Synodus univerſalis Chalcedone coacta fuit ſexcentorum & amplius Epiſcoporum, cui Auguſtus ipſe & Auguſta interfuerunt. Inter prima Concilii Decreta illud fuit, quo Legatis Apoſtolicis flagitantibus Dioſcorus Alexandrinus Antiſtes prolatis per Alexandrinos teſtimoniis devaſtatorum ab ejus ſatellitibus & miniſtris agrorum, incenſarum ædium, abreptarum per vim uxorum & virginum violatarum poſtulatus, non Epiſcopatu tantum dejectus, ſed Sacerdotii quoque miniſterio exutus fuit: deinde in

Bar-

Barſumam Archimandritam, qui maturandæ Flaviani necis auctor erat, conclamatum: Eutyches denuo fulmine anathematis percuſſus, totumque latrocinium Epheſinum diris devotum: Flaviani Sanctiſſimi Epiſcopi, & inter Martyres poſtea recenſiti memoria honorifice reſtituta, cujus exuviæ jam antea Conſtantinopolin translatæ fuerunt: recitata Epiſcoporum prope centum ſuffragia in Conciliabulo Epheſino ab ipſis lata, quæ licet vim metumque cauſſati non tamen ſine ignominiæ nota, ruboreque ſuffuſi audivere; lecta deinum celeberrima Leonis Papæ epiſtola, quam ut inviolabilem Orthodoxi dogmatis normam Patres omnes ſumma veneratione exceperunt, exclamare auditi: *Petrus per Leonem locutus eſt.* Ut autem dogma fidei contra Eutychetis hæreſin fidelium mentibus nunquam excideret, Eccleſia memoriam ejusdem renovat in Symbolo fidei, quod D. Athanaſio adſcribitur, dum profitetur: *Unus non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.*

CXI.

Sepulta videri poterat hæreſis Eutychiana, quum ex illius cineribus nova Mono-

thelitarum, ut vocant, ſurrexit. Rei ſeries hæc eſt: Quum Heraclius Orientis Imperator e bello Perſico victor Hierapolin veniſſet, acceſſit eum Anaſtaſius, quem Jacobitarum Patriarcham dixere, homo admodum vafer & pernicioſus, motisque cum Imperatore fidei ſermonibus multa de Neſtorio duas in Chriſto perſonas, uti & naturas eſſe docente, multa de Eutychete, unam quidem perſonam, ſed unam quoque duntaxat naturam admittente diſſeruit, quum velut improviſo ad aliam delapſus quæſtionem interpellavit Heraclium, an una vel duæ voluntates ac operationes in Chriſto eſſent ſtatuendæ? hæſit ad interrogationem minime exſpectatam Imperator, & neſcius quid reſponderet, remiſit Anaſtaſium admonitum quidem, ut Concilio Chalcedonenſi duas in Chriſto naturas eſſe contra Eutychetem definienti firmus inſiſteret; interea vero ſuper propoſita quæſtione Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Cyrum Phaſidis tunc Epiſcopum conſuleret. Qui quum pro unica ſtarent voluntate, collatis conſiliis & ſtudiis Triumviri hi perſuaſerunt Heraclio minus caute ac temere ſacris ſe negotiis immiſcenti, ac oblito Imperatorem ſe eſſe, non Pontificem, ut edictum *Ecthesim*

ad-

dpellatum publicaret, quo omnibus præepit unicam in Chriſto profiteri voluntaem. Rebus ad votum ſuccedentibus ltra progreſſi Sergius Conſtantinopoli, t Cyrus Alexandriæ, ad quam Sedem 'atriarchalem tanquam pro mercede iniuitatis promotus eſt, coactis Conciliis Ionothelitarum hæreſi portam aperueunt, non tam cito claudendam. Illorum lux erat, ut multi tradunt, Theodorus 'haranitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui cum ergio, & Cyro communi conſilio fidei ormulam edidit, quæ novem continebat rticulos, Catholicos omnes, ſi unum exipias, quo dicebatur: *ſicut in Chriſto eſt nus operator & unus volens, ita unam ſſe voluntatem, unamque operationem.* uemadmodum enim inſtrumenti, ut ajeant, unica eaque communis eſt operatio, ujus principium eſt in artifice, ita diceant in Chriſto, in quo anima rationalis, orpus, aliæque corporis facultatis inſtrunenti inſtar ſe haberent, ejus divinitatem anquam artificem principium eſſe omium operationum. Verum perſpecta doctrinæ hujus novitate Sophronius, prinum Alexandriæ Monachus, poſtea Hieoſolymorum Epiſcopus omni qua potuit ri obſtitit naſcenti errori, qua lingua qua alamo, datis etiam literis tum ad Ser-

& operationis detur aliis anſa ſuſpicandi, duplicem eſſe eodem in Chriſto perſonam, ut perperam docuit Neſtorius, a Concilio Epheſino I. damnatus. Nihilominus monuit, profiteri oportere duas in Chriſto naturas, divinam & humanam absque ulla confuſione aut diviſione, & unicuique earum proprias operationes eſſe tribuendas. Poſtremo mandavit, ne ſublato vocis novellæ, unius vel geminæ voluntatis, ſcandalo quisquam aliquid circa unam vel duas operationes definiat. Hæc eſt ſynopſis epiſtolæ ab Honorio ad Sergium miſſæ. Acquievit quidem Romanæ ſententiæ Sophronius, ut tempori cederet, non item Sergius, qui cum ſuis palam jactare auſus eſt, ex Honorii Pontificis ſententia nonniſi unicam in Chriſto voluntatem ab Orthodoxis eſſe admittendam. Atque huic calumniæ, quam abſens diluere ſatis haud poterat, præpropere immortuus eſt Pontifex, antequam cauſa penitus examinata perſpectaque Monothelitas damnare potuerit. Interea per annos quadraginta ſemper latius ſerpere cæpit peſtilens dogma ſub Pyrrho & Paullo in Conſtantinopolitano Patriarchatu Sergii ſucceſſoribus; Conſtans quoque Imperator edictum nomine *Typi* promulgavit, quo unius aut duarum voluntatum profeſ-

ſio

ſio peræque vetabatur : nec tamen defuerunt, qui toto virium ac ingenii robore contra hæreſin hanc decertarunt, ſcilicet Sophronius de quo dixi, S. Joannes Eleemoſynarius, Alexandrinus Patriarcha, & Arcadius Cyri Archipræſul inſignis, qui e variis Scripturæ Sacræ locis Chriſtum ipſum docuiſſe duplicem in ſe voluntatem eſſe, divinam unam & humanam alteram, invicte demonſtrarunt : *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte : verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat* (n) *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me Patris* (o) quibus verbis innuit Servator, habere ſe duas voluntates, humanam, quam per obedientiam ſubjiciebat divinæ, & non ſolum divinam, quæ ſuppleret humanam, uti Monothelitæ contenderunt. Præ reliquis autem S. Maximus Monachus & Martyr claruit in hoc ſacro contra hæreticos hos prælio, in quo nedum de Pyrrho illorum heroe præcipuo triumphavit, & ad ejurandum errorem devictum compulit, ſed etiam variis ipſe contumeliis, verberibus, & opprobriis, exilio triplici, dexteræ manus & linguæ amputatione pro fide Catho-

(n) *Luc.* 22. (o) *Joann.* 6.

tholica vexatus infracto ſemper animo perſtitit. Placuit tandem divinæ Providentiæ malis his finem imponere convocato Conſtantinopolin Concilio Oecumenico ſexto, Agathone Eccleſiam, Conſtantino Pogonato Imperium gubernante. Celebrabatur illud in Palatii Imperatorii *Secretario* ut vocant, *Trullus* dicto: eſt autem Trullus ſeu Trulla ſublimis fornix in altum porrectus, & in rotundum concomeratus. Interfuit omnibus fere actionibus Cæſar ipſe, eminentiore quidem loco conſpicuus, quamvis ultimus ſubſcripſerit; a ſiniſtris tanquam digniore in Eccleſia loco conſedere Sedis Apoſtolicæ Legati Theodorus & Georgius Presbyteri, Joannes Diaconus, & ut refert Anaſtaſius in Agathone, Conſtantius Subdiaconus: a dextris vero Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, ac vacantium Alexandrinæ & Hieroſolymitanæ ſedium legati; Patrum præſentium numerus erat ducentorum octoginta & & novem. In hac ſynodo perinde Honorio ac cæteris Monothelitis Sergio, Cyro, Pyrrho & Paullo anathema dictum eſt, ut palam faciunt Acta hujus Concilii (p). Equidem heic Baronius (q) Bellarminus, Binius,

(p) *Actione* 13.
(q) *Ad annum* 681.

nihil novi apud Græcos, quum & quintæ Synodi vitiarint teſtibus is (r); nihilominus melior videtur orum opinio & epicriſis, qui Ho- n a ſexta Synodo damnatum fuiſ- erunt, non quod hæreſin re ipſa it aut docuerit, uti ſatis ex alla- ſdem epiſtola ad Sergium patet, uod tam ſancto munere ſuo non nctus juſto indulgentior fuerit non idelium ſcandalo, & ambiguis lo- i formulis Monothelitarum errori equo faventem ſe exhibuerit, nec raviſſimis Sophronii literis admo- naſcentem hæreſin Apoſtolica au- te, ut decuiſſet, in cunis oppreſſerit. ime huic ſententiæ ſuffragatur Leo

la ad Imperatorem Conſtantinum: *Eccleſiam Apoſtolicæ traditionis doctrina illuſtrare neglexit, fidemque immaculatam maculari permiſit.* Cætera Monothelitarum ſecta cum auctoribus ſuis in hoc Concilio Conſtantinopolitano Oecumenico poſt octodecim actiones, & anni unius decurſum ſolemni ritu damnata fuit, univerſo Patrum cœtu acclamante: *Omnes ita credimus, hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides Orthodoxorum: Petrus in Agathone locutus eſt:* & Conſtantino ſubſcribente: *Conſtantinus in Chriſto Deo Rex ac Imperator Romanorum legimus & conſenſimus.*

§. IV.

Controverſia cum Græcis.

CXII.

Græcorum ſchismatis Seculo IX. exorti originem ac progreſſionem exhibere licet, non item invenire finem. Græcos inquietæ indolis homines, & ad res novas turbasque ſemper pronos immani faſtu replevit Imperii Romani ſedes Roma Byzantium tranſlata: majores animos addidit

lit ejusdem imperii diviſio in Orientem & Occidentem. Hinc ſuperbia inflati, & operatorum ſuorum potentia freti non ives modo Conſtantinopolitani, verum tiam Antiſtites ſacri ac Patriarchæ Romani Pontificis auctoritatem paullatim infringere, jugumque excutere tentarunt. Quatuordecim vicibus ab Eccleſia Romana ſciſſos & ad eandem toties reverſos prodit Hoſius (s). Prima velut ſemina jacta fuerunt ſub duobus Leonibus, Iſauro & Armeno Iconoclaſtis; nunquam tamen res in apertum ſchisma erupit, usque dum pertinacioris ambitus homo latam illi januam aperuit. Photius is fuit, in quo cum natalium ſplendore ac eruditione profana ambitio, perfidia & crudelitas de palma certabant. Hic Bardæ ſupremi in Aula Michaelis III. Imperatoris Satrapæ machinis ad Sedem Patriarchalem Conſtantinopoli evectus eſt, per invidiam inde dejecto S. Ignatio, qui Bardæ iram in ſe concitavit, dum eum ob inceſtam cum nuru conſuetudinem fidelium communione privavit, & a SS. Myſteriorum conſortio repulit. Sed mutata brevi ſcena a Baſilio Macedone Michae-

lis

(s) *Lib. de Sacerdot. conjug.*

lis ſucceſſore Ignatius ab exilio revocatus, priſtinæ ſedi reſtituitur expulſo inde Photio, qui & ab Hadriano II. Pontifice in octava Synodo Oecumenica Conſtantinopoli coacta e Catholicorum cœtu ſubmotus eſt, atque a Baſilio totaque Synodo damnatus tum ob ſeditionem, quam inter Epiſcopos adverſus Romanum Pontificem excitavit, tum ob audaciam, qua in eundem ſententiam dicere non dubitavit. Ita ſopitum credebatur incendium; ſed fatis erepto Ignatio, & Baſilio ab Eccleſia Romana multum poſtea alienato Photius denuo Imperatoris gratiam & Sedem Conſtantinopolitanam occupat, firmatus in ea armatis vix non precibus extorto conſenſu Joannis VIII. Papæ, non prævidentis, quam funeſtum id Eccleſiæ toti futurum eſſet. Verum ſimulationis ac perfidiæ præmio diu frui non licuit Photio, utpote quem perſpecta ipſius indole Leo IV. cognomento Philoſophus, Baſilii filius, dignitate priſtina exutum intra cœnobii parietes concluſit; quo autem anno, quove mortis genere diri ſchismatis auctor extinctus ſit, incertum eſt. Varia tunc belli hujus ſacri fortuna: Photiana factio recrudeſcere cœpit ſub Siſſinio Patriarcha, vehementius adhuc ſub Michaele Cærulario, qui ambi-

bitione ſtimulante eo veſaniæ proceſſit, inſignia Summi Ponificis uſurpare ac ecumenici Patriarchæ titulum arrogare bi auſus fuiſſe dicatur. Nihil equidem eo IX. Papa in hoc rerum articulo reliquum fecit ad concordiam utrinque renovandam ſcriptis epiſtolis, miſſisque ad Conſtantinum Imperatorem Legatis: ſed hic vulpem indutus primum quidem paci favere viſus eſt, mox tamen Cærularii defectionem calculo ſuo probavit. Major ſpes affulſit poſt ducentorum fere annorum turbas & viciſſitudines, Imperium Orientis moderante Michaele Palæologo, & ad Eccleſiæ clavum ſedente Gregorio X. Hic enim Concilium Lugduni indixit, quod inter Oecumenica decimum quartum erat, & Lugdunenſe ſecundum. In hoc coram ſumme conſpicuo plusquam mille Patrum conſeſſu Legati Imperatoris Michaelis Palæologi, ac Metrapolitanorum tam ſuo, quam illorum nomine ſchisma ejurarunt, publice profeſſi Eccleſiæ Romanæ fidem, & primatum Papæ agnoſcentes addito etiam alio juramento, quo nunquam poſthac a Romanæ Eccleſiæ obedientia receſſuros ſe ſancte pollicebantur. Ita plaudentibus univerſis, Deoque gratias ſolemnes agentibus finis impoſitus eſt Concilio, non item ſchismati.

Equi-

Equidem Michael Palæologus fidem datam conſtanter tenuit, & orthodoxiam Romanam per totius vitæ reliquæ decurſum profeſſus eſt, cæteris tamen Græcis brevi ad ingenium & vomitum redeuntibus.

CXIII.

Verum Eugenius IV. Papa poſt elapſos centum & ſexaginta fere annos denuo viam concordiæ ineundæ aperuit, dum diſſoluto graves ob cauſſas per decretum Romæ a ſe editum Concilio Baſileenſi aliud Ferrariæ indixit pro ſtabilienda cum Græcis concordia, ubi in ſeſſione tertia producti fuerunt articuli quinque præcipui, in quibus Eccleſia Græca diſſidebat a Latina: primo, quod Spiritum S. a Patre Filioque procedere negaret. Secundo, quod Evchariſtiæ Sacramentum non in pane azymo, ſed in ſolo *fermentato* confici poſſe diceret. Tertio, quod Purgatorium nullum eſſe teneret, quamvis non deſint, qui putent, ignem duntaxat purgatorii negaſſe Græcos. Quarto, quod juſtis æternam felicitatem conferri, vel damnatis æternum infligi ſupplicium ante diem judicii abnueret. Quinto denique, quod Pontificem totius Eccleſiæ Caput, Beati Petri Succeſſorem, totiusque

que Eccleſiæ *Primatem* eſſe fateri nollet. De his articulis acriter diſputatum eſt per breves ſyllogismos, uti placebat Græcis, prolixitudinem Latinorum accuſantibus, hancque viam breviſſimam certiſſimamque qua veritas erueretur, amplectentibus: Seni autem ex Latinis, & totidem ex Græcis delecti fuerunt, uno diſputationis thema proferente, reſpondente altero, & interpretibus utrinque adhibitis. Quum vero Ferrariam peſtilens lues invaſiſſet, Synodus Florentiam eſt translata, ubi eadem capita uberius diſcuti cœperunt. Maxime fervebat controverſia circa Spiritum ſanctum, qui quod a ſolo Patre, non autem a Filio procedat, Græci ut probarent, verba illa Chriſti apud Joannem (t) in medium adduxerunt: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Quibus e verbis demonſtrare ſe credebant Græci, Spiritum ſanctum a Filio non procedere, quoniam ſolum mentio fit, quod *a Patre procedat*, hocque ipſa Veritas Dei filius aſſerat. Verum Latini Patres his ipſis Chriſti verbis uſi ſunt ad Græcos erroris ſui convincendos. Ajebant enim, con-

(t) *Cap.* 15.

conceptis verbis dixiſſe Chriſtum: *quem ego mittam vobis a Patre.* Si autem mitteretur Spiritus S. a Filio, etiam ab illo procedere, quia ut optime advertunt S. Hilarius (u) & S. Auguſtinus (x) in divinis nulla perſona mittitur ab alia, niſi procedat ab ea; unde Pater nunquam dicitur, mitti, quoniam a nulla perſona procedit: Filius vero dicitur mitti a Patre, non a Spiritu ſancto, quia a Patre procedit, non a Spiritu S. quare concludebant Latini, quum in hoc Evangeliſtæ loco dicatur Spiritus S. a Patre & Filio mitti, eum quoque a Patre Filioque procedere. Porro in rei hujus confirmationem adduxerunt aliud Chriſti teſtimonium (y): *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet & annunciabit vobis,* ſcilicet Spiritus ſanctus. Si enim omnia, quæ Pater habet, habeat & filius, habebit iſte eandem virtutem, quam *Spirativam* vocant, per quam procedit a Patre Spiritus S. igitur hic non ſolum a Patre, ſed etiam a Filio, procedit. Hæc tanti momenti viſa fuerunt, ut Græci victas manus dederint, & Concilii Florentini Patres in literis *unionis* hæc verba inſeri decre-

(u) *L. 8. de Trinit.* (x) *L. 4. de Trinit.*
(y) *Joan.* 16.

decreverint: *Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Primogenito Filio ſuo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipſe filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt.* Tum vero in ſeſſione decima octava Florentiæ habitæ examini ſubjectum fuit additamentum illud *Filioque*, utpote quam particulam Nicænæ fidei Symbolo male additam fuiſſe a Latinis criminabantur Græci; & reipſa vox hæc ſcintilla fuit, e qua tantum incendium eſt excitatum. Quo tempore factum ſit additamentum iſtud, non ſatis pro comperto eſt. Peritiores Critici hoc tribuunt Nicolao I. Pontifici circa an. 858. eo videlicet tempore, quo apud Græcos Photii ſchisma cœpit. Nam Photius hic in encyclica quadam Nicolao exprobrat, quod addendo particulam hanc *Filioque* anathema incurrerit ab Epheſina Synodo latam contra quoscunque, qui Nicænæ fidei Symbolo quidquam adderent. Huic querelæ ſatisfecere Latini, demonſtrantes imprimis, hoc additamentum jam reperiri in literis Papæ Damaſi, cujus opera Concilium Conſtantinopolitanum I. circa annum 381. celebratum fuit, ipſumque Gennadium Patriarcham Conſtantinopolitanum, virum doctiſſimum,

mum, qui floruit circa an. 490. Damaſi locum e puris Græcorum formulis erutum citare his verbis: *Credimus Spiritum ſanctum neque eſſe Patrem, neque Filium, ſed ex Patre procedentem & Filio.* Dein uſurpaſſe hanc particulam *Filioque* ſuo in Symbolo Concilium Toletanum VIII. circa annum 553. ante ortum ſchisma Græcorum, utpote acceptam a Leone I. Papa: huic ſymbolo Toletano adhæſiſſe Epiſcopos Hiſpaniæ Viſigothorum tempore, quin & Epiſcopos Galliæ ſub Carolo M. uti conſtat ex Concilio Arelatenſi. Demum, quod ad Nicolaum I. adtineret, eum quidem fortaſſis primum fuiſſe, qui auctoritate Pontificia additamentum hoc in Symbolo fidei ſtabilivit, licet jam plurimis ante ſe annis uſurpatum, & a Damaſo ac Leone PP. profeſſum, eraſum autem a Græcis e multis Conciliis. Præter hæc Cardinalis Julianus fuſe docteque explicavit, prohibitum duntaxat fuiſſe in Concilio Epheſino, ne fidei Nicænæ ſymbolo vel unus apex adderetur, ſcilicet contra veritates revelatas, ibique definitas, neutiquam vero, ſi hoc fieret veritatis alicujus magis declarandæ cauſſa. Perrupto hac ratione erroris circa Spiritum S. muro Græci in cæteris quoque capitibus controverſis facile convene-

venere cum Latinis. Itaque feliciter tandem concluſum fuit, & Decretum *unionis* (ſeu Literæ *unionis* utriusque Eccleſiæ, Græcæ ac Latinæ, continentes definitionem a duodecim ſelectis viris Græce ſimul ac latine conſcriptam) conditum, & a Synodi Patribus ſubſcriptum adprobatumque ſolemni ritu eſt promulgatum, cujus initium: *Lætentur cœli & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit.* Quatuor autem in eo continentur ſynodi decreta: Primum eſt, quod Spiritus S. a Patre filioque procedat, atque particula *Filioque* veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate non ſine conſilio addita ſit Symbolo: ſecundum, quod ſive in Azimo ſive *fermentato* pane triticeo Corpus Chriſti vere conficiatur, ita ut Sacerdos in alterutro conſecrare teneatur, unusquisque ſcilicet ſecundum ſuæ ſive Occidentalis, ſive Orientalis Eccleſiæ morem: Tertium, quod animæ in charitate decedentes ex hac vita, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis peccatis ſatisfecerint, pœnis *purgatorii* poſt mortem expientur, eisque proſint vivorum ſuffragia: Quartum, quod Romanus Pontifex in univerſum

„ Epiſcopum quin & Regem peccati le-
„ thalis reum omni poteſtate privari:
„ penes Principes Laicos eſſe facultatem
„ ſacra divinaque definiendi: Imperato-
„ res, Principes diabolo manus dediſſe,
„ quum Eccleſias prædiis & facultatibus
„ ditarunt; has illis confeſtim auferendas
„ eſſe, quum ſine injuria Evangelio irro-
„ gata poſſideri ab iis nequeant, immo
„ Papam & cæteros Eccleſiæ miniſtros
„ talia bona poſſidentes contra jus divi-
„ num agere, ac hæreticos eſſe: Religio-
„ ſis inſtitutis homines ineptos fieri ſer-
„ vandis Dei mandatis: Academias, ſtu-
„ dia, Gradus diaboli negotium eſſe &c. „
Hæc aliaque nefanda dogmata execraban-
tur boni omnes; eorum viginti quatuor
Wilhelmus Cantuarienſis Antiſtes in nu-
meroſa Epiſcoporum Synodo Londini ce-
lebrata proſcripſit, Concilium vero Con-
ſtantienſe ſeſſione octava quadraginta
quinque ex ipſius libris depromta dam-
navit: ſolum vulgus turbarum ſtudio-
ſum, & potentes quædam bonorum Ec-
cleſiaſticorum harpyæ probabant. Com-
preſſus tamen eſt furor hic a Richardo II.
Anglorum Rege ac ſucceſſoribus, quorum
juſſu flammis abſumti ſunt, quos ſcri-
pſit Wicleffus, libri. Ipſe Auctor apo-
plexia correptus miſero interiiſſe fato di-
citur

citur an. 1384. Nec mitius actum cum mortuo: divinam Nemeſin ſecuta eſt humana, dum Concilii Conſtantienſis decreto defuncti oſſa e tumulo eruta, & in cineres redacta fuerunt, pœna in hæreſiarchas pridem conſtituta.

E cineribus Wicleffi prodiiſſe viſus eſt Joannes Huſs, natione Bohemus, Presbyter & Academiæ Pragenſis Rector, vir inter ſuos ingenio & eruditione clarus. Hic e libris Wicleffi in Bohemiam delatis venenum hauſit, jamque diſcipulus Magiſtro non inferior cœpit eandem hæreſin profiteri, novis erroribus auctam. Præterquam enim quod quadraginta quinque articulos Wicleffi injuſte ac inique damnatos affereret, docebat Eccleſiæ corpus non aliis gaudere membris quam electis ad vitam æternam: Caput ejusdem fuiſſe D. Petrum negabat: præcipue vero in menſa Evchariſtica calicis uſum etiam *Laicis* omnino neceſſarium eſſe contendebat. Miſſæ tamen ſacrificio nunquam abſtinuit, quod adeo abominantur Calvini & Lutheri aſſeclæ, quamvis Huſſium Doctorem ſuum, Prophetam, immo Martyrem profiteantur. Non erat difficile homini ſcelerato tam impia dogmata ſpargere ſub Wenceslao ſimiliter impio Rege, ac inter turbas Academicas ab eo-

dem concitatas. Totam brevi Bohemiam ſeditioſis concionibus commovit, ſuasque in partes traxit. Quare ad cauſam dicendam a Joanne XXIII. Romam vocatus quum obſequi detractaret, Concilio Conſtantienſi ſiſtere ſe cum diſcipulo ſuo Hieronymo Pragenſi juſſus eſt a Sigismundo Imperatore. In eo errorum convictus, & ut palinodiam caneret, a Cæſare monitus fuga ſibi conſuluit, e qua retractus & contumacior factus Patrum ſententia ſacerdotali officio exuitur, & Judicum profanorum poteſtati traditur, qui eum rogo addixerunt. Itaque ductus eſt redimitus mytra papyracea, pictis in ea dæmonibus, hac cum epigraphe: *Hæreſiarcha*, & extremo ignis ſupplicio affectus, Hieronymo eandem paullo poſt ſortem ſubeunte. Extincta tamen non eſt cum parentibus ſuis ſecta Huſſitarum. ex arbore infauſta pullularunt infelices rami, qui eidem licet trunco inſiti, ſed inter ſe diviſi per totum ſe regnum propagarunt, & plurima bellorum & calamitatum ſemina poſt ſe reliquerunt. Præ reliquis memorandi veniunt Thaboritæ & Calixtini, illi a caſtro Thabor ſic adpellati, quod colli imminens ſeditionis arcem conſtituerant duce Joanne Ziska, homine truculento,

&

& jurato Catholicorum, maxime Sacerdotum hoſte ac carnifice: hi a Calice nomen adepti, cujus pertinaci deſiderio flagrabant, ita ut ſuis in templis, domibus, vexillis, & armis calices pinxerint. His Concilium Baſileenſe, communionem ſub utraque ſpecie indulſit, ea tamen conditione, ut liberam nec neceſſariam faterentur; (Nihil enim hoc fidei ſubſtantiæ officiebat, quum conſtet, antiquioribus Eccleſiæ temporibus modo ſub una, modo ſub utraque ſpecie ſacram Synaxim *Laicis* fuiſſe diſtributam) Faſſi ſunt aliquamdiu: ſed mox ad ingenium & arma redierunt, quibus totam vaſtarunt patriam, nonniſi octodecim annorum ancipiti bello a Sigismundo Imperatore tandem vindicatam.

CXV.

Grandi periculo defuncta ſibi videbatur Eccleſia profligatis, quas dixi, hæreſibus, & Occidentali ſchismate per Concilium Conſtantienſe ſublato. Funeſtæ tamen hujus reliquiæ paullatim graviori malo viam ſtraverunt, Germaniam fere omnem ac Galliam peſſumdaturo. Sacerdotio & Imperio inter ſe toties graviter colliſo, & trium Pontificum pro iisdem aris & focis pertinaciter certantium diuturnis factionibus Sedes Apoſtolica &

Cleri dignitas contemptui eſſe cœpit; Leges Eccleſiaſticæ paſſim & impune violatæ, *Diſpenſationes* quæ vulnera legum ſunt, temere conceſſæ, privilegia immoderatius collata, Paſtorum in administrandis & ovium in frequentandis fidei Catholicæ myſteriis oſcitantia, rerumque ſacrarum neglectus ſupinæ ignorantiæ junctus Eccleſiaſticam diſciplinam ſenſim vehementer enervarunt, & præluſerunt ingentibus malis, quibus ſecta Lutherana & Calviniana cum reliqua appendice nobiliores Europæ nationes Sæculo XVI. & ſuccedentibus inundavit. Primus fuit Martinus Lutherus, qui Eccleſiæ ſubvertendæ manus admovit, quem Islebia oppidum Saxoniæ edidit in lucem an. 1483. Hic morte ſodalis, quem fulmen cœlo lapſum a latere ſuo abſtraxit, vehementer commotus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini nomen dedit, & Wittenbergam miſſus in ea Academia recens condita Philoſophicam Theologicamque Lauream eſt adeptus. Ibi ſacram e cathedra profeſſus doctrinam homo vanus & ambitione flagrans, ſed ore ac eloquentia potens primum vehementer indignari cœpit, quando a Leone X. poteſtas promulgandi Indulgentias, pro ædificanda Vaticana Baſilica Germaniæ populis

pulis conceſſas, Joanni Tezelio Ord. Præd. commiſſa fuit: id enim muneris Ordini ſuo ſibique neſcio quo jure arrogavit. Sed repulſam paſſus ab Archiepiſcopo Moguntino, contra Indulgentias declamare auſus eſt cum pro Concione, tum propoſitis palam theſibus, exordio ab abuſibus ducto, mox rem ipſam evertere conatus. Atque hæc modica ſcintilla ſub invidiæ cineribus gliſcens incendii latiſſime ſparſi origo fuit. Certior factus de re tota Pontifex diem dicit Luthero, Romamque venire jubet ad cauſam dicendam: ſed agente Friderico Saxoniæ Duce, cujus favorem propinata molli doctrina ſua eſt aucupatus, declinat iter ſibi periculoſum, & Thomæ de Vio, Cardinali Cajetano, Apoſtolico per Germaniam Legato Auguſtæ ſiſtitur a Joanne Staupizio, qui tunc ſupremi Ordinis totius Antiſtitis vices gerebat, comitantibus ſcriba publico, & quatuor urbis illius Senatoribus. Hoc in congreſſu multis in utramque partem diſputatis errorum ſuorum ſatis convictus tandem profitetur, ſtaturum ſe decretis præcipuarum Academiarum, maxime Pariſienſis, & Romanæ Eccleſiæ oraculis fore ut acquieſceret. Sed paullo poſt cum Staupizio fuga ſe ſubducit, adpellat ad Pon-

tificem, mox ab hoc ad Concilium Oecumenicum. Leo Papa vero nihil jam cunctandum ratus Lutherum diris Eccleſiaſticis devovet, & anathemati ſubjicit, qua re in tantam actus eſt rabiem, ut Pontificium Decretum & Corpus Juris Canonici, ut vocant, ſpectante Wittenberga ultricibus flammis exuſſerit. Creſcente in dies ſingulos per Germaniam tumultu a Carolo V. Imperatore data fide publica vocatus ad Comitia Wormatienſia, proſcriptus quidem, non tamen emendatus, immo pervicacior abiit, & quo ſecurior eſſet, a Friderico Duce in arcem Thuringiæ Wartburgam (quam Patmon ſuam novus hic Evangeliſta nuncupare ſolebat) ſubductus eſt. Ibi per decem omnino menſes velut parturiens tandem ſectam ſuam novam, vel potius ex antiquis erroribus male conſarcinatam infauſto partu in lucem effudit. Præcipui ejusdem characteres & articuli ſunt:
„ Liberum hominis arbitrium Adami pec-
„ cato extinctum fuiſſe, nec ſupereſſe
„ niſi illius titulum, nullumque ejus ob-
„ ſequium ad ſalutem promerendam ſa-
„ tis virium habere, ſed ſola fide ſine
„ bonis operibus hominem reddi juſtum:
„ Romanum Pontificem eſſe Antichri-
„ ſtum, Imperatorem vero, Reges &

„ Prin-

„ Principes Catholicos Antichriſti Satra-
„ pas: ſolam Scripturam eſſe fidei regulam,
„ nec quidquam credendum, niſi quod
„ conceptis verbis in ea luce meridiana
„ clarius continetur: cultum SS. Ico-
„ num, ipſorumque quos exhibent Cœ-
„ litum eſſe ſuperſtitioſum, & idolola-
„ triæ affinem: Decalogi mandata ho-
„ minibus obſervatu impoſſibilia eſſe:
„ Sacramenta novæ legis nec gratiam
„ conferre, nec characterem imprimere,
„ immo quatuor aut quinque ex eorum
„ numero eſſe expungenda; confeſſio-
„ nem ad aures ſacerdotis factam hu-
„ manum eſſe inventum: in Eucharіſtiæ
„ ſacramento Chriſti corpus ſolo uſu ad-
„ eſſe; privatas Miſſas eliminandas: (id
„ quod longa diſputatione a diabolo di-
„ diciſſe ſe profeſſus eſt) Indulgentias
„ eſſe meras fraudes ad fideles decipien-
„ dos, & pecuniis emungendos fabrica-
„ tas: Sacerdotum cœlibatum & vota
„ religioſa, jejunia, & pias corporis
„ caſtigationes ad ſuperſtitiones diaboli-
„ cas pertinere: purgantes flammas non
„ eſſe niſi commentum ad terrorem in-
„ cutiendum: ſacros hominum Religioſo-
„ rum cœtus per orbem univerſum eſſe
„ abolendos: opera bona ad ſalutem noxia
„ potius quam utilia, immo peccata eſſe.„

Hæc

Hæc Lutherus: his plura adjecerunt cum tempore ejusdem aſſeclæ, truncarunt, mutarunt, usque adeo ut confuſum chaos errorum plusquam Babylonicum Eccleſiæ ſuæ invexerint, cui nec mederi potuit liber ille ſymbolicus, *Auguſtana Confeſſio* adpellatus, quem in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis Carolo V. Imperatori Philippus Melanchton, mitigatorum Lutheranorum dux obtulit. Lutherus vero ſectam ſuam recens natam magnis quotidie incrementis latiſſime propagari cernens (Principes enim objecta Eccleſiarum & Monaſteriorum præda, plebeios vero vitæ mollis, & fidei morumque libertas ineſcavit) in majores auſus exſurrexit: Sacerdotes enim & Cœnobitas utriusque ſexus ſoluto fractoque caſtimoniæ voto ad ineunda connubia pellexit exemplo ſuo, dum Leonardum Koppum, Achatem ſuum, ſacram ſi ſuperis placet expeditionem ſuſcipere juſſit in Parthenonem Nimicenſem, e quo tria Monialium plauſtra fuerant avecta, inter quas fuit Catharina de Borret. hanc pridem Deo ſacram Virginem Lutherus ſpectante frementeque orbe Chriſtiano, ſacrilego ſibi conjugio copulavit, facem præferente Caroloſtadio provectæ ætatis Presbytero Apoſtata, ſequentibus exem-

plum

plum Oecolampadio & Bucero, Monachis ſimul & Sacerdotibus. Tandem poſt vota calcata, poſtque fidem & Scripturam ſacram corruptam eo ipſo anno, quo Principes Schmalcaldici fœderis, cujus iſte claſſicum dudum cecinit, in Cæſarem inſurrexerunt, e vivis exceſſit, relicta poſteris ſui imagine in libris ac ſermonibus, præſertim ſuper menſam inſtitutis & typo impreſſis. Tempore procedente Lutheranis nomen *Proteſtantium* adhæſit, & adhæret etiamnum a facto, quo in Comitiis Spiræ coactis Carolo Cæſari cæteriſque principibus Catholicis *executionem Banni*, ut vocant, in Lutherum ejusque partiarios dudum decreti, unaque poſtliminium bonorum Eccleſiaſticorum urgentibus ſe ſe oppoſuerunt ac proteſtati ſunt Joannes Dux Saxoniæ & Elector, Philippus Haſſiæ Landgravius ſeu Marchio, aliique Lutheranæ ſectæ Principes. Cæterum Lutheri dogmata vel ex toto vel ex parte amplexi ſunt, atque ſingularium ſectarum auctores exſtiterunt 1. Caroloſtadius Canonicus Wittenbergenſis, qui poſt ſacrilegas nuptias Miſſæ ſacrificium abrogavit, templis & aris bellum indixit, & ſepultam Sacramentariorum hæreſin excitavit. 2. Zwinglius in Helvetia natus, urbis Tigurinæ Paſtor,

bros in lucem dedit, eosque Franciſco I. Galliarum Regi dedicare auſus eſt. Mox in Italiam profectus Renatam Ludovici Francorum Regis Filiam, Ducis Ferrarienſis uxorem, ſectæ ſuæ conciliavit, ſed metu ſacræ quam vocant *Inquiſitionis* perculſus in Galliam rediit, ac tandem Genevæ ſedem fixit, quæ civitas jam a fide Catholica defecerat. Quum vero Sorbona viginti quinque articulos edidiſſet de quæſtionibus fidei controverſis, Calvinus ſcripſit Antidotum adverſus illos, aliosque libros de *ſervo arbitrio.* In his & prioribus non tam ſuam, quam ex Lutheri, Zwinglii, Melanchtonis & Oecolampadii ſcriptis maxima parte depromtam doctrinam complexus eſt, ſtyli elegantia, qua pollebat, exornans fœda dogmata, quibus aliqua e ſuis adjecit, ut novi ſyſtematis auctor haberetur; id quod ipſi ex voto ſucceſſit. Præcipua, quibus a reliquis ſe diſtinguit, errorum capita ſunt: „ Filios fidelium naſci ſan„ ctos, nec baptismo indigere, infide„ lium vero filiis baptismum non pro„ deſſe: plenam & abſolutam fidelibus „ omnibus conſequendæ ſalutis certitu„ dinem eſſe, cujus pignus foret vel „ modica fidei portio: juſtitiam ſemel „ adeptam prorſus amitti non poſſe:

„ nul-

„ nulla hominem libertate præditum „ eſſe, nec integrum ei, ut peccet, ſed „ ad peccandum cogi: liberum arbitrium „ divinæ gratiæ motione tolli, gratiam- „ que ſemper ex ſe efficacem eſſe: in „ Evchariſtia Chriſtum plane non con- „ tineri, ſed eam eſſe nudam ejusdem „ Chriſti Domini figuram: nec Confir- „ mationem nec extremam Unctionem „ eſſe Sacramenta: Miſſam nec a Chri- „ ſto inſtitutam, nec ſacrificium, nec „ bonum opus eſſe: nullum eſſe mor- „ tale peccatum præter incredulitatem; „ nullum eſſe opus hominis vitæ æter- „ næ meritorium. &c. „ Ad blaſphemias vero Calvini pertinet: Dei Filium non pro omnibus, ſed pro ſolis ad gloriam *prædeſtinatis* mortuum eſſe: Eundem in cruce deſperaſſe: Deum auctorem pec- cati eſſe, ejusque mandata obſervari non poſſe. Mors Calvini vitæ ſimilis erat; nam quum ad extrema deduci ſe vide- ret, natalibus ſuis ac ſtudiis male pre- catus vitam miſerrime finiit. Equidem Franciſcus I. & Henricus II. Galliæ Re- ges ſeveriſſimis edictis errores hos toto regno proſcripſere, ac ultricibus etiam flammis vindicarunt. At Franciſco II. vita functo Condæus Regii ſanguinis Prin- ceps, regnique Adminiſter magnopere ſe-

ctæ novæ, ac palam favit, quæ adnitente Henrico Navarræo, connivente etiam Catharina Medicæa Regia Matre altas radices egit. Everſa paſſim templa ab Hugonotis (ita in Gallia Calviniſtæ vocari cœperunt incerta origine) proſtratæ imagines, conculcata ſacra religionis inſtrumenta, & ubique in avitæ pietatis monumenta ſævitum. Tandem in apertam rebellionem erupit Hugonotorum furor, quem Gallia ſenſit, quadraginta fere annis ingentibus belli civilis tumultibus agitata. Hanc ut incendio eriperet, nihil non egit Carolus IX. conſiliis & armis uſus, ut ab impia hæreſi ſubditos ſibi populos ac Proceres in Eccleſiæ Catholicæ gremium revocaret. Margaritha Caroli ſorore Henrico Navarræo in matrimonium collocata nuptialis dies D. Bartholomæo ſacer cruenta cæde funeſtatus fuit. Nam condicta opera, ut ferunt, Regisque mandato ingens toto regno Hugonotorum ſtrages edita eſt, cui nomen carnificinæ S. Bartholomæi adhæſit. Aliis quoque præliis commiſſis attriti potius quam domiti fuerunt rebelles: Henrico tamen Navarræ Rege, cui Galliæ regnum hæreditario jure obtigit, ad Eccleſiæ Catholicæ caſtra redeunte Galliæ ac religioni ſerenior tempeſtas redire viſa eſt;

quam-

quamvis tempori adhuc cedendum fuerit, & Hugonotis indulgendum celebre Edictum Nannatenſe, quo religionis ſuæ exercendæ copia ipſis fiebat. Tandem rem Catholicam reſtituere Ludovici duo, XIII. & XIV. Ille Henrico IV. Patre tragica morte ſublato Rupellam rebellionis arcem ingenti molimine expugnavit: Hic eam penitus excidit, & abolito fatali Edicto Nannatenſi Calvinianæ ſectæ *exercitium* omne toto regno proſcripſit. Qua re factum eſt, ut plurimi ejuratis erroribus ad ſinum matris Eccleſiæ redirent, alii vero partim in Hollandia & Anglia, partim in Helvetia & Boruſſia aſylum quærentes Galliam purgarent. Reliquit tamen ſecta iſta tanquam *mali corvi malum ovum* copioſam progeniem ſequacium in diverſas partes abeuntium, 1. quidem Puritanos ſeu rigidos Calviniſtas, qui firmiſſime premunt Calvini veſtigia, docentes cum ipſo, Deum eſſe auctorem peccati, reprobare homines ante *demerita*, & reprobos impellere ad peccatum. 2. Arminianos, qui a Calvino in quæſtionibus de gratia deſciverunt. 3. Gomariſtas, qui priorum doctrinæ circa *prædeſtinationem* & gratiæ auxilia refragantur. 4. Geneventes, qui nullos agnoſcunt Epiſcopos, nec alia feſta cele-

brant, quam diem Dominicam; negant cum Calvino, Regem eſſe Caput Eccleſiæ; quibus tamen contrarium dogma tenent 5. Angli Calviniſtæ contendentes, Reges jure divino in ſuis dominiis eſſe prima Eccleſiarum capita, illisque licere ſubditos adſtringere jurejurando ad agnoſcendum, ut vocant, *ſuprematum*.

CXVII.

Contra utramque hanc ſectam inſurrexere Viri doctiſſimi clariſſimique, qui calamo & manu fortiſſime impiis conatibus reſtiterunt, & labantem Eccleſiam ſuſtentarunt, avitæ fidei vindices glorioſi. Inter ſcriptores numerandi veniunt Joannes Eckius, Theologus graviſſimus, qui contra Lutherum, Caroloſtadium, Oecolampadium, Melanchtonem aliosque ſcripſit Enchiridion, omnium fere controverſiarum vindicem: Joannes Fiſcherus, Rocheſtercienſis Epiſcopus & Cardinalis, qui in diro Angliæ ſchismate pro fide glorioſum ſanguinem profudit, ſcripſitque multa contra Lutherum: Joannes Cochlæus Canonicus Vratislavienſis plurima opuſcula contra Lutherum, Bulingerum, Oſiandrum, Melanchtonem, Bucerum & Calvinum edidit: Stanislaus Hoſius Cardinalis Pii IV. in Concilio Tridentino Lega-

Legatus, a Pio V. & Gregorio XIII. Eccleſiæ columna adpellatus, ſcriptis contra Confeſſionem Auguſtanam & hæreſes ſui temporis inclaruit; Joannes Faber Epiſcopus Viennenſis primus e Catholicorum numero Lutherum aggreſſus eſt calamo, & publicis diſputationibus: Jacobus David Perronius abjuratis Calvini erroribus factus primum Epiſcopus, dein Archiepiſcopus, ac demum Cardinalis, acerrime inſectatus eſt Calviniſtas, pluresque diſputando triumphos de illis retulit; Benignus Boſſuet, Doctor Pariſienſis, & Meldenſium Epiſcopus, Malleus hæreticorum in Gallia, qui mirabilem illam eruditiſſimamque fidei Catholicæ expoſitionem ſcripſit, aliudque opus contra Novatores religionis falſi nominis *Reformatæ* edidit: Antonius Poſſevinus, Martinus Becanus, Franciſcus Coſterus, Laurentius Forerus, Ven. Petrus Caniſius, Jacobus Gretſerus aliique quam plurimi e Societate Jeſu tam in Gallia quam in Germania doctiſſimis libris, concionibus, diſputationibus tum Catholicam rem conſervarunt, tum hæreticorum iſtorum errores debellarunt. Quod hi calamo & ore, præſtiterunt auctoritate, conſiliis & armis Carolus Quintus, Ferdinandus I. Matthias, Ferdinandus II. Romanorum

Imperatores: Franciſcus I. Henricus VI. Carolus IX. Ludovicus XIII. & Ludovicus XIV. Galliarum Reges, Guilielmus & Maximilianus, Bavariæ Duces &c. Præ omnibus tamen maximam triumphi partem ſibi merito vendicat incomparabile illud, ac poſtremum inter Oecumenica Concilium Tridentinum, cujus notitiam Theologo ſumme neceſſariam non ita pridem ſubminiſtravi.

§. VI.

Controverſia cum Janſenianis.

CXVIII.

Supereſt, ut extremorum temporum ſeu Seculi XVII. Controverſia graviſſima conſpectui ſiſtatur, quando nimirum Janſeniana ſecta atrox bellum Eccleſiæ intulit, eo nocentior quo ſubtilior. Fundamentum illius poſuiſſe viſus eſt Michael Bajus, natus Melini an. 1513. Regius ſacrarum Literarum Profeſſor Lovanii. Hic varii generis errores diſſeminare cœpit inter diſcipulos ſuos, qui nullam Chriſti gratiam eſſe contendebant, quæ non per ſe ipſam efficax foret; unde concluſerunt, eos qui Dei mandata violant, licet non potuerint illa obſerva-

re

re (quippe auxilio ad id neceſſario deſtituti) peccati tamen reos ſe facere, quia ob culpam in Adamo contractam in iſtum inexcuſabilis infirmitatis ſtatum inciderent; contra vero juſtos efficacibus præventos auxiliis, quamvis ita obediant legi, ut omnino nequeant non obedire, præmium tamen æternum promereri, ac libere agere, quia ſponte agunt & voluntarie, licet antecedenti neceſſitate conſtricti; nullam enim in hac rerum providentia libertatem aliam admittebant, quam quæ coactioni opponeretur. Rurſus quum gratia *medicinalis*, uti nuncupant, & efficax, præſertim perſeverantiæ in bono, fructus ſit mortis Chriſti, inde colligebant, eum ſane pro illis, qui perſeverant & gloria donantur, mortem obiiſſe, at non pro illis, qui gloria excidunt, quoſque ſufficientibus ad eam conſequendam auxiliis carere cenſebant. Hæc præcipua fuerunt Bajanæ doctrinæ capita, quæ ſubinde aucta & interpolata patronos nacta ſunt illuſtriores. Inde virus manavit in Academiam Lovanienſem, & aliquot ejus doctores afflavit. Alii contra Catholicæ veritatis in eadem Academia defenſores Bajum ejuſque diſcipulos inſectari non ceſſabant, ipſiſque germanam cum Luthero & Calvino affinitatem:

objectare: Bajani viciſſim illos Pelagianiſmi damnabant. Hinc aſſiduæ & moleſtæ in ſcholis Theologicis lites, a quibus quum impendere mali plurimum cerneret ſanior Academiæ illius pars, dedit operam, ut a Sorbonicis Lutetiæ Doctoribus an. 1569. octodecim capita doctrinæ Baji configerentur. Cenſuram hanc Bajus contempſit, ac priſtina dogmata venditare cœpit ambitioſius, quin & libellis editis vulgare. Id ubi Romæ innotuit, totius rei judicium ad Pium V. Pontificem delatum eſt, qui contra Baji errores ſententiam tulit Bulla ut vocant privata. Quum vero ea tempeſtate Belgium armis circumſonaret, & inter arma leges etiam ſacræ ſilerent, a Baji gregalibus audita non eſt. Hinc nova Conſtitutione Gregorius XIII. Publicam fecit, miſitque Lovanium ad eam promulgandam Franciſcum Toletum S. J. poſtea ſacra ornatum purpura, cujus opera & induſtria Michael Bajus dogmata ſua publice, & ſubmiſſe recantavit. Ambas porro Conſtitutiones Pontificias Lovanienſis Academia ſubſcripſit, & adſtricti jurejurando ſinguli Doctores ſancte confirmarunt, ſe nihil ejusmodi unquam tradituros. Sed Magiſtrum peccantem, non item pœnitentem ſecuti ſunt diſcipuli ſatis multi, ut

ut locum etiam heic habere poſſit illa Vincentii Lirinenſis admiratio: *O rerum converſio! Auctores ejusdem opinionis Catholici, conſectatores vero hæretici indicantur: abſolvuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli.* Inter hos facile eminuit Janſonius Amſtelodamus, cui inſtituendum ſe tradidit Cornelius Janſenius, Leerdamenſis, quemque ut parentem obſervabat. Hic Janſenius natus an. 1585. primam Lovanii Philoſphiæ lauream conſecutus, & Theologici Doctoris inſignibus ibidem ornatus ſacras literas publice profitebatur. Inde Bajonam diſceſſit, ubi Joannis Vergerii, Abbatis San-Cyrani, hominis æque novitatum cupidi, familiaritate uſus cum eodem operis quod meditabatur rationes diligentiſſime contulit. Iprenſibus poſtmodum infulis decoratus Auguſtinum ſtudiorum ſuorum ducem ac magiſtrum ſibi delegit, cujus operibus, præſertim libris de gratia evolvendis noctes diesque conſecravit. Quam longe autem a tanti Magiſtri doctrina aberrarit, ſatis prodidit Opus poſthumum, quod reliquit improbo viginti duorum annorum ſtudio elucubratum, clam tamen, & ſolo fere conſcio quem dixi Vergerio. Nomen illi impoſuit: *Auguſtinus Janſenii*, ac ſi diceret, doctrinam

de gratia in his libris comprehenſam eſſe doctrinam Auguſtini a Janſenio explicatam & declaratam. Volumen hoc ſatis vaſtum in tres Tomos diſtinxit Auctor, quorum primus octo libros continet de hæreſi Pelagiana agentes: Secundus quatuor partes complectitur: prima uno libro abſolvitur de ratione & auctoritate in rebus Theologicis, altera uno ſimiliter libro de gratia primi hominis & Angelorum, tertia numerat quatuor libros de ſtatu naturæ lapſæ, quarta tres de ſtatu naturæ puræ: Tertius demum Tomus in duas dividitur partes, in quarum prima decem libri agunt de gratia Salvatoris, videturque pars hæc eſſe finis & ſcopus totius Operis; ſecunda continet unicum librum, qui parallelum erroris Maſſilienſium, & opinionis quorundam Recentiorum inſcribitur. Hæc operis totius Oeconomia; cætera magnus in eo alienas opiniones vilipendentis, proprias multum extollentis animi faſtus, & apertus Scholaſticorum omnium contemptus elucet. Ad extrema deductus (fertur contracta lue a ſubditis ſuis, quibus ægrotis adſtitit, correptus obiiſſe an. 1638. 6. Maji) ad extrema, inquam deductus partum hunc ſuum ſollicite commendavit ſuo in ſacris Adminiſtro, ut ami-

amiciſſimo ſibi Liberto Fromondo, Doctori Lovanienſi, traderet typis mandandum: Superos tamen hominesque teſtatus eſt, ut ſi quid unquam ſcripſiſſet Catholico dogmati adverſum, pro ſuo non haberetur: *Sentio*, inquiebat Henrico Caleno Archidiacono Mechlinienſi, *difficulter aliquid mutari poſſe: ſi tamen Romana ſedes aliquid mutari velit, ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens ſum.* Varie ſentiunt de hac Janſenii declaratione, ejusque mente ſcriptores. Fortaſſe melius eam deprehendere licebit e verbis quarumdam familiarium epiſtolarum, quas Janſenius ad Vergerium exaravit: *Epiſtola* 63. Tantum, inquit, circa iſtud negotium incommodi ac periculi exponere mihi non potes, quantum ego vel ab initio ſubodoratus ſum. *Epiſt.* 131. Se adduci non poſſe ait, ut credat opus ſuum à Judicibus (Romano Pontifice) approbandum unquam fore. *Epiſt.* 16. non audeo dicere, quid ſentio de prædeſtinatione & gratia, ne forte antequam omnia parata & matura ſint, mihi quod aliis accidat, Romæ damner, ſicut damnatus fuerat Bajus. *Epiſt.* 63. Daturum ſe operam dicit, ne ſe vivente liber ſuus in lucem prodeat, quo vitæ

ſuæ

importune poſtularunt Janſenii defenſores; quamvis incaſſum: pari enim ratione, reſpondebat illis Card. Spada, illi qui ex altera parte ſtarent, recuſare poſſent Dominicanos vel Franciſcanos (z). Sub initium quidem Janſenii Patroni totis viribus inſtiterunt ad obtinendas Congregationes ſeu Conventus publicos, in quibus cauſa hæc ultro citroque ventilaretur, quemadmodum in celebri controverſia de auxiliis gratiæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. factum eſſet. Sed reſponſum tulere: Satis de rei ſumma conſtare tum ex ipſo Janſenii volumine, tum e literis Epiſcoporum Gallicanorum, tum e tot libris & ſcriptis hac de re in utramque partem editis, atque de ſola propoſitionum cenſura ut agatur, ſupereſſe: publicas autem illas congregationes de Auxiliis inſtitutas fructu caruiſſe, quum nihil de re ipſa deciſum fuerit. Hac ſpe dejecti Janſeniani aliam inivere viam, ut vel imminens fulmen alio deflecterent, vel ſaltem prolongarent judicium; atque per Oratorem Regis Chriſtianiſſimi ſcriptum (Memoriale adpellant) Pontifici obtulerunt, quo declarabant inprimis, ſe ſolummodo verſatilem illam & libero arbi-

(z) *Vid. Tournelii Prælect. Theol. de Grat. Tom. 1. Quæſt. 3. de Janſenio.*

arbitrio ſubditam in Molinæ ſenſu gratiam impugnare: dein nihil eorum, quæ in quinque Janſenii propoſitionibus continerentur, ſe defendere præter gratiam efficacem: demum nullam ſe de Janſenio curam gerere, neque libri ipſius defenſionem in ſe ſuſcipere. Ita ſatis callide illi; ſed rurſum fruſtra. Quippe quæſtio haud erat de gratia ſufficiente Moliniana, neque de gratia efficaci Thomiſtica, ſed de efficaci in perverſo ſenſu Janſenii, quem toto conatu tuebantur. Denique rebus omnibus rite diſcuſſis poſt celebratas duorum annorum ſpatio triginta ſex Congregationes an. 1653. ultima die Maji Innocentius X. Conſtitutionem edidit, cujus initium: *Cum occaſione impreſſionis libri* &c. in qua ſingulas quinque propoſitiones variis affectas cenſuræ notis condemnavit. Sunt autem ſequentes:

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Cenſura: *Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Cenſura: *hæreti-*

reticam declaramus, & uti talem damnamus.

III. *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in hominibus libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Cenſura: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Cenſura: *Falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Cénſura: *Impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Heic enimvero omnem in partem inſtar colubri torquere ſe viſi ſunt Janſenii Aſſeclæ, quos vulgus modo Janſeniſtas adpellat. Ac *primo* quidem, quum palam huic judicio Sedis Apoſtolicæ necdum auderent contradicere, negarunt, has propoſitiones contineri in Auguſtino Janſenii: paullo poſt, ubi poſitis ante oculos Janſenii verbis palam id demonſtratum

tum ipſis fuerat, aſſerebant *ſecundo* eas ſenſu a mente Auctoris prorſus alieno proſcriptas fuiſſe, atque in eo ſenſu, in quo damnatæ ſunt, a Janſenio eſſe defenſas negarunt. Verum & hoc effugium ſuſtulit Innocentii ſucceſſor Alexander VII. edita an. 1656. 16. Octobr. Bulla, quæ inter alia ſic loquitur: *Cum ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones vel in libro prædicto non reperiri, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere non reformidant, nos qui omnia ſufficienter & attente perſpeximus, quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Janſenii excerptas, ac in ſenſu ab eodem Corn. Janſ. intento damnatas fuiſſe definimus & declaramus, ac uti tales iterum damnamus.* Non minus idem Pontifex ut alias præcluderet Janſenianis evadendi vias, edidit poſtmodum formulam juramenti, ab omnibus in Gallia quibuscunque Eccleſiaſticis præſtandi in hæc verba: *Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. & Alexandri VII. me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas, in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica per prædictas Conſtitutiones damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro &c.* Poſt hæc

tertio quum Janſeniani prætenderent; triplicem ſenſum propoſitionum illarum eſſe poſſe, nec ſatis conſtare, qualis damnatus ſit, qualisve fuerit inter tres illos Janſenii, Innocentius XII. an. 1694. 6. Febr. dato in lucem Decreto vetuit dicere, alium ſenſum a Janſenio intentum, aut a Pontificibus damnatum eſſe, quam obvium: Senſus vero obvius, ait Decretum; eſt ille, quem verba cuique ſtatim offerunt in ea ſignificatione, quam ex inſtitutione habent, quique quaſi prædominans eſt, ac ſtatim ſe legentibus ingerit. Sic equidem cauſa finita eſt, ut loquitur Clemens XI in Bulla *Vineam Domini* Sabaoth, non tamen ſicut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus. Quippe *quarto* aſſerere auſi ſunt Janſeniani, juramentum illud præſtari quidem poſſe, non tamen neceſſarium eſſe, ut animus verbis conformetur; & interius ita quis ſentiat, uti enuntiat exterius, ſed ſatis eſſe *reſpectuoſum & obſequioſum ſilentium tenere*, ne publice contradicatur illi, quod Eccleſia decidit. Sed hæc doctrina tanquam omnis perjurii ac perfidiæ aſylum; qua vulgata exhorruit Eccleſia; illico damnata fuit a memorato Clemente XI. in citata Bulla *Vineam Domini Sabaoth* an. 1705. 16. Jul.

16. Jul. promulgata, in qua Anteceſſorum ſuorum hac de re Conſtitutiones adprobat, confirmat, & innovat, ſimulque declarat: *Obedientiæ, quæ prædictis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minime ſatisfieri, ſed damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſti fidelibus ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate ſuperadictæ Formulæ ſubſcribi licite poſſe.* Verum hujus quoque fulminis ictum ut a capite ſuo averterent Janſeniani, confugerunt denique *quinto* ad ſubtilem admodum diſtinctionem inter *quæſtionem juris & facti*: quæſtionem juris in præſenti caſu eſſe poſſe, an aliqua dei præcepta hominibus juſtis &c. ſint obſervatu impoſſibilia, uti aſſerit prima propoſitio damnata: an interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur, ut docet ſecunda &c. Quæſtionem vero facti eſſe, an quinque illas propoſitiones eo in ſenſu, in quo damnatæ ſunt, defenderit, & an in ſenſu, in quo Janſenius defendit, ſint damnatæ. Hac diſtinctione freti aſſerebant: quidquid uerum ſit de quæſtionibus juris, ſaltem in quæſtioni-

Z 2 bus

bus facti Pontificem ut quemvis alium hominem aut doctorem errori obnoxium eſſe, ac neutiquam *infallibilitatis* dono præditum. Verum quam inane ſit effugium iſtud, a cauſæ deſperatæ defenſoribus inventum, ut alia taceam, facile patet cuivis vel obiter conſideranti, ſi errandi periculo obnoxia foret Eccleſia vel Pontifex in decidendis facti dogmatici quæſtionibus circa ſenſum librorum aut propoſitionum quarumdam ad religionis doctrinam pertinentium, nullus eſſet hæreticus, qui aperte convinci & hæreſis damnari poſſet: Semper enim ſcuto iſthoc ſe ac prava dogmata ſua tueri poſſet aſſerens, alienum eſſe ſenſum, longeque a mente ſua remotum, quam Eccleſia vel Pontifex illis affinxit, dum proſcripſit. Quis enim eſt, qui propriam adlegat turpitudinem? Sic igitur oppreſſa videri poterat ſeditioſa Janſenii factio, niſi novum ducem & caput nacta fuiſſet Paſchaſium Quesnellum natum Pariſiis an. 1634. Oratorii Gallicani a Cardinale Berullo inſtituti Presbyterum, qui libro quodam Conſiderationum moralium in Novum Teſtamentum gallico idiomate in lucem edito prava dogmata inſtauravit, & novos in auſus Janſenianam ſectam erexit. Liber

hic

hic eo majorem animarum ſtragem Eccleſiæ intulit, quo venenum occultius & ſub ſplendida pietatis imagine latens in intima fidelium, etiam Religionis vinculo conſtrictorum, præcipue ſacrarum Deo virginum in cœnobiis viſcera penetravit. Quare Clemens XI. piis ac ſæpius repetitis tum Ludovici XIV. Galliarum Regis, tum majoris longe ac ſanioris Cleri Gallicani & Antiſtitum partis precibus ac votis adductus novam an. 1713, 8. Septembr. Conſtitutionem univerſæ Eccleſiæ propoſuit, cujus exordium: *Unigenitus Dei Filius.* quaque centum & unam propoſitiones e libro Quesnelli depromtas debita cenſura notavit, ſcilicet omnes & ſingulas *tanquam falſas, captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in poteſtates ſeculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blasphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſin ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchismati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem eo in ſenſu, in quo*

bæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeſtè innovantes. Bullam hanc tota Chriſti Eccleſia ea, qua par eſt, veneratione excepit, paucos novatores ſi excipias, qui non ſolùm illam perverſe interpretari ac errorum gravium inſimulare, verum etiam ad Concilium Generale provocare auſi ſunt, quorum impietatem ac ſeditionem egregie ſuſtentabat Quesnellus tum in Belgio, ubi aliquamdiu delituit, tum Amſtelodami, quo ſe receperat, donec an. 1719. ſenio æque ac pertinacia gravis vivendi nocendique finem fecit, pacem tamen turbatam necdum Eccleſiæ morte ſua reſtituit. Beniguiorem nonnihil Anteceſſore ſuo Clemente XI. præbuit ſe Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica ad Epiſcopos Galliæ an. 1756. 16. Octob. data, Eccleſiaſticæ tranquillitatis reſtituendæ ſtudio inductus. Sed zelo huic fructus ex æquo reſpondiſſe viſus haud eſt. Quippe paullo poſt declaratum fuit in publico, quod Galli vocant, Juſtitiæ tribunali, *Bullam Unigenitus* haudquaquam *fidei Regulam* eſſe (qualis tamen conceptis verbis vocatur a Benedicto XIII. in Concilio Romano Lateranenſi *Tit.* 1. *cap.* 2.) ſancte nihilominus obſervandam tanquam *Regni Legem*, qualis eſſe jam nunc decernere-

neretur. Modicum tamen temporis intercesſit, quum Sorbonæ perpetuum circa Bullam hanc ſilentium fuit impoſitum. Verum Sorbona dignitatis officiique ſui probe memor tanto tamquam ſacro Collegio dignum reſponſum dedit; ſilere ſe haudquaquam poſſe de memorata Clementis Bulla, utpote quæ tanquam Conſtitutio in re Dogmatica pridem a ſe, quin ab univerſa Eccleſia fuiſſet recepta.

§. VII.

Controverſia circa Pontificum infallibilitatem in fidei negotio.

CXX.

Priore & hoc ſeculo, ubi Criticæ ſtudium invaluit, a quibusdam partim Hæreticis, partim Catholicis ipſi quoque Pontifices ad illius tribunal, & in jus vocati ſunt, atque in rebus fidei errorum inſimulati, diverſa tamen ratione; nimirum ab Hæreticis, ut Pontificum auctoritatem & infallibilitatem in fidei negotio ſubruerent, a Catholicis vero, ut eos a privato circa res fidei errore immunes haud eſſe contenderent. Præ reliquis famoſa eſt contentio D. Petri cum Paullo Apoſtolo, & lapſus Marcellini Papæ.

Ad primum quod ſpectat, criminationis argumentum promunt ex epiſtola Paulli ad Galatas (a): *Cum veniſſet*, inquit Paullus, *Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Prius enim, quam venirent Judæorum quidam a Jacobo miſſi, cum gentibus edebat; quum autem hi veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe; timens eos, qui ex circumciſione erant. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur in eam ſimulationem.* Quod quum intellexiſſet Paullus videns, *quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Hæc ſunt verba Paulli, quæ ut rite intelligantur, noſſe oportet, magnam Judæos inter & Gentiles recens Chriſti eccleſiæ aggregatos æmulationem exarſiſſe, Judæis quos magnum Abrahæ nomen adhuc inflatos tenebat, Gentiles contemnentibus, & legem Moſis non abrogatam, ſed neceſſariam eſſe ad ſalutem contendentibus: Gentilibus vero, qui ægerrime ferebant ſe contemni, Judæorum gloriam in Chriſto fuiſſe ſepultam, legemque Moſaicam malam & a malo ortam

(a) *Cap.* 2.

tam principio reſpondentibus. Pugnæ hujus ardorem, ne limites Chriſtianæ veritatis, charitatisque transgrederetur, ut temperarent Apoſtoli, Concilium illud Hieroſolymis convocarunt, cujus alibi mentionem feci, atque in eo, ut parti utrique aliquid concederent, ſtatuerunt quidem, grave nimis jugum legis Moſaicæ Gentilibus ad Chriſti eccleſiam accedentibus imponi non debere: a ſanguine tamen & ſuffocato, ut Moſes præcepit, iis eſſe abſtinendum. Acquievere tum omnes Apoſtolicæ ſententiæ, lisque finitá videri poterat. Sed aliquanto poſt quum Petrus veniſſet Antiochiam luſtrandi novi gregis cauſſa, ut ſuo roboraret exemplo, quæ definierat Concilium, gentium more aliquamdiu vivere cœpit: mox tamen ubi Judæorum nonnulli Hieroſolymis a Jacobo miſſi veniſſent, clypeum mutavit, & relictis Gentilibus Judæorum mores eſt æmulatus, cibum diſcernens a cibo, & legis Moſaicæ ceremonias religioſe obſervans. Paſtoris exemplum ſecutæ ſunt oves, non ſolum Judæi, ſed & Gentiles, judaicos ritus poſtliminio revocantes, quibus ſocium ſe quoque junxit Barnabas. Verum res hæc Paullum ſummopere offendit, vehementer timentem, ne quam hæreſin ſeu ſchisma

Petri ſententia in Concilio Hieroſolymitano jam jam extinxit, exemplum ipſius denuo reſuſcitaret. Quamobrem palam illi ſe ſe oppoſuit, nec ulla dignitatis habita ratione coram omnibus eum reprehendit. Hæc rei actæ ſeries, hoc diſcordiæ pomum Petrum inter & Paullum; immo & inter præcipuos Eccleſiæ Doctores, Hieronymum & Auguſtinum, quos difficillimæ hujus controverſiæ explicatio per quatuordecim annos vix non in civile bellum præcipites egit, dum prior ut excuſaret utrumque, non veram inter eos diſcordiam, ſed diſcordiæ ſolum ſimulationem interceſſiſſe contenderet; poſterior vero Hieronymum accuſaret, quod hac expoſitione ſua in Sacram Scripturam mendacium invehere videretur. Hinc (b) ſic eum alloquitur: *Arripe, obſecro te, ingenuam, & vere chriſtianam cum charitate ſeveritatem: Palinodiam, ut dicitur, cane. Incomparabiliter enim pulchrior eſt veritas, quam Helena Græcorum.* Cui tamen aculeo alium oppoſuit Hieronymus (c) ita ſcribens: *Neque me putes magiſtrum eſſe mendacii, qui ſequor Chriſtum dicentem: Ego ſum Via, Veritas, & Vita: neque fieri poteſt, ut veritatis cultor mendacio colla ſubmittat.*

Aliis

(b) *Epiſt.* 9. (c) *Epiſt.* 11.

Aliis longe oculis, nimirum livore plenis, rem hanc aſpexere heterodoxi quidam, inter quos præcipuum Magdeburgenſes locum obtinent, detorquere volentes hoc Petri Paullique factum ad ſcandali & hæreſis invidiam: quin & Nilus veritatis alveum egreſſus in ſuo, quem de primatu Romani Pontificis ſcripſit, libro Petrum erraſſe in fide contendit, & ex hoc Petri errore invictum, ut ſibi quidem videtur, argumentum cudit adverſus falli neſciam Romanorum Pontificum poteſtatem. *Nam ſi Petrus errare potuit, quis* inquit *adeo bonus ſit, ut credat Succeſſores Petri errare non poſſe.* Verum his reſpondeo cum Tertulliano hac ipſa in cauſa: *Mihi non tam bene eſt, immo, non tam male eſt, ut Apoſtolos committam.* Quis eſt, qui ignoret, etiam Viros ſanctitate conſpicuos non raro bellum utrinque juſtum exercere, ita ut quod unus prudenter facit, reprehendatur prudenter ab altero? Hoc ſane vel maxime locum habere videtur in præſenti negotio. Judæi enim in lege nova Chriſti recens enutriti non tam cito a lege veteri Moſaica ablactari ſe patiebantur, quam Sanctam & a Deo ipſo inter tonitrua & fulgura in monte Sinai Moſi traditam eſſe ſciebant. unde ſparſa in vul-

gus opinio, ac ſi lex hæc tanquam mala repudiaretur, ſcandalum ipſis erat: dein gentis ſuæ contemptum interpretabantur, Gentilibus ſe ſuamque gentem poſtponi, a Deo electam, & tot olim beneficiis ac prodigiis honoratam. Videns itaque Petrus ac probe perſpiciens, periculoſam admodum æmulationem hanc inter Gentiles & Judæos excitatam, prudenter timere potuit, ne ſi ultra Gentilium partibus pertinaciter adhæreret, contemni ſe crederent Judæi: ſatius ergo duxit, ſi ad tempus Gentiles, prioris adhuc converſationis probe memores, & quibus non ita metuebat, relinqueret accederetque Judæis, ne forte irritati perpetuo a fide deficerent; minorique cum damno Eccleſiæ fieri poſſe exiſtimavit, ſi lex Moſaica aliquamdiu neceſſaria, quam ſi mala eſſe crederetur. Hinc Magiſtri ſui exemplo convertit ſe potius *ad oves, quæ perierunt, Domus Iſrael.* Sed fortaſſis dum Petri factum excuſo, vel ab errore abſolvo, Paullo reprehendentis zelum damnare videbor. Neutiquam: neque enim Porphyrio philoſopho verſipelli ac apoſtatæ conſentior, qui teſte Hieronymo blasphemare auſus eſt, exarſiſſe Paullum in invidiam virtutum Petri, & obtrectandi ſtimulo agitatum eo deveniſ-

ſe

ſe ut Petrum reprehenderet. Neque Paullo defuerunt rationes, cur id faceret. In recenti adhuc memoria & velut ante oculos obverſabatur illi Concilium Hieroſolymitanum, in quo legis Moſaicæ jugum Gentilibus imponi non debere definitum fuit. Ne igitur Gentiles Petri exemplo potentiſſimo ſeducti ſibi perſuaderent, ſe lege Moſaica teneri, contra quam ſancitum erat, neceſſe judicavit, Petro in faciem reſiſtere, ut ſcilicet, quod Chryſoſtomus dixit (d): *Objurgato & obticeſcente Magiſtro facilius diſcipuli ſententiam mutarent, ac judaizare dediſcerent.* Præterea quum in memorato Conlio Gentiles quidem ad fidem converſos legis onere non gravari debere præciperetur, nulla mentione facta de Judæis, ne offenderentur paternarum traditionum æmulatores tenaciſſimi, Paullus præclaram modo nactum ſe occaſionem arbitrabatur, palam faciendi, neque illos neque hos legis antiquatæ jugo ſubjici oportere. Hinc publice Petrum reprehendit, non tam quod Judæis accederet ipſe Judæus, ſed ne tam Judæi exemplo ipſius in ſua opinione firmarentur, quam Gentiles perperam in eam inducerentur. Quare bono uterque zelo flagraſſe cenſendus

(d) *In cap. 2. ad Gal.*

dus eſt, Petrus judaizando, & Paullus reprehendendo, tantumque abeſt, Petrum errorem in fide commiſiſſe, ut ſi etiam offendiſſet ad lapidem hæc petra, potius cum Tertulliano (e) dicendum ſit: *Quare ſi quod ejus vitium fuit, converſationis vitium fuit, non prædicationis*. Certe Petrum Moſaicæ legis ceremonias ſectantem inſimulare commiſſi in fide erroris non bene potuit Paullus, utpote qui Timotheum ex matre chriſtiana & patre Gentili natum circumcidit, eo conſilio, ut teſte Chryſoſtomo gravior Judæis Magiſter & Doctor circumciſus accederet. Nunquid enim cum Hieronymo (f) alloqui Petrus Paullum potuiſſet: *O Apoſtole Paulle! qui in me reprehenderas ſimulationem, qua ſegregabam me a gentibus propter metum Judæorum, qui a Jacobo venerant; cur Timotheum filium hominis gentilis, utique & ipſum gentilem contra ſententiam tuam circumcidi coegiſti?*

Certius veſtigium erroris in fide inveniſſe ſe exiſtimant heterodoxi: Catholici vero nonnulli *fallibilitatis* Pontificiæ in Marcellino Papa, quem quarto ineunte ſeculo, ſeu anno Chriſti circiter CCCII. dum Diocletianus Eccleſiam perſecutus eſt,

(e) *Lib. de Præſcript.* (f) *Epiſt.* 11.

ſt, thura idolis adoleviſſe in templo Iſi-
dis & Veſtæ referunt. Rei geſtæ ſeriem
his fere verbis producunt Acta Concilii
Sinueſſani: „ Concilium Sinueſſanum a
„ Clero Romano in cauſa de lapſu Mar-
„ cellini convocatum. Cum enim de
„ lapſu accuſaretur Romanus Pontifex
„ Marcellinus; nimirum quod Diocletia-
„ ni ſæviente perſecutione omnium ma-
„ xima ad gentium ſacrificia ductus, ibi-
„ que minis perterritus Deos adoraſſet
„ alienos, in templo ſcilicet Iſidis &
„ Veſtæ, gentium idolis ſacrificando &
„ thurificando; ad convocatorias Cleri
„ Romani literas convenerunt diverſa-
„ rum provinciarum Epiſcopi trecenti
„ in civitatem regni Neapolitani, no-
„ mine Sinueſſam, de hoc prætenſo
„ Marcellini Romani Pontificis lapſu ſen-
„ tentiam dicturi: ubi in crypta Cleo-
„ patrenſi poſt cauſam mature diſcuſſam,
„ & poſt nonnullos alios Presbyteros
„ damnatos Marcellinus ipſe ſacco indu-
„ tus, conſperſus cinere, humi poſtra-
„ tus pœnitentiam agens publice ſuum
„ fatetur lapſum; pœnamque ſibi impo-
„ ni rogat. Quumque e tot Concilii Pa-
„ tribus ſententiam in eum ferre aude-
„ ret nullus, & dicerent omnes: Prima
„ ſedes a nemine judicatur: tu te ip-
„ ſum

„ ſum judica; ſe ipſum re ipſa judica„ vit & condemnavit: tum ſuum con„ feſſus lapſum dixit: peccavi coram „ vobis, & non poſſum eſſe in ordine „ Sacerdotum. Quæ cum audiſſet Dio„ cletianus, iratus multos juſſit ex Con„ cilii Patribus ad Martyrium trahi, quos „ inter fuit & ipſe Marcellinus„. Hanc ipſam de lapſu & damnatione Marcellini hiſtoriam exhibet Nicolaus I. Pontifex, qui anno 858. ad Petri ſedem evectus eſt, in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, ut probet, non poſſe quemquam ab his, qui dignitate ſunt inferiores, judicari: *Tempore Diocletiani*, ait, *& Maximiniani Auguſtorum Marcellinus Epiſcopus urbis Romæ, qui poſtea inſignis martyr effectus eſt, adeo compulſus eſt a Paganis, ut in templum eorum ingreſſus grana thuris ſupra prunas poneret, cujus rei gratia collecto numeroſorum Concilio Epiſcoporum, & inquiſitione facta hoc ſe idem Pontifex feciſſe confeſſus eſt. Nullus tamen eorum in eum ſententiam proferre auſus &c.* Idem factum recenſent Pontificale Damaſi, Anaſtaſius Bibliothecarius, Cardinales Petrus Damiani, Cæſar Baronius, & Robertus Bellarminus, ut nihil dicam de Breviario Romano, ut vocant, quod ad diem 26. Aprilis Le-

ctione

ctione 5. eandem hiſtoriam refert, atque huic, ut cum Baronio loquar (g), tot monumentis teſtatæ, tabulis Eccleſiaſticis ſignatæ, plurimorumque teſtimoniis confirmatæ, totque teſtibus obniti temerarium eſſe exiſtimari poſſet. Verum non deſunt hodie auctores graviſſimi, qui cauſam hanc ad ſanæ Criticæ tribunal poſtliminio revocantes hiſtoriam totam inter fabulas recenſendam eſſe judicant, & Marcellinum a lapſu ac crimine invitis etiam Actoribus abſolvunt. Nam imprimis Concilii Sinueſſani Acta, quin & ipſam Synodum multa ſunt, quæ merito ſuſpectam reddunt, ſi non omnino fictitiam eſſe demonſtrant. Quomodo enim ſæviente Diocletiani perſecutione omnium crudeliſſima trecentorum Epiſcoporum cogi potuiſſet conventus, paullo minor illo, qui in maxima Eccleſiæ pace totis viribus adnitente Conſtantino Imperatore Nicææ in Bythinia fuit poſtea congregatus? Incerta etiam & admodum dubia apud Scriptores ſive ſacros ſive profanos Sinueſſanæ civitatis & Cleopatrenſis cryptæ, in qua celebratum dicitur Concilium, occurrit memoria. Quod autem Marcellinus in iſtius Concilii actis affera-

(g) *Tom.* 2. *Annal. de annum Chriſti.* 302.

aut onus in ſe ſuſcepit ſtandi pro veritate illorum omnium, quæ in hiſtoriis Sanctorum, aut vitis Martyrum ibidem narrantur. Certe permittit Eccleſia, quæſtionem agitari de S. Dionyſio Pariſienſium Patrono, an ſcilicet idem ſit (quod Breviarium Romanum aſſerit ad diem 9. Octobris) cum Areopagita, an vero diverſus ab iſto. Permittit in examen vocari, num miſſus fuerit S. Clemens in Galliam ſeculo primo, vel potius tempore Decii ſeculo tertio. Permittit etiam (ut plura alia miſſa faciam) contra S. Jacobi in Hiſpaniam adventum ad 26. Julii a ſe adſertum, rationibus in utramque partem pugnari. Scriptoribus aliis Scriptores oppono, æquali vel majori fide dignos. Imprimis S. Auguſtinus, qui totam hanc thuris a Marcellino idolis oblati hiſtoriam tanquam commentum Donatiſtarum, quodlibet ſubdole ad criminandos Romanos Pontifices fingentium, e veritatis finibus proſcribit libro de unic. Baptis. adverſus Petilianum Donatiſtarum Epiſcopum (h). *Quid jam opus eſt* inquit *ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus, Melchiades & Marcel-*

(h) *c.* 18.

cellus, & Sylveſter traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: ſed nunquid ideo convincuntur? aut convicti aliqua tormentorum firmitate demonſtrantur? ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit: ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, quum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam. Atque hæc ſcripſit præſtantiſſimus Eccleſiæ Doctor ſeculo duntaxat uno poſt ſynodum ſinueſſanam trecentorum, ſi ſuperis placet, Epiſcoporum. Ignoravitne igitur Auguſtinus tantæ auctoritatis Concilium, aut forte contempſit? Cur autem Donatiſtæ accuſationis probationem rogati (integerrimum enim Pontificem ſacros Codices gentilibus tradidiſſe ſunt criminati) non adduxerunt Concilii auctoritatem? Reſpondet Chriſtianus Lupus in notitia Conciliorum verſatiſſimus (i), fabuloſam de Concilio Sinueſſano hiſtoriam poſtea primum fuiſſe convictam, nempe a pſeudo-Iſidoro, cujus merces adulterinas illi non viderunt, atque idcirco nulla unquam ipſis fuit de Marcellini lapſu vel ſuſpicio ex Actis Concilii Sinueſſani tunc colligenda. Auguſtino ad-

(i) *Tom. 5. Synod. p. 228. & ſeq.*

addere liceat Eminentiſſimum purpura & ſcientia Cardinalem Bellarminum, qui ſuam hac in re ſententiam, quam tomo primo (k) tradidit, poſtmodum (l) his verbis correxiſſe videtur: *Conceſſimus S. Marcellinum idolis ſacrificaſſe, ſed nos videtur id eſſe omnino certum.* Suffragatur Bellarmino, quem defendendum ſuſcepit (m) eruditiſſimus Gretſerus ita ſcribens: *Marcellinum ſacrificaſſe idolis communis & trita eſt hæreticorum objectio... At ſi quis neget id unquam factum, deerit hæreticis, quo probent, non deerit inficiantibus, quo ſuam opinionem ſtabiliant.* Apertius, & magis animoſe loquitur de hoc negotio Daniel Papebrochius in Propyleo ad acta Sanctorum menſis Maji (n): *Hæc autem*, inquit de lapſu Marcellini & Actis Concilii Sinueſſani, *narrantur cum circumſtantiis & formulis tam peregrinis, ne dicam, fatuis, ut nequeam animo comprehendere, qua ratione potuerint iſta acta in compilationibus Conciliorum absque debita cenſura tolerari.* Subſcribunt quoque mitiori huic ſententiæ, ac Marcellinum a lapſu abſolvunt Theophylus Raynaudus, Tillemontius, Natalis Alexan-

(k) *c.* 8. *de Sum. Pont. n.* 25. (l) *recogn.* 30. *ad Tom.* 1. (m) *Tom.* 9. *l.* 4. *c.* 8. (n) *Diſſert.* 7. *n.* 7.

xander, & uterque Pagius. Verum eſto, concedamus aliquid adverſæ partis auctoritati ſane gravi, quod neutiquam inficias eo: admittamus factum quod factum eſſe non credimus, quid inde contra Pontificis falli neſciam poteſtatem hæretici, aut male feriati Critici demum eruent? Lapſus eſt Marcellinus urgente graviſſimo mortis metu, thus adolevit idolis: ergo Pontifex e Cathedra, ut dicimus, loquens, ac ſupremi Paſtoris & Chriſti in terris Vicarii munere fungens, quando univerſæ Eccleſiæ fidei dogma credendum proponit, errorem in fide committere poteſt, quis eſt, qui non videat, quam male concludat argumentum?

§. VIII.

Controverſia circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem.

CXXI.

Hucusque controverſias expoſui, quæ Patribus & Theologis interceſſere cum diverſis diverſorum temporum ſectis, & erroribus fidei Catholicæ dogmata infeſtantibus. Sequuntur nunc illæ, quæ ſalva fidei *unione* inter ipſos Doctores Catholicos exortæ fuerunt, e quibus ce-

lebriores ſolum in medium producam. Primum facile locum obtinet controverſia circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem. Origo illius hæc erat: Piam opinionem de Immaculata & labis *originalis* experte Beatiſſimæ Virginis Conceptione jam ab ipſo Apoſtolorum tempore inter Fideles communiſſimam fuiſſe ſatis demonſtrat Liturgia D. Jacobi Apoſtoli, qui Frater Domini adpellatur, primi Hieroſolymorum Epiſcopi circa an. Chr. 60. quam exhibet Bibliotheca Maxima Patrum (o). Hæc ita loquitur: *Commemorantes Sanctiſſimam, Immaculatam, Glorioſiſſimam Dominam noſtram, Matrem Dei & ſemper Virginem Mariam.* Rurſus: *Commemorationem agamus ſanctiſſimæ, Immaculatæ, Glorioſiſſimæ, Benedictæ Dominæ noſtræ.* Et iterum: *Dignum eſt, ut te vere Beatam dicamus Deiparam, ſemper beatam, & omnibus modis Irreprebenſam* ſeu *Immaculatam, & Matrem Dei noſtri honorabiliorem quam Seraphim &c.* Atque Apoſtolicam hanc D. Jacobi Liturgiam conſtanter imitatæ ſunt in hujuscemodi *Sanctiſſimæ & Immaculatæ Dei genitricis* Commemorationibus reliquæ Orientalis Eccleſiæ Liturgiæ, quemadmodum de celeberrimis SS. Baſilii & Chryſoſtomi teſtatur Proclus Epiſcopus Conſtantinopolita-

(o) *Init. part.* 1. *Tom.* 2.

nus. Non equidem me latet, præfatam S. Jacobi Liturgiam editam nunc græco nunc latino idiomate, nunc utroque, ab hæreticis velut prolem ſuppoſititiam repudiari, utpote aliis ſuis erroribus, maxime circa miſſæ Sacrificium & implorationem Sanctorum, contradicentem: quin etiam inter Catholicos ſcriptores eſſe quosdam, licet pauciſſimos, inter quos Natalis Alexander, (p) qui eam tanquam apocrypham rejiciunt. Egregie tamen illam vindicant Leo Alleatius græcæ eruditionis ſcientiſſimus (q), Card. Bona in rebus Liturgicis adprime verſatus (r), & noviſſime Honoratus a S. Maria, Carmelita Diſcalceatus, in ſuo moderamine intemperantis criſeos (s) ubi ait: *Inter viros doctiſſimos receptum eſſe debere, Liturgiam Jacobo adtributam in more fuiſſe primorum ſeculorum.* Præterea piæ opinionis hujus antiquitati ſuffragatur Typicum S. Sabæ (ſeu ordo recitandi Officium per totum anni tempus) quod a Guilielmo Cupero S. J. celebri Hiſtoriographo profertur in Actis Sanctorum (t). In hoc Typico die IX.

(p) *Tom. 3. Hiſt. Eccleſ. Secul. I. c. 12.* (q) *Epiſt. 1. ad Barthol. Nihuſium.* (r) *L. 1. de reb. Liturg. c. 8.* (s) *Tom. 3. Obſerv. l. 5. diſſert. 3.* (t) *Tom. 6. Julii in Comment. ad vitam S. Annæ. num. 46.*

prædicaturus eſſet ſexta Idus Decembris, quod quum voti religione ſpopondiſſet Helſinus, anxius tamen hæreret, quonam Officio quove ritu uti deberet, repoſuit Vir ille conceptis his verbis: *Omne Officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, excepto quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis.* Hucusque quidem Anſelmi epiſtola, cui tamen fidem derogat Gerberon Benedictinus, & poſt ipſum Alexander Natalis Dominicanus; ſed integram ei reſtituit Benedictus Plazza S. J. in præclaro eruditiſſimoque Opere, cui titulus *Cauſa Immaculatæ Conceptionis*, Panormi an. 1747. edito. Quapropter merito dici poteſt, Conceptionis Immaculatæ ſolemnitatis ritum & rationem in Anglia (ipſa enim ſolemnitas feſtiva jam antea ibidem invaluit, uti colligitur e Martyrologio V. Bedæ, qui vixit circa annum 700. in quo ad diem 8. Decembris notatur: *Conceptio S. Mariæ perpetuæ Virginis*) ritum inquam & rationem in Anglia ortum habuiſſe, e qua poſtmodum in Normandiam, Galliam, Navarram, Belgium & Germaniam aliasque mundi occidentalis plagas propagatus fuit. Quippe Officium, quod his in Eccleſiis recitabatur, erat illud ipſum quod Abbati Helſino

[...]ino cœlitus fuerat præſcriptum. Ipſe D. Bernardus in epiſtola ſua (ſi tamen ipſius eſt) rei hujus mentionem feciſſe videtur, dum ait, Lugdunenſes *ſcripto ſupernæ revelationis* permotos fuiſſe ad celebrandum publice Conceptionis feſtum.

Ex his aliisque ſatis conſtat piam opinionem de Immaculata Conceptione primis jam Eccleſiæ temporibus inſediſſe fidelium animis, quin & in utraque Eccleſia Græca & Latina feſtivæ lucis & Officii divini honore dudum decoratam fuiſſe, atque ad usque duodecimum fere ſeculum in pacifica, ut ita dicam, poſseſſione ſubſtitiſſe. Primæ autem controverſiæ anſam dediſſe videntur circa annum 1136. Canonici Lugdunenſes in Gallia, dum ſolemni ritu hoc feſtum celebrare cœperunt. quippe re hac cognita D. Bernardus gravem ad eos epiſtolam (ordine centeſimam ſeptuageſimam quartam) dediſſe, eosque ob novum hunc in Eccleſia cultum reprehendiſſe fertur. Verum Joannes Perlinus S. J. (u) epiſtolam illam ad Lugdunenſes non a S. Bernardo, ſed a Nicolao quodam ejus olim familiari, poſtea vero, ipſi offenſo, confictam fuiſſe contendit. & vero, quomodo

(u) *In Apolog. Scholaſt. de Concept. Virg. diſſ. 12. toto capite 5.*

modo ignota eſſe potuit Viro tam erudito quam ſancto utriusque Eccleſiæ tum Græcæ tum Latinæ conſuetudo ? Si autem hæc nota erat, cur reprehenderet fieri in Eccleſia Lugdunenſi, quod in tot aliis fieri non ignorabat? Eminentiſſimus autem Sfondrati (x) ſolidiſſimis rationibus epiſtolam, de qua loquor, ab omni ſiniſtra opinione vel ſenſu contrario purgat, aitque *evidenter oſtendi ex hac ipſa epiſtola Bernardi de Immaculato conceptu B. V. ſententiam.* Card. Baronius vero (y) ex epilogo memoratæ epiſtolæ colligit mentem & finem, quem ſibi S. Doctor in ea ſcribenda præfixit, nimirum ut Canonicos illos induceret ad conſulendam prius Eccleſiam Romanam, antequam novum in ſuam Eccleſiam feſtum introducerent. claudit enim epiſtolam his verbis: *Quæ autem dixi, Romanæ Eccleſiæ auctoritati & examini totum hoc reſervo: ipſius ſi quid aliter ſapio, judicio paratus emendare.* Quidquid autem ſit de mente D. Bernardi, certum eſt, Canonicos Lugdunenſes neutiquam a celebrando deinceps hoc feſto abſterreri ſe paſſos fuiſſe. Interea temporis occaſione iſta ſenſim orta eſt diſputatio, nec

(x) *Innocentia Vindicata pag.* 101. (y) *Ad an.* 1136. *num.* 14.

nec minor inter partes diſſenſio de re ipſa, ſcilicet an Beata Virgo ſine labe peccati *Originalis* concepta fuerit, nec ne. Sententiam negantem defendit ſchola Thomiſtica (quamvis non pauci ex ea & ore, & calamo pro Immaculata Conceptione fortiter dimicarint) docens B. Virginem in ipſa Conceptione ſua *originalis* peccati labe infectam fuiſſe, non minus quam alii omnes homines naturali generatione ab Adamo deſcendentes, utpote *in quo* dicente Apoſtolo (z) *omnes peccaverunt* nulla facta exceptione: licet ſpeciali favore Dei poſtea labes illa fuerit abſterſa, idque credidit Doctorem ſuum Angelicum variis in locis ſatis aperte docuiſſe. At ſchola Scotiſtica cum innumeris aliis affirmantem amplexa eſt ſententiam, ac B. Virginem ab hac labe prorſus & in primo jam Conceptionis ſuæ momento eximiam pronunciavit, cum Aſſuero ad Eſther Reginam dicente: *Non enim pro te, ſed pro omnibus lex hæc* (videlicet contrahendi peccatum originis) *conſtituta eſt* (a) atque famoſo utens argumento: Potuit Deus hoc facere, decuit Deum hoc facere, ergo fecit; nempe ut Mater Divini Puriſſimique Filii ſui a mancipatu diaboli & ab inimicitia Dei, quam *origi-*

(z) *Ad Rom.* 5. (a) *Cap.* 15.

originale peccatum contrahendo incurriſſet, omni temporis momento immunis foret: cætera D. Thomam, quando negare videtur Conceptionem B. V. fuiſſe Sanctam & Immaculatam, intelligendum eſſe de Conceptione *pure materiali*, quando ſemen concipitur, & ex eo efformatur embryo, non autem de Conceptione *formali*, quando primo animatur corpuſculum, de qua Conceptione *formali* quæſtio heic eſt: atque de hac D. Thomam (b) egiſſe, ubi *Dicendum* ait *quod puritas intenditur per receſſum a contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit B. V. quæ peccato originali & actuali immunis fuit: fuit tamen ſub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Quæ verba S. Doctoris etiamnum leguntur in Exemplari Romano anno 1570. edito (quam editionem omnibus aliis præfert Joan. Franc. Bernardus de Rubeis Ord. Præd. in Diſſertationibus criticis de geſtis, ſcriptis & doctrina D. Thomæ, Venetiis an. 1750. in lucem datis) & in alio priore Exemplari Venetiis anno 1515. literis Gothicis impreſſo, quod utrumque conſului

(b) *In* 1. *Sent. diſt.* 44. *a.* 3. *ad* 3.

ſalui. Ita ſonante claſſico velut dato ſigno initium prælio huic factum eſt. Refert Wadingus (c), Mauritium Epiſcopum Pariſienſem an. 1175. publico decreto præcepiſſe, ne deinceps in illa Univerſitate defenderetur Conceptio Virginis Immaculata, duraſſeque hoc decretum usque ad annum 1346. quo tempore Facultas Theologica Pariſienſis accerſivit Subtilem Doctorem Duns Scotum, qui in ſolemni diſputatione ducentis argumentis ſibi propoſitis e memoria tanta verborum & ſententiarum ubertate ſatisfecerit, ut omnes in ſuam ſententiam pertraxerit, & exinde retulerit nomen *Victoris*, atque hac ratione decretum illud Mauritii fuiſſe abrogatum. Sed Alexander Natalis diſputationem hanc tanquam nullo antiquo & authentico teſtimonio comprobatam fabuloſam cenſet (d). Fide dignior eſt narratio, quam Joannes Lannoius, Pariſienſis Theologus (e), profert, nimirum an. 1387. a Facultate Theologica Pariſienſi condemnatas fuiſſe quatuordecim propoſitiones, quibus Joannes de Monteſono Ord. Præd. ſuam de peccato *originali*

(c) *Tom.* 3. *Annal. Ord. Min. ad an.* 1304. (d) *Tom.* 7. *Hiſt. Eccleſ. c.* 5. *a.* 1. (e) *Lib. de celebrioribus Scholis c.* 40. *art.* 8.

nali B. Mariæ doctrinam explicavit ac confirmavit, hancque damnationem poſtea ab Univerſitate tota & Pariſienſi Epiſcopo largiſſime adprobatam fuiſſe. Idem refert Spondanus ad an. 1387. Recruduit tamen controverſia ſeculo XV. circa annum 1431. in Concilio Baſileenſi, ubi continuos octo dies hac de re diſputatum fuit a Joanne de Monte negro Dominicano, & Doctore Joanne de Contrera Segovienſi, tandemque in Seſſione XXVI. ſententia aſſerens Conceptionem Immaculatam tanquam pia, fidei rectæque rationi conſona fuit adprobata, quamquam poſtmodum alias ob cauſſas Concilium iſtud ab Eugenio IV. fuerit diſſolutum circa an. 1432. Eodem ſeculo Trithemium Abbatem piæ ſententiæ adſertorem ſtrenuum acriter aggreſſus eſt Lector quidam Francofordienſis, nomine Wigandus Cauponis, Ord. Præd. qui tamen poſt velitationem duorum annorum Rectore Univerſitatis Colonienſis, aliiſque Doctoribus adnitentibus ſententiam ſuam retractare compulſus fuit, uti refertur in Chronico Monaſterii Spanhemienſis ad annum 1495. Increſcente indies bello iſthoc nonnullos reperire fuit, qui publice pro concione dicere non ſunt veriti, peccatum eſſe; immo hæreſin ſapere, ſi quis aſſerat Deiparæ

Con-

Conceptionem eſſe Immaculatam, quas voces temerariæ ubi ad Sixti IV. Pontificis aures pervenere, hanc illorum Prædicatorum propoſitionem damnavit an. 1483. quemadmodum videre eſt in Extravagante *Grave nimis* (f). Idem Sixtus IV. Miſſam & Officium proprium ac peculiare Devotis Mariæ ſervitarum inſtituit, uti conſtat ex Conſtitutione, quæ incipit: *Cum Præcelſa* &c. Conſideratione digna heic eſt Oratio, quæ in antiquis Miſſalibus & Breviariis tum Romanis tum Gallicanis ante *Reformationem* editis etiamnum reperitur: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparaſti, concede quæſumus, ut ſicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas.* Dicitur enim 1. *Immaculata ipſa Conceptio.* 2. *Dignum filio tuo habitaculum præparaſti.* ecce fundamentum ſententiæ, quare Immaculata cenſeatur ejus Conceptio, quia nimirum decuit matrem Dei eſſe Immaculatam, ut ſic dignum filii *habitaculum* fieret. 3. *ab omne labe:* utique peccatum *originale* labes eſt. 4. *præſerva-*

(f) *Tit. de reliquiis & veneratione Sanctorum.*

ſervaſti, non dicitur, deterſiſti labem in ipſa Conceptione. Poſt fatum Sixti IV. aſſultum aliquem tentavit Card. Cajetanus, dum Lateranenſe Concilium ſub Leone X. Romæ celebraretur anno 1512. nam Tractatum de Conceptione Virginis magno ſtudio compoſitum Pontifici huic obulit eo fine, ut contrariam ſententiam non quidem definiret, ſed *tanquam probabiliorem & ſanctorum dictis conſonam* eo in Concilio adprobaret; ſed ſpe ſua excidit: contra vero Ambroſius Catharinus, Compſanus Archiepiſcopus, ejusdem Ordinis, editis quatuor doctis Diſputationibus Immaculatam Conceptionem acerrime defendit. Subſequentes quoque Pontifices Innocentius VIII. Alexander VI. aliique plures piam ſententiam diverſis Conſtitutionibus confirmarunt usque ad tempora Concilii Tridentini.

In hoc autem Concilio rurſus prædicta ſententia diſputationi tam acri quam memorabili ſubjecta fuit hac occaſione, quam ex Actis ipſius Concilii refert Velasquez S. J. (g) ubi definitum erat a S. Synodo circa peccati *originalis* ad poſteros transmiſſionem, & Epiſcopis viſum fuerat, id generali oratione proponendum eſſe, plures

(g) *L. de Immacul. Concept.*

res Concilii Patres & Theologi ex Ordine D. Franciſci, atque Didacus Laynez, ſupremus Præpoſitus Soc. Jeſ. generalem hanc adfirmationem, videlicet, *quod peccatum Adami in totum genus humanum tranſierit*, nulla facta exceptione, minime probaverunt, aſſerentes hac ratione futurum eſſe, ut D. Virgo quoque comprehenſa cenſeretur, id quod Eccleſiæ ſenſui & fidelium conſenſui contrarium foret. Verum huic exceptioni intercesſere Theologi quidam e Familia D. Dominici, in oppoſitam partem adferentes verba D. Paulli aliorumque Patrum, a quibus omnes in Adamo peccaſſe, per peccatum in omnes homines mortem pertranſiiſſe &c. ſine ulla exceptione pronunciatur. addebant: quantumvis contrariam opinionem Eccleſia toleraverit, eum tamen, qui rem penitius introſpexerit, facile deprehenſurum eſſe, Virginem nihilo plus aliis communi contagione exemptam. Sed acrius inſtante cum aliis Laynio, dicentibus hac ratione palmarem injuriam fieri Eccleſiæ, utpote quæ Conceptionem Deiparæ non minus quam Natalem D. Joannis Baptiſtæ, quem proin abſque peccato *originali* natum fuiſſe omnes profitentur, ſolemni ritu colit, celebrando feſtum hoc magna populi Chriſtiani con-

ſtitutiones felicis recordationis Xyſti Papæ IV. ſub pœnis in ejus Conſtitutionibus contentis, quas innovat. Quibus verbis dum S. Synodus B. Virginem hoc decreto de peccato *originali* comprehendere noluit, profecto arguitur, illam ab ipſo hoc peccato Dei Matrem eximere voluiſſe. Unde Vincentius Juſtinianus Antiſt ſeu Antiſtius Ord. Præd. SS. Theol. Magiſter, dum circa annum 1580. Tractatum inſignem de Immaculata Conceptione (cujus ſynopſin monumenta literaria Trivoltienſia ad an. 1709. exhibent) in lucem dedit, in hæc verba prorupit: *Jam contrariæ ſententiæ deſunt cathedræ, ſuggeſta, libri, Pontifices, & ipſamet Concilia, quando Tridentinum omnino proteſtatur, non eſſe ſuæ intentionis* &c.

Finito hoc Concilio Pius V. ut quod Tridentinum decreverat, effectui daret, *Miſſale* ut vocamus ac *Breviarium* Romanum in meliorem redacturus formam inter alia ſtatuit, ut officium de die Conceptionis celebraretur, quemadmodum officium de ipſius Nativitate, retentis omnibus, ſolo nomine *Nativitatis* in vocem *Conceptionis* mutato, ex quo adparet, traditionem illam de revelatione Helſino facta (de qua initio dixi) in Ecclesia Latina ad hæc usque tempora

ʋera fuiſſe cuſtoditam, atque a Pio V. enovatam. Adhuc tamen (mirabile dictu) fervebant lites ac diſſenſiones non ine Fidelium ſcandalo. Quapropter Pauus V. an. 1617. peculiari ſanctione vetuit, contrariam ſententiam in publicis athedris doceri, quam ſanctionem Gregorius XV. an. 1622. ad ſcripta quoque & colloquia privata extendit, prohibens ne etiam in his a quoquam aſſeratur ſententia oppoſita, donec aliter a S. Sede lefinitum fuerit. Tandem an. 1661. Alexander VII. die 8. Decembris, ſeu ipſo mmaculatæ Conceptionis feſto, dolens ummopere (ut ipſe ait in Bulla, quæ ncipit: *Solicitudo omnium Eccleſiarum*) 1ecdum ſublata eſſe ſcandala, quæ ex oppoſita ſententia orirentur, omnia præcedentium Pontificum decreta confirmavit, innovavit, atque ita declaravit, ut nullus jam videretur locus ſupereſſe ulteriori diſceptationi. Quippe in hac declarat Pontifex. 1. Veterem ſane fuiſſe Chriſti fidelium erga ejus beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietatem ſentientium, ejus animam *in primo inſtanti creationis atque infuſionis in corpus* fuiſſe ſpeciali Dei gratia & privilegio intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus Filii humani generis Redemptoris a macula peccati

Originalis præſervatam immunem. Atque in hoc ſenſu 2. Sanctam Romanam Eccleſiam Feſtum de Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione, quin & peculiare ac proprium de illo officium jam olim ordinaſſe (nimirum illud Sixti IV. de quo dixi, & in quo centies repetitur conceptio ut Immaculata). 3. Declarat hoc feſtum atque hunc cultum Conceptionis jam olim exhibitum in Eccleſia Romana poſt ſui inſtitutionem nunquam fuiſſe immutatum. 4. Sanctam Apoſtolicam ſedem per Prædeceſſores ſuos ſenſui & cultui Conceptionis Immaculatæ favorem & tutamentum conſtanter præſtitiſſe. Porro ſubjicit Pontifex in hac Bulla graviſſimis pœnis ac cenſuris ipſo facto incurrendis 1. omnes, qui deinceps auſi fuerint, innovatas Conſtitutiones & Decreta ſic interpretari, ut favorem cultui Immaculatæ Conceptionis enervare ac irritum reddere velint. 2. Qui ſententiam piam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocarent, tanquam rem dubitationi ſubjectam: vel 3. qui contra piam ſententiam directe vel indirecte, ſcripto vel voce loqui, concionari, tractare quidquam determinando vel aſſerendo, vel argumenta contra afferendo, eaque inſoluta relinquendo veriti non fue-

fuerint. 4. Qui vel alio, quicunque excogitari poteſt, modo contra eundem pium ſenſum ac cultum diſſerere tentarint, declaratque illos nullo excuſari prætextu eam ob rem, quod necdum de illo definitum fuerit, aut non definiri poſſit. 5. graviſſime vetat libros omnes impoſterum quacunque ratione edendos, quibus in dubium pia ſententia vocatur, aut contrarium defenditur. Hac graviſſima Conſtitutione pia opinio de Immaculata Conceptione veluti in *rem judicatam*, ut Juriſperiti loquuntur, tranſiit, & nec jam opinio, ſed ſententia, *moraliter* certa audire cœpit, ita ut nihil deeſſe videatur, quin ſit articulus fidei, quam ſola Eccleſiæ definitio. Qui poſt Alexandrum VII. ſecuti ſunt Pontifices, vix non ſinguli præclaro quodam aut monumento, aut nova Conſtitutione Fidelium devotionem & cultum Immaculatæ Conceptionis ſtabiliverunt ac promoverunt. Unum præterire nefas foret, proxime defunctum Pontificem Benedictum XIV. Hic non ſolum *Immaculatæ Conceptionis* titulum, toties ab Adverſariis impetitum ab omnibus & ubique libere uſurpari poſſe mandavit, immo in ipſis etiam Eccleſiaſticis Edictis, ſuisque & ſacrarum Congregationum Decretis

emi-

emicare voluit, ſed etiam peculiari Edicto *Capellam* ut vocant *Pontificiam* in Feſto Conceptionis B. V. quot annis ſolemni ritu celebrari conſtituit. Verba Edicti ſunt:

Decretum editum in Conſiſtorio die XXVI. Novembr. An. 1742.

In quo ſolemni die (VIII. Decembr. Dei Genitricis Conceptioni ſacro) Nos Capellam Pontificiam in Liberiana Baſilica haberi volumus. Quod quidem non hoc anno tantum, ſed ſingulis quibusque annis fieri mandamus: ac præcipimus, ut Capella hæc Pontificia in honorem IMMACULATÆ VIRGINIS quot annis celebranda cæteris annumeraretur, ut nimirum ipſa Beatiſſima Virgo a Deo Nobis implorare dignetur quod petimus, ſuoque patrocinio non minus Catholicam Religionem, quam hanc Apoſtolicam ſedem benigne regere velit, ac fovere.

Memorabile illud eſt, ac Annalibus dignum, quod hac occaſione accidit: inter alios Eminentiſſimos Cardinales, qui conſilium rei adeo præclaræ Pontifici ſuggeſſerunt, fuit Card. Ludovicus Belluga,

qui

qui poſt inſtitutam Capellam votum quo ſe obſtrinxerat, exolvens argenti laminam aurata incluſam corona, qualem ipſus vidi, ad aram S. Aloyſii Gonzagæ in Romani Collegii templo ſuſpendi curavit cum hac epigraphe:

D. O. M.

Impetrato S. Aloyſii ope Immaculatæ
Conceptioni
Matris Dei novo atque Illuſtri Pontificiam
per Capellam
Cultus incremento, Ludovicus Cardinalis
Belluga, Aliique ſupplices, ex Voto
VIII. Decembris MDCCXLII.

Appendicis loco ad celeberrimam hanc controverſiam ſerviet alia paullo minor, quæ tamen totam priorem jam debellatam, niſi mature ſilentium fuiſſet impoſitum, reſuſcitare potuiſſet. Prodiit anno 1712. liber, cui Titulus *Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione in religionis negotio*, qui Auctorem habet virum alias de re literaria bene meritum, (an alieno conſilio, an propria quadam eruditionis ambitione calamum ſtrinxerit, non conſtat) certe meliorem Philologum quam Theologum, & apud pios ac doctos de Immaculata Conceptione male

meritum. Ut ſilentio præteream alia non levia ſphalmata Critices non ſatis moderatæ, graves ſimul ac iniquas cenſuras in eo ingenii ſui partu inuſſit voto a multis edi ſolito, nimirum defendendi ad ſanguinem usque Immaculatam Conceptionem. Hoc ipſe *ſanguinarium votum* adpellat, & piam pervicaciam: ſententiam vero de Immaculata Conceptione, poſt tot annorum conflictum totque victorias tanta in luce poſitam, *meram* vocat *opinionem* & *errori obnoxiam*, pro qua vitam velle prodigere *ſtultum ſit*, *zelum ſine ſcientia*, *prudentiæ monitis injurium*, *imprudens ac ſuperſtitioſum ſacrificium*. Non modice inſolens hæc criſis pias Italorum, Hiſpanorum ac Germanorum aures offendit, quumque anno 1729. Theologus quidam Italus nomen Candidi Parthenotimi adſumens acri ſcripto in Lamindum invectus eſſet, eumque merito caſtigaſſet, inter alia ipſi objectans, quod piiſſimas nationes honori ac cultui Deiparæ tantopere addictas a ferventi in illam ſtudio avertere conetur, ille errorem ſuum majore emendaturus edidit in lucem ſub nomine Antonii Lampridii latens alium librum Apologeticum, cui titulus: *De ſuperſtitione vitanda, ſive Cenſura voti ſanguinarii in*

bono-

honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ emiſſi, in quo multis argumentis parum felicibus, & Alexandri VII. Bullæ injurioſis prius temerarium adſertum ſuum ſtabilire contendit. Verum ex iis, quæ non ita pridem adtuli e variis Pontificum Bullis, præſertim Alexandri VII. de perpetuo & communi fidelium ſenſu, de inſtituto Feſto ac Officio Immaculatæ Conceptionis, de graviſſima interdictione, ne contraria ſententia doceatur, neque in dubium, ſeu publice ſeu privatim vocetur, certum eſt *primo*, ſententiam de Immaculato conceptu non eſſe meram opinionem, aut pietatem mere *opinativam*, ut loquitur Lamindus, ac errori obnoxiam, quod tamen pro fundamento ille ponit ad evertendum votum ſanguinarium. Si autem fundamentum tam male materiatum eſt, quale erit ædificium huic ſuperſtructum? Certum eſt *ſecundo*, pium eſſe ac virtutis opus, colere Immaculatam Conceptionem. Licet igitur dubium eſſet id quod colitur, at pro pietate certa, & virtute minime dubia ſanguinem fundere ac mortem oppetere non licebit? Si hoc ita eſt, neque licet fuſo ſanguine virginitatem nullo præcepto ſancitam defendere: non licebit mortem oppetere in charitatis offici-

cio

cio & obſequio peſte infectorum: non licebit propria morte vitam patris aut matris tueri. Quis ſanæ mentis hæc inficiari auſit? Certum eſt *tertio*, quoniam iſta, de quibus dixi, licita ſunt, etiam licitum eſſe votum de ſanguine fundendo pro virginitate tuenda, mortem oppetendi ex charitate in obſequio peſte infectorum, moriendi ad ſervandam patris vel matris vitam. Et credamus impium, nefarium ac ſuperſtitioſum eſſe votum defendendi etiam ad ſanguinem usque Immaculatam Virginis Conceptionem, Dei ac noſtræ Matris amantiſſimæ honorem, ac vitam prodigere in obſequiam tantæ Dominæ ac cœli Reginæ quum quivis miles pro Principis ac Regis ſui honore atque ſalute in mortem certam ruere glorioſum ſibi ducat? magna ſane audacia eſt, unum hominem plus ſapere velle, quam tot Academias, tot Principes, & urbes, tot Eccleſiaſticos & Equeſtres Ordines, qui voti religione ſe obſtringunt, Immaculatam Conceptionem, donec aliter definitum fuerit, conſtanter defendendi, & non pauci ex ultimis etiam conceptis verbis *usque ad mortem*. Sed ſatis repreſſa fuit Viri hujus cæteroquin multum eruditi hac in re ultra ſphæram progreſſa *Cenſura* ab aliis præſtantiſſimis Viris, qui

cala-

calamum ſtrinxere, ac doctiſſimis lucubrationibus & libris editis eam profligarunt: quemadmodum poſt Candidum Parthenotimum Laurentius Migliacius Panormitanus an. 1741. *in Lampridio detecto & caſtigato*: Joſephus Ignatius Milaneſe S. J. SS. Theol. Profeſſor an. 1742. *in Lampridio ad trutinam revocato*: & poſtquam his epiſtolas quasdam ſub ficto nomine Ferdinandi Valeſii primus auctor & ſemper idem Lamindus oppoſuit an. 1743. Benedictus Plazza S. J. in laudato volumine *Cauſa Immaculatæ Conceptionis* dicto & quaſi Decretorio, an. 1747. vulgato. Quare tota hæc controverſia eum denique finem nacta eſt, quod una ex parte Marianæ erga Immaculatum Deiparæ Conceptum devotio magis fuerit illuſtrata, ex altera factum ſit palam, in quæ præcipitia deducat homines alias claros & eruditos nimia eruditionis arrogantia, critico quodam ſpiritu in ſacra & profana promiſcue involare adſueta.

§. IX.

Controverſia de Auxiliis Gratiæ.

CXXII.

Antequam in ipſa celeberrimæ hujus controverſiæ quæ præcipuas duas

Scholas Thomiſticam & eam quæ Societatis eſt, dudum inter ſe colliſit, penetralia ingrediamur, juvat paucis occaſionem illius primam in conſpectum dare, Hæc non alia erat, quam *Scientia Media*, ideo ſic dicta, quod inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & ſcientiam *viſionis* velut intercederet. Hanc e SS. Literarum & SS. Patrum auctoritate depromtam quaſi ex tenebris in lucem protraxit in ſuo *de Concordia gratiæ & liberi arbitrii* libro Ludovicus Molina S.J. Hiſpanus, magnum inter Theologos, quin & Jurisconſultos nomen tam ob doctiſſimos *in* 1. *p. D. Thomæ* Commentarios, quam ob ſex Tomos *de Jure & Juſtitia* ſummo ſemper in pretio a profundis Jurisperitis habitos. Animadvertit enim ſagaciſſimus in literis Divinis Vir, & tum ante ipſum Petrus Fonſeca ejus Magiſter in rebus Theologicis, tum poſt ipſum plurimi non ſolum e Societatis Jeſu ſcholis, verum etiam ex aliis præcipuis Europæ Academiis Doctores nominatiſſimi, præter objecta, ad quæ duplex ſcientia illa Theologis notiſſima, videlicet ſimplicis ſcientiæ & viſionis ſeſe extendit (nempe partim poſſibilia, partim quocunque demum tempore exiſtentia) alia quoque reperiri, nimirum *conditionalia* ſeu ſub-

con-

conditione duntaxat futura, quorum non minus certa ſcientia Deo concedenda eſſet, ac priorum. Rei hujus manifeſta e SS. Literis teſtimonia in medium protulerunt de Tyriis & Sidoniis (h) de Davide commorante in urbe Ceila (i), de Eliſæo ad Regem Joas miſſo, (k) de raptu animæ (l), de Jeremiæ vaticinio (m), &c. Ex his & ſimilibus S. Scripturæ effatis legitime ac ſolide demonſtrarunt cum Molina Doctores iſti, certam veritatum etiam *conditionalium* ſcientiam Deo ineſſe, & non tantum *conjecturalem*, quam ſolam tum temporis Deo concedebant Thomiſtæ, uti conſtat ex Petro Ledesma Ord. Præd. Tractatu de Auxiliis (n) ubi referens ſententiam de notitia divina horum *objectorum* ſolum conjecturali ait: *hanc ſententiam ſequuntur omnes diſcipuli S. Thomæ, qui hac tempeſtate interpretantur illum, & omnes, qui ſequuntur ejus doctrinam in auxiliis gratiæ.* Immo ipſe, tanquam cæterorum Anteſignanus (o) concluſione quinta: *Secunda*, inquit, *ſententia* (nempe quod Deus non habeat certam & *infallibilem* cogni-

(h) *Luc.* 10. (i) *l.* 1. *Reg. c.* 23. (k) *l.* 4. *Reg. c.* 13. (l) *Sap. c.* 4. (m) *Jerem.* 38. (n) *edito* 1611. pag. 580. (o) *pag.* 590.

cognitionem horum futurorum *conditionatorum) eſt certiſſima taliter, ut oppoſita non ſit mihi probabilis.* Verum poſt Molinæ aliorumque noſtrorum de certa *conditionalium* ſcientia, quam ille *Mediam* vocabat, doctrinam publici juris factam non facile quisquam Thomiſtarum hac in parte eam inficias ivit. Interea tamen ſcientiæ huic certæ ac *infallibili* ſub nomine *Media* nullum in ſcholis theologicis locum concedere volebant, ſed antiqua partitione ſcientiæ divinæ in duas claſſes, videlicet *ſimplicis intelligentiæ* & *viſionis* ſtandum eſſe acerrime contenderunt, non jam rem ipſam, ſed nomen innocens impugnantes. Verum impedire non potuerunt, quin plurimi alii in cathedris & ſcholis ſuis ſcientiam mediam in conſortium reliquarum admitterent, ac civitate donarent, qua etiamnum hodie fruitur. Igitur aliam ingreſſi viam validiſſime illam oppugnare cœperunt eo ex capite, quod ejusdem Patroni doceant, ſcientiam ejusmodi *conditionalium* ſeu mediam non *ſupponere* decretum divinum, quod re ipſa in Deo abſolute exiſtat, totisque contendebant viribus, ea quæ ſub conditione futura ſunt, certo ac citra omne periculum errandi a Deo cognoſci non poſſe, niſi in *Decreto præ-*

deter-

determinante, quod *ſubjective abſolutum*, & *terminative conditionatum* dicebant. Hujus decreti *prædeterminantis ſubjective abſoluti & terminative conditionati* inventorem fuiſſe ſatis conſtat Didacum Alvarez, Magiſtrum & Regentem Minervitanum; ipſius vero *Prædeterminationis ſeu Præmotionis* Phyſicæ Dominicum Bannez, celebrem in Academia Salmanticenſi Theologum, utrumque Ord. Præd. Certe D. Thomas non fuit, teſte Reverendiſſimo Turco, totius Ordinis Prædicatorum Generali, qui uti legere eſt apud Gabrielem Henao (p) & Dominicum Viva (q) cuidam ad mentem D. Thomæ *Præmotionem* hanc eſſe aſſeveranti publica in concertatione reſpondit: *Oſtende mihi locum D. Thomæ, in quo Phyſicam Præmotionem propugnavit, & creabo te Magiſtrum adverſus conſtitutiones tuæ Provinciæ.* Cui ſimile quid, ſi non idem Joannes Bagotus Theologiæ Claro-Montanæ Pariſiis Profeſſor apud Platelium (r) refert, nimirum eundem Reverendiſſimum Turcum in publica diſputa-

(p) *In ſcient. Med. Theologice defenſata ſect.* 176. *num.* 1869. & *part.* 2. *lib. cit. ſect.* 498. (q) *Part.* 3. *Diſp.* 3. *q.* 2. *n.* 1. (r) *Part.* 1. *c.* 3. §. 2. *n.* 107.

Dei concedentis vel negantis voluntate ſeu Decreto, omne liberi arbitrii *exercitium* antecedente: videns inquam hoc Molina cum aliis, credensque eadem manu, qua periculo ſubduceretur libertas noſtra, rurſus in illud conjici, aliam ineundam ſibi viam eſſe putavit, ut hæreticis os obſtrueret, clamantibus Catholicos verbis quidem a ſe diſſentire, non re ipſa, & gratiam quam ipſi vocarent *neceſſitantem*, dici ab illis *prædeterminantem*. Itaque quum ſyſtema ſuum de ſcientia media in publicam lucem produceret, ratus medium hoc fore optimum conciliandi libertatem humanam cum efficacia gratiæ divinæ, docuit & poſt ipſum docuerunt quamplurimi, docentque etiamnum impune: gratiam quidem ſecundum ſe non eſſe connexam cum conſenſu; ubi tamen Deus præviſo per ſcientiam mediam (quod hujus proprium eſt officium) hominis conſenſu eam confert, & hac voluntate confert, quod præviderit cum conſenſu fore conjungendam, ejusmodi gratiam omnino eſſe efficaciſſimam, & certiſſime poſt ſe conſenſum re ipſa trahere, quin ulla ratione lædatur humana libertas, utpote cujus liberum *exercitium ſupponeret* ſcientia media, & a quo ipſa ſuo modo penderet, poſſetque impediri

ac evitari ab arbitrio creato. Atque hac ratione cenſebat Molina cum Societatis Theologis iniri poſſe *Concordiam gratiæ cum libero arbitrio*, quem etiam titulum libro ſuo præfixit. Quippe hoc modo intactum relinquitur ſupremum & abſolutiſſimum Dei in omnes actiones, etiam liberas, Dominium, ſimul & libertas humana ſarta tectaque ſervatur: dominium quidem Dei, quum penes Deum ſit in hoc ſyſtemate conferre ac conſervare potentiam libere agendi; ſubminiſtrare gratiam excitantem & adjuvantem, ſine quibus nullum opus bonum, neque ipſe in bonum conſenſus effici poteſt; flectere pro ſua lubidine arbitrium humanum in quamcunque partem conferendo talem libertatem & gratiam, quam per ſcientiam mediam videt fore conjungendam cum conſenſu: Libertas vero humana, dum penes ipſam ſit, Deo ſic decernente, ut gratia collata vel conferenda uti poſſit, vel non uti; eidem reſiſtere vel conſentire potentia ſaltem antecedente; facere ut Deus prævideat hanc gratiam efficacem fore, illam inefficacem. Hæc, quæ ſane nemo vel leviſſime tinctus in rebus theologicis negare poteſt, non doctrinæ novæ cudendæ gloria, ut perperam adverſa pars ſuſpicabatur, ſed veritatis in

lucem producendæ, hæreticique dogmatis penitus profligandi ſtudio incitatus Molina, cæterique ipſius doctrinæ adhærentes docere ac palam exponere cœperunt difficillimis illis temporibus, quibus Catholicos inter & Acatholicos graviſſimum circa gratiam divinam & liberttatem humanam bellum exarſit. Profecto hac in re non egerunt aliud, quam quod Instituto ſuo, & præclaræ S. Fundatoris ſui doctrinæ ac monitis erat conforme, contra quam nonnulli ad invidiam faciendam criminantur, dum aſſerere non dubitant, brevi tempore degeneraſſe filios a S. Patris ſui præſcripto graviſſimo, ut maxime in tradenda Theologia a S. Thoma non recederent. Audire juvat S. Ignatium ipſum, quæ hoc in negotio illius mens ac ſententia fuerit. Hic in Aureo ſuo Exercitiorum Spiritualium libro, quantum ad ſingula pertinet, oraculo Sedis Apoſtolicæ ſolemniter adprobato, dum regulas quasdam ſtatuit, *ut cum Orthodoxa Eccleſia ſentiamus*, inter alias decima quarta ſic loquitur: *Advertendum eſt; quamquam veriſſimum ſit, nemini contingere ſalutem, niſi prædeſtinato, circumſpecte tamen circa hoc loquendum eſſe, ne forte gratiam ſeu prædeſtinationem Dei nimis extendentes, liberi arbitrii vires,*

&

& operum bonorum merita excludere velle videamur : vel e converſo, ne plus æquo huic tribuentes illis interim derogemus. Eodem in libro Exercitiorum paullo infra, regula decima ſeptima, præſcribit: *Neque itidem prædicandæ & inculcandæ gratiæ Dei usque adeo inſiſtendum, ut ſerpere inde poſſit Auditorum animis lethalis error, negata liberi arbitrii noſtri facultate. De gratia ergo ipſa diffuſe quidem loqui fas eſt, Deo inſpirante, ſed quatenus in gloriam ejus uberiorem redundat, idque juxta modum convenientem noſtris præſertim temporibus tam periculoſis: ne liberi arbitrii uſus, & operum bonorum efficacia tollatur.* Atque, in has Ignatii ſapientiſſimas regulas dum commentatur Eximius Doctor Suarius (s) *occaſionem* inquit *ſummo advertendi, zelum quem nunc habet Societas recte explicandi concordiam gratiæ cum libero arbitrio, & convenienter loquendi, & accommodate ad reſiſtendum Luthero aliisque hujus temporis hæreticis, eundem fuiſſe in Patre Noſtro Ignatio, ut vel ab illo in Societatem manaſſe, vel eundem Spiritum, qui hanc Religionem movet ad reſiſtendum hæreticis, hujus eſſe Doctrinæ Auctorem.*

Cæte-

(s) *Tom. 4. de Relig. Societ. in particulari l. 9. c. 5. dub. 12.*

Cætera voluit equidem S. Ignatius, ut filii ſui non facile diſcederent a doctrina S. Thomæ, non autem, ut ſemper accederent doctrinæ Interpretum Thomiſtarum, quæ duo admodum diverſæ res ſunt.

CXXIV.

Verum *Concordia* hæc, ſeu liber, quo inter gratiam & liberum arbitrium concordiam ſtabilire conatus eſt Molina, pomum illud *Diſcordiæ* fuit inter ſcholam Thomiſticam, & eam, quæ Societatis eſt, atque *lapis offenſionis.* Quippe Dominicus Bannez, de quo dixi, Vir acer ingenio, Commentariis in S. Thomam editis celeber, magnæque inter ſuos auctoritatis: uſus Magiſtro Melchiore Cano, ejusdem Ordinis homine doctiſſimo quidem, ſed neſcio quam ob æmulationem Societati qua dictis qua ſcriptis palam offenſo, circa annum 1588. vix perlato ad ſe rumore, Molinam librum Concordiæ prælo in Luſitania commiſſurum, mox occultis cuniculis ſcientiæ mediæ propugnaculum ſubruere tentavit. Igitur ipſe, ejusque familiares collatis inter ſe conſiliis librum Concordiæ necdum typis editum, necdum a ſe viſum, multo minus perlectum privato ſuo judicio damnant,

nant, atque ad Cardinalem Archiducem Albertum, & quam dicunt Inquiſitionem Generalem Luſitaniæ, cujus Præſidem agebat Albertus, tanquam propoſitionum damnatarum & Pelagianismi reſuſcitati reum deferunt. Ita fatetur ipſe Auguſtinus Le Blanc ſeu latens ſub hoc nomine Fr. Hyacinthus Serry, Ord. Præd. in Hiſtoria de Auxiliis (t): *Vix abſoluta erat editio, & necdum venalis proſtabat, cum Fr. Fr. Prædicatores injecta ſuſcitati Pelagianismi accuſatione publicationi ejus interceſſerunt.* Sed primus hic aſſultus neutiquam ad vota ſucceſſit. Quippe provido Numine ſic diſponente factum eſt, ut liber Molinæ a Viro ex Illuſtriſſimo Prædicatorum Ordine, doctiſſimo æque ac religioſiſſimo, primum dignumque teſtimonium ferret. Nam ſacræ Inquiſitionis Luſitanicæ Senatus librum Concordiæ ad ſe delatum publico librorum Cenſori Bartholomæo de Ferreira examinandum dedit. hic illuſtre profecto elogium in adprobatione ſua contexuit, in fronte libri poſitum, in quo 1. ait, *ea qua potui diligentia hunc librum examinavi.* 2. vocat auctorem *Doctorem erudititiſſimum, virum in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimum, juxta ac Religioſiſſimum.* 3. addit, *Quapropter*

(t) *Lib.* 1. *c.* 13.

pter valde dignas arbitror has lucubrationes, quæ in publicam totius Eccleſiæ utilitatem excudantur. Huic ſimile teſtimonium tulit idem liber Molinæ in Regiis Caſtellæ & Arragoniæ Tribunalibus, in quibus eum vulgandi poteſtas fiebat, munita non ſolum adprobationibus luculentis, verum etiam amplis & honorificis encomiis Petri Loppii de Montoya, & Joannis Villæ Theologorum, quibus excutiendi libri cura demandata fuerat. Quare cadentibus in irritum cunctis Bannesii ſociorumque machinationibus qua occultis qua manifeſtis, tandem Inquiſitionis Generalis Luſitaniæ ſolemni judicio, accedente Archiducis tanquam Præſidis conſenſu, permiſſum eſt, ut Molinæ liber *de Concordia gratiæ & liberi arbitrii* ſub initium Julii an. 1588. omnium victor difficultatum in lucem prodiret, adjecta appendice, qua reſpondit auctor ad ea, quæ ab Adverſariis ſuis objecta ſibi fuerunt. Neque ſolum libri editio permiſſa fuit, ſed etiam S. Senatus hujus judicium graviſſimum acceſſit, nimirum, *quod doctrinam valde utilem, ſanam, & conformem Scripturæ, Conciliis, & SS. Patribus contineat*, quemadmodum ipſe tunc temporis ſupremus ejusdem Præſes Archidux Albertus in ſuis ad Clemen-

tem

tem VII. literis teſtatur. Rebus ita, ut expoſui, in Luſitania pro Molinæ libro feliciter geſtis, in Hiſpaniam bellum hoc literarium eſt translatum. Diſplicuit nimirum honor ille, qui paullo poſt publici juris factam Molinæ concordiam libro huic in præcipuis Hiſpaniæ urbibus & Academiis habitus eſt; ut ingenue fatetur acerrimus Adverſarius, rei credo evidentia convictus, Thomas de Lemos Ord. Præd. qui (u) in hunc modum loquitur: *Liber ille novam (ut videbatur) continens doctrinam a compluribus acceptatus fuit, & ejus dogmata amplexata, ita ut in communibus diſputationibus, publiciſque congreſſibus, immo & in ſcholis nihil aliud audires, quam banc Molinæ doctrinam.* Et vero in Hiſpania à plerorumque Ordinum Religioſorum Viris doctiſſimis, quique Theologiam publicè profeſſi ſunt, Molinæ doctrina paſſim tradebatur in ſcholæ cathedris. Ex his omnium primi fuerunt Patres de Familia S. Franciſci in Conventu Ubitenſi circa an. 1592. horum veſtigia ſecuti ſunt eodem tempore Auguſtiniani, Benedictini, Ciſtercienſes, Carmelitæ, iique quos Minimos vocant. Neque ſolum Ordines Religioſi, verum etiam præcipuæ per Hiſpaniæ

nias

(u) *In Panoplia Tom. 1. Tract. 6. c. 2.*

niæ Regnum Univerſitates Complutenſis, Hiſpalenſis, Vallisoletana, quorum omnium inſignia, & pro doctrinæ Molinianæ innocentia authenticis quas vocant tabulis comprobata teſtimonia exhibet Eleutherius (x). Quare ad S. Inquiſitionis per Hiſpaniam ſupremum Tribunal Molinam cum libro ſuo deferunt, tanquam doctrinæ in fidei dogmatibus erroneæ ac hæreticæ reum. Ab hoc igitur liber memoratus Academiæ Complutenſi, quæ reliquis fere tota in Hiſpania commendatior & illuſtrior eſt; atque in ea inſignioribus octo Doctoribus & Theologiæ Magiſtris per annum integrum ſevero examini ſubjiciendus traditur. Sed & heic ſuperior evaſit, & ab omni cenſura immunis prodiit. Teſtantur id literæ Cancellarii Uuniverſitatis Complutenſis ad Cardinalem Pompejum Arragonium datæ. In his ait: *magna & accurata diligentia per longum tempus, maturo conſilio, me præſente id præſtitum eſt* (ſcilicet examen) *non ſine libri approbatione.* additque: *Doctiſſimorum Virorum, qui huic examini interfuerunt, placita ſi ii, qui hunc librum perlegunt, attenti audirent, non dubito, quin libenter acquieſcerent.* Con-

(x) *In Hiſt. Controv. de Auxil. l.* 2. *c.* 11. 12. & 13.

Confirmarunt hæc omnia iidem Doctores Complutenſes exaratis ad ipſum Pontificem Clementem VIII. literis, aſſeverantes inſuper, Univerſitatis ſuæ judicium a magno Doctorum numero totius Hiſpaniæ peritiſſimorum comprobari. Quumque Petrus Michael, Doctor Complutenſis, qui tunc Romæ agebat, certiores redderet Collegas ſuos, adverſam partem omni induſtria conari, ut perſuadeat Pontifici, Complutenſem cenſuram a Patribus Societatis dictatam fuiſſe, illi alteram ad Pontificem epiſtolam ſcripſere in qua inter alia ſic loquuntur: *Cum vero indignum ſit quæ nobis examinanda proponuntur, alieno calculo judicare, eorum præſertim, quorum res agebatur & cauſa . . . de integro libro judicavimus, prout in inſtrumento a nobis confecto, & propria manu ſubſcripto continetur. . . . Reliquis omnibus tam ſæcularibus quam Religioſis ignorantibus prorſus non modo cenſuram judiciumque noſtrum; ſed etiam quidquid in tam frequenti Conventu noſtro verſaretur.* Integras epiſtolas legere licet apud Eleutherium (y).

CXXV.

(y) *L.* 2. *c.* 13. *de Auxil. grat.*

CXXV.

Nihil jam ſpei reliquum videbatur Adverſariis tum in Luſitania, tum in Hiſpania. Igitur omnem operam ſuam in id contulerunt, ut cauſa tota ad Romanæ Inquiſitionis Tribunal pertraheretur. Id effectui dederunt, potentum in Urbe amicorum ſuffragiis confiſi anno 1596. quo Banneſius victoriæ certius obtinendæ ſpe illectus Didacum Alvarez, cum privatis libri Molinæi accuſationibus ac cenſuris Romam ablegavit. Hic quamprimum ad Cardinalem Alexandrinum, Ordinis Prædicatorum, e quo ad purpuram adſumtus erat, *Protectorem* ſe contulit, ejusque in re tanti momenti auxilium implorans ſupplicem libellum porrexit, Pontifici ſi videretur exhibendum. In iſto autem decem propoſitiones continebantur, novem e libro Molinæ, decima vero e Franciſci Suarii, Molinæ defenſoris, operibus collectæ una cum cenſuris cuivis propoſitioni ſubjectis, quibus titulus erat præfixus: *Apologia Fr. Fr. Prædicatorum in Provincia Hiſpaniæ, SS. Theologiæ Profeſſorum* &c. Nec mora: Apologiam hanc Card. Alexandrinus Clementi Pontifici clam obtulit, & adnitentibus Cardinale Aſculano, priusquam

ad

id purpuræ ſacræ honorem eveheretur, Dominicanæ Familiæ Alumno, atque Franciſco Pegna Rotæ Decano, rem eo deduxit, ut quamprimum litis cognoſcendæ initium daretur, quod etiam factum eſt 2. *Jan. an.* 1598. coram octo vel potius novem Conſultoribus a Pontifice deſignatis, quibus Alvarez cum ſuis jam antea perſuadere conatus eſt, id unum Molinæ propoſitum fuiſſe, ut novam de gratia & *prædeſtinatione* Theologiam cuderet, deſerto antiquitatis tramite, contemptaque SS. Auguſtini ac Thomæ auctoritate. Res maxima cum feſtinatione peracta eſt. nam vix menſium trium ſpatio poſt undecim conventus celebratos Conſultores iſti 13. Martii ejusdem anni judicium decretorium pronunciarunt in hæc verba: *Cenſemus e re Catholica eſſe, ut liber qui inſcribitur Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, compoſitus a Ludovico Molina, & ejus doctrina omnino probibeatur* &c. Verum Pontifici merito ſuſpecta fuit tanta in re tanti momenti, cui examinandæ plures integros annos Luſitaniæ ac Hiſpaniæ ſacra Tribunalia impendiſſent, feſtinandi judicandique ratio. Quare telam retexere juſſit, cauſamque majori cum circumſpectione ac diligentia, actisque controverſiæ in Hiſpania inchoa-

tæ (quæ Conſultoribus exſpectare non libuit, donec adveherentur) inſpectis ad incudem revocari. deprehenſum enim fuit, damnatas fuiſſe ab iisdem propoſitiones quasdam Molinæ, quæ vel erant certæ, vel communiter in Theologia receptæ, & quidem non audita parte altera : præterea non æquitatem arbitrorum ſed adverſariorum acerbitatem præſeferebant, quum unus eorum Gregorius Coronellus ſingulis fere paginis cenſuræ in Molinam uti hæreticum & Pelagianum inveheretur. Sed poſt multos alios conventus necquidquam meliores Clemens una ex parte juſtis contra Conſultores querelis fatigatus, ex altera inſpectis tot Academicarum & Theologorum teſtimoniis, quæ ex ſingulis Europæ partibus interea Romam transmiſſa Molinæ doctrinam magnopere commendabant, ipſe ad cauſæ cognitionem ſe accinxit partium congreſſibus coram ſe indictis, monitisque duorum Ordinum, Prædicatorum & Jeſuitarum ſupremis Rectoribus, ut quos vellent Theologos in ampliſſimam Diſputationis arenam ſecum adducerent : Spectatorem ſe fore ac Arbitrum univerſi certaminis. Huic initium datum eſt anno 1602. 20. Martii in Vaticano Palatio, in quo prima Congregatio celebrata fuit

coram

coram Summo Pontifice, cui aſſidebant Cardinales duo, Pompejus Arragonius, & Camillus Burgheſius, qui poſtmodum ſub Pauli V. nomine toti Eccleſiæ diu præfuit. Epiſcopi aderant complures doctrina præſtantes & eruditione. Partes Dominicanorum ſuſtinebat Didacus Alvarez Magiſter & Regens Minervitanus, poſtea Archiepiſcopus Tranenſis, Prædicatorum Theologus, qui præter Commentarios in Iſaiam Prophetam de Auxiliis gratiæ, & humani arbitrii viribus ſcripſit: Molinæ vero ac Societatis cauſam tuebatur Gregorius de Valentia, qui per annos viginti tres Theologiam Scholaſticam & docuit, & Tomis quatuor illuſtravit. Ubi Pontifex pauca præfatus erat de natura & momento negotii, omneſque paterne adhortatus, ut ſuo quiſque munere ſedulo & fideliter fungeretur, quæſtio agitari cœpit: Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, S. Auguſtinus, an Molina? reſpondit Valentia, Molinam non majores tribuere quam tribuiſſet Auguſtinus, nec ullas eidem negare, quas idem Auguſtinus conceſſerit. Utrumque hoc aſſertum prolixa doctaque oratione probavit adductis tum Auguſtini tum Molinæ teſtimoniis clariſſimis, & viſus eſt etiam Adverſa-

verſariis non diffitentibus palmam in hoc omnium primo congreſſu retuliſſe, Didaco Alvarez arena excedente, cujus in locum ſucceſſit Thomas de Lemos Theologus Prædicatorum, in diſputando vehementior priore. Tenuit autem hæc diſputandi ratio inter utrumque Ordinem in hoc literato Almæ urbis theatro ſumma cum Orbis Chriſtiani exſpectatione per quatuor fere annos usque ad annum 1606. Congregationes univerſim quadraginta ſeptem inſtitutæ fuerunt, nempe triginta ſeptem Clemente VIII. hoc autem e vivis ſublato præſente Paulo V. decem reliquæ. Cauſam intervallo temporis hujus egerunt e Familia Dominicana Didacus Alvarez, & Thomas de Lemos: e Societate Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal, & Ferdinandus Baſtida. quid in ſingulis Conventibus iſtis actum fuerit, e publicis monumentis fide digniſſimis exponit Theodorus Eleutherius, & ex Actis nomine Franciſci Pegnæ & Fr. Thomæ de Lemos in lucem datis Auguſtinus le Blanc. Initio quidem multum temporis in eo rerum articulo abſumptum fuit, num propoſitiones e Molinæ libro extractæ cenſuram jure mereantur, & vel Pelagianismo affines, vel ominino eſſent Pelagianæ. Paullo poſt
ven-

:ntilata fuit quæſtio, an Molina ſentiat
im Caſſiano; tum ejus doctrina cum
uguſtini doctrina conferebatur, expen-
:baturque num ei conformis ſit, nec
:. Sub initium quidem controverſiæ
lemens parum favere Molinæ, quin
iam neſcio quibus præjudiciis occupa-
animo ad diſputantium cœtus acce-
:re videbatur, ſed perceptis, quibus
:cuſationum torrens ſiſtebatur, re-
onſis, licet jam adverſa valetudine
ntaretur, Codicem Molinæ magna at-
ntione ipſus legit, & notis propria
anu adſcriptis a Pelagianismo & Semi-
:lagianismo vindicavit, quibus illuſtra-
is hic ipſe Codex etiamnum in Tabu-
rio Romano Societatis aſſervatur. Sed
)s pios doctosque Pontificis conatus
:avis morbus, morsque an. 1605. ſecu-
ſubito evertit.

CXXVI.

Huic qui ſucceſſit Paulus V. diverſam
ɔc in negotio viam inivit: hauſerat enim
:rfectiſſimam rei totius notitiam e tot
lis, quibus interfuerat ſub Anteceſſore
io concertationibus. Quare quum pro-
e animadverteret, tempus teri vanis
elagianismi ac Semipelagianismi objecta-
onibus, utpote quibus pars altera æquali

 vel

vel majori jure affinitatem cum Lutheri ac Janſenii doctrina opponeret, præter omnem Accuſatorum ſpem & exſpectationem in examen vocari permiſit. *Prædeterminationem* phyſicam Banneſianorum, quod ne fieret, toto auctoritatis pondere ſub Clementis Pontificatu amoliti fuerant, prætexentes nolle ſe ex Actoribus Reos fieri, nec paſſuros ſeſe, ut qui Molinianæ doctrinæ Accuſatores venerunt, propriam (tanquam aliquid in ea periculi lateret) tueri cogerentur. Coacti ſunt tamen. Itaque rejectis ambagibus denique ad ipſam controverſiæ radicem de gratiæ efficacis natura, & phyſicæ *prædeterminationis* indole perventum eſt, propoſitaque hæc Pontificis voluntate quæſtio: *An Deus ſua efficaci gratia moveat hominis voluntates ad actus liberos bonos non ſolum intus ſuadendo, invitando, excitando, aut alias moraliter attrahendo, ſed etiam vere, & active proprie, ſalva tamen humana libertate? & an talis efficax gratia convenienter ab aliquibus ſcholaſticis phyſice prædeterminare dicatur?* huicque rei ventilandæ fere omnes reliquæ Congregationes maximo utriusque partis conatu impenſæ fuerunt. Lemos quidem adductis Scripturæ ac Patrum, præcipue D. Auguſtini

ac

ac S. Thomæ locis bene multis id, quod caput rei erat, evincere conabatur, violari ſupremum dei in omnes actiones humanas dominium, dum gratiæ *intrinſeca* & *eſſentialis* efficacia, visque *prædeterminandi* voluntatem denegatur, & tribuitur libero arbitrio virtus ſe ipſam in hanc vel illam partem, ſeu ad bonum ſeu ad malum inflectendi. At Baſtida prolixe demonſtravit, non minus a Scriptura & Patribus ſupremum dei in omnes res creatas dominium extolli, quam humanæ voluntati conceſſam a Deo libertatem commendari: utrique quod ſuum eſt, eſſe tribuendum, ne fidei dogma hoc in negotio evertatur: jam vero ſupremum dei dominium intactum relinqui, ſi dicatur, Deum dando gratias non quidem in ſe efficaces, ſed tales, quibus per ſcientiam mediam (quæ Deo negari non poteſt) prævidet voluntatem humanam in his vel illis circumſtantiis poſitam eſſe conſenſuram, quemlibet actum bonum obtinere poſſe, quum penes ipſum ſolum ſit dare hujusmodi gratias, vel non, ſalva interim hominis libertate, utpote a qua conſenſus ejusque *prævifio* ſuo modo penderet: verum dando gratias in ſe efficaces, & quæ ex natura ſua *infallibiliter* cum conſenſu eſſent

connexæ, nec quo minus efficaces ſint, ulla ratione impediri aut evitari ab homine poſſint, tollere libertatem *indifferentiæ*, contra quam noviſſime Tridentinum Concilium, cujus utique auctoritas cuicunque auctoritati & rationi prævaleret (z), conceptis verbis definierit: *liberum hominis arbitrium a Deo motum poſſe diſſentire, ſi velit;* cum qua definitione ſyſtema Molinæ ac Societatis de gratiæ efficacia optime convenire, contra ſyſtema Thomiſtarum *Prædeterminantium* conciliari non poſſe palam foret. Multa heic, ut fieri amat repoſuit Lemos, multa replicavit Baſtida. Graviſſimum pondus addiderunt Acta Concilii Tridentini in Arce S. Angeli adſervata, e quibus Cardin. Bellarminus in ſcripto Pontifici oblato (quod adhuc in Tabulario Societatis Romæ adſervatur) hæc illi retulit: *In Actis Concilii, quæ habentur in arce S. Angeli, refertur, quod cum in diſputatione Theologorum, quæ habebatur ante ſeſſionem ſextam, duo Religioſi protuliſſent ſententiam iſtam de prædeterminatione liberi arbitrii, fuit male acceptum a cæteris, eo quod non videretur valde Catbolicum, & propterea Decretum formatum eſt, juxta communem alio-*

(z) *Seſſ. 6. Can. 4.*

aliorum ſententiam. His omnibus coram Tribunali ſuo diu multumque agitatis, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1606. ut tandem controverſiæ huic finem imponeret, rem poſt collecta Judicum ſuffragia cum ſolis Cardinalibus contulit, matureque expendit. Quid in eo congreſſu decretorio actum fuerit, inter arcana nemini adhuc pervia referri debet. E nullis enim monumentis certo reſciri potuit hucusque, an aliquid concluſum fuerit pro hac vel illa ſeu damnanda ſeu publice adprobanda ſententia. *Fuere*, inquit Adverſarius le Blanc (a), *qui dicerent, Pontificem & quinque Cardinales pro Apoſtolica definitionis promulgatione pronunciaſſe, quatuor interceſſiſſe. Verum quid certo rei fuerit, probavit eventus.* Quinam illi fuerint, non refert hic Auctor. Sed fuerunt etiam alii, qui aſſererent, uti Spondanus ad an. 1606. Joannes Martinez de Ripalda (b), atque ut nihil dicam de Petro a S. Joſepho e Congreg. Fulienſi, de Paulo Leonardo Iberno, Manapienſi S. Theol. Profeſſore, Gabriele Hennao, & Franciſco Annato &c. Eleutherius ſeu Livinus de Meyer: notum eſſe orbi, Pontificem cum Cardinalibus Per-

(a) *L. 4. Hiſt. c.* 18. (b) *Hiſt. Controv. de Auxil. Vindic. l.* 1. *c.* 6.

Perronio & Bellarmino, & aliis pronunciaſſe, *ut omnis doctrina Molinæ indemnis conſiſteret, & ut utriusque Familiæ ſententia in Scholis Catholicis tuto & impune doceretur, donec aliud a S. Sede decernatur, ea tamen lege, ut neutram quisquam carpat, injuriisque laceſſat.* Verum quum certis omnino publicisque Tabulis iſta non conſtent, optimum erit (uti nec diffitetur le Blanc paullo ante citatus) rem *ex eventu* metiri, & cum ipſo, licet Adverſario acerrimo, e cauſæ exitu *probare*, penes quam partem victoria tot tantisque conatibus quæſita ſteterit. Igitur lite primum in Luſitaniæ ac Hiſpaniæ regnis apud S. Inquiſitionem ab æmulis mota Molinæ ac Societatis doctrina illæſa & ab omni erroris ſuſpicione libera ut vidimus prodiit: tum Romæ in conſpectu Sedis Apoſtolicæ, ſupremoque in rebus fidei ac morum Tribunali graviſſimorum errorum Pelagianismi & Semipelagianismi innumeris adverſæ partis machinis & artibus poſtulatur: Primi in Luſitania, Hiſpania & Romæ Banneſiani fuerunt, qui eam in jus vocarunt, qui accuſarunt licet tot Academiis & Religioſis Ordinibus probatam, qui Actoris partes ſuſtinuerunt, & damnationem ac extra fines orbis li-

te-

terati proſcriptionem illius modis omnibus urſerunt. Nihilominus poſt tot Congregationes, Examina, & contraria etiam Conſultorum plurium ſuffragia a ſupremo in terris Judice Sacro ſummo Pontifice conceſſum eſt, ut omnis doctrina Molinæ (atque ita etiam Societatis, quamvis hæc non omnem Molinæ doctrinam, prout ipſe explicat, propriam ſibi fecerit) indemnis perſiſteret, & Societas in poſſeſſione dogmatum ſuorum quieta permaneret, eximereturque ab omnibus ſiniſtris cenſuris atque injuriis. Jam vero certa eſt, & apud omnes civitate donata Juris Regula: *Actore non probante reus & vincit & abſolvitur.* Quis autem ſanæ mentis ab Actoribus Banneſianis in Judicio probatum fuiſſe credat, doctrinam Molinæ ac Societatis S. Scripturæ contrariam eſſe, SS. Patribus præſertim Auguſtino & Thomæ aperte contradicere, Pelagianismum & ſemipelagianismum ſapere; immo hæreticam eſſe; & nihilominus a Summis Pontificibus Clemente VIII. Paulo V. & Succeſſoribus non tantum non fuiſſe damnatam & proſcriptam, ſed impune ac centum & quinquaginta annis ad hæc usque tempora doceri permiſſam? Audire juvat ſatis recens documentum. Benedictus XIII. ex Illuſtriſſimo Prædi-

catorum Ordine ad Pontificiam ſedem evectus Decretum edidit an. 1724. quo Thomiſtas *laudabiliter hactenus ſententias ſuas de gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum docuiſſe* aſſerit utpote, *quas ab ipſis Sanctis Doctoribus Auguſtino & Thoma ſe hauſiſſe, & Verbo Dei, ſummorumque Pontificum & Conciliorum decretis & Patrum dictis conſonam eſſe ipſorum ſchola commendabili ſtudio glorietur.* Aliquot annis poſt fata Benedicti, videlicet 1733. 2. *Octobr.* Clemens XII. aliud Breve Apoſtolicum in lucem dedit, quod videre eſt in Bullario Romano (c) quodque incipit: *Apoſtolicæ providentiæ beneficio.* In hoc ita loquitur: *Mentem tamen eorundem Prædeceſſorum noſtrorum* (ſcilicet Clementis XI. & Benedicti XIII.) *compertam habentes nolumus aut per noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticæ ſcholæ delatas, quas iterato judicio noſtro comprobamus & confirmamus, quicquam eſſe detractum cæteris Catholicis Scholis diverſa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc ſedem præclara ſunt merita, quo minus ſententias ea de re tueri pergant,*

(c) *Tomo XIII. pag.* 362.

gant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in hujus Almæ urbis luce docuerunt & propugnarunt. Igitur ex eventu, ut dixi, optime & citra omnem dubitationem probatur, immo patet, in hac ſummi momenti controverſia victoriam penes Molinæ Concordiam & Societatis doctrinam absque omni adulatione, aut inani jactantia ſtetiſſe ac ſtare etiamnum. Atque hæc, quæ hucusque commemoravi, qua potui fide collegi e vaſtis duobus Tomis Hiſtoriæ Controverſiarum de Divinæ gratiæ auxiliis a Theodoro Eleutherio ſeu Livino de Meyer S. J. Theologo conſcriptis, non inconſulta tamen adverſarii Auguſtini Le Blanc, ſeu Fr. Hyacinthi Serry Ord. Præd. Theologi Hiſtoria. Meretur autem Livinus apud quemvis æquum rerum æſtimatorem fidem profecto maximam, *in primis* enim, quæ ipſe in medium profert, tum e Tabulis Authenticis tum e Criticæ placitis manifeſte probat. *Dein* Adverſarium in hiſtoria ſua concinanda commercii cum Janſeniſtis & præcipuis eorum Capitibus, ex literis juſſu Regio Bruxellis interceptis in Præfatione ſua aperte convincit. *Denique* oſtendit, eundem ſcriptorem pleraque hiſtoriæ ſuæ documenta deſumpſiſſe ex actis nomine Franciſci Pe-

gnæ,

gnæ, & Fr. Thomæ de Lemos in lucem datis, quibus tamen Innocentius X. Pontifex edito die 23. *April.* 1654. decreto *nullam omnino fidem* adhibendam eſſe declaravit. Plura de tota Controverſia ex Inſtituto in lucem protuli alio in libro, cui titulus: *Ingenua Indoles Scientiæ mediæ, Probabiliſmi, & Gratiæ efficacis, cum animadverſionibus Hiſtoricis, Criticis & Theologicis,* typis vulgato anno 1759.

§. X.

Controverſia de Probabiliſmo.

CXXVII.

Nefas foret diſſimulare hanc Controverſiam, quæ jam olim, & nunc vel maxime, tantis partium ſtudiis, tantoque ſtrepitu eſt agitata, ut totam Europam, & quod ultra eſt, velut immani terræ motu concuſſam crederes. Ut rei totius, de qua agitur, cardo ante oculos ponatur, reflectendus eſt animus ad geminas propoſitiones a Summis Pontificibus circa morum doctrinam damnatas, e quibus intelligere licebit, quis hoc in negotio Eccleſiæ Catholicæ ſenſus ſit. Alexander VIII. *an.* 1690. 8. *Decembr.* damnavit

avit hanc propoſitionem numero ter-
tiam: *Non licet ſequi opinionem vel in-
ter probabiles probabiliſſimam.* Innocen-
us vero XI. *an.* 1679. 2. *Mart.* Iſtam
idem numero tertiam: *Generatim dum
probabilitate ſive intrinſeca ſive extrin-
ſeca, quantumvis tenui, modo probabili-
tatis finibus non exeatur, confiſi aliquid
gimus, ſemper prudenter agimus.* En!
uo velut extrema, duosque cardines in
pinionum probabilium uſu. Quidam quos
igoriſtas aut *Tutioriſtas* adpellant, ab
mni ſpecie probabilitatis quantumvis ma-
iæ aut etiam maximæ abhorrentes ubi-
ue id, quod tutius eſt, ſequi oportere,
uantumcunque probabilis foret opinio
ontraria, magno cum ſtrepitu contende-
unt. Alii quos *Benigniſtas*, aut *Laxos*
u *Laxones* dicunt, nimium quam par eſt
ena laxantes conſcientiæ ad actionis li-
ntiam plus non requiri docuerunt, quam
pinionis probabilitatem aliquam, licet
nuem & exiguam, unde unde demum
a accerſeretur, ſive ab auctoritate ſive
ratione, verbo probabilitatem adparen-
m. Priores peccarunt rigore, poſte-
ores benignitate: utrique a via media
u regia, quam omnis virtus moralis
net, ſeu aberrarunt ad dextram, ſeu
l ſiniſtram declinarunt: utrorumque do-

ctrina a ſummis Pontificibus tanquam noxia, & diſciplinæ morum inter Chriſtianos inimica damnata fuit. Præter hos aliæ ſincerius opinantium claſſes in lucem prodiere: una eſt *Probabilioriſtarum* ſeu illorum, qui non quidem tutiora ubivis eligenda eſſe cenſent, bene tamen ea, quæ ſunt probabiliora: altera eſt *Probabiliſtarum*, quæ omni probabilitati, modo vere ac theologice, & comparate talis ſit, & intra debitos conſtricta limites (e. g. ne ſententia legi certæ, aut principio certo, pacto, vel cenſuræ publicæ &c. adverſetur) locum concedunt tunc, quando ſolum de actionis licentia agitur. Prima claſſis aliquantum deflectere videtur ad unum rigoris extremum, de quo dixi; ſecunda vero ad alterum benegnitatis extremum: in æquilibrio tamen, uti ita dicam, poſita neutra iſtorum ſententia a Summis Pontificibus cenſura eſt unquam notata, aut Vaticano fulmine tacta, quamvis teſte P. Gabriele Daniel (d) Innocentius XI. fere toto, quo Eccleſiæ clavum tenuit, tempore opportune importune urgeretur, ut doctrinam & propoſitionem iſtam: *Licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, quæ vere ſit probabilis*, condemnaret, nunquam tamen

(d) *In epiſt.* 3. *ad Alexandrum Natalem.*

tamen audita litigantium utraque parte, omnibusque probe diſcuſſis exorari ſe paſſus eſt, ut id ageret, & adverſantium zelo patrocinaretur. Neque ullus hucusque Pontificum fuit, qui poſterioribus etiam & noſtris temporibus, quibus ad ſummum faſtigium perveniſſe viſa eſt hac in re quorundam criminandi libido, eo induci ſe permiſit, quamvis plurimas alias propoſitiones ſingulares, ac opiniones ſeu juſto rigidiores ſeu laxiores jure merito e regno conſcientiæ ac morum doctrinæ proſcripſerint & condemnarint. Non equidem me latet, eſſe Thomiſtas aliquos, præcipue Fr. Danielem Concina, Ord. Præd. qui dicere non vereantur, ſententiam benignam fuiſſe ſæpius a Summis Pontificibus damnatam. Sed ubi teſtes, ubi tabulæ? Forte, quia damnarunt aliquas propoſitiones, quæ circa ſingulares caſus verſantur? (ecce artem ſatis illiberalem argumentandi a ſpecie ad genus) vel quia damnarunt propoſitionem aliquam generalem, in qua continetur probabilismus? (ecce crimen falſi) Non primum. nam ex eo, quod aliqui ex principio vel male intellecto, vel perperam adplicato opiniones & ſcientias quasdam minus ſobrias & cenſura notatas protulerint, nulla ratione ſequitur, ipſum prin-

cipium & fundamentum eſſe damnatum, niſi velimus ipſam S. Scripturam & SS. Patrum doctrinam circa multa damnare, quum iis abuſi quamplurimi vel per malitiam vel per ignorantiam damnatas propoſitiones & integras hæreſes inde derivarint. Non ſecundum: adferant enim in medium, ſi talem aliquam propoſitionem generalem ſciant, ubi damnatus ſit probabilismus genuinus & hæc propoſitio: *Licitum eſt ſequi opinionem minus tutam & minus probabilem, quæ tamen vere, theologice ac comparative probabilis eſt, relicta tutiore ac probabiliore?* Duas propoſitiones generales, ut dixi in negotio hujus controverſiæ damnatas eſt invenire: Formemus ex illis hoc enthymema: *Non licere ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam:* &, *generatim licere ſequi opinionem quantumvis tenuiter probabilem, utraque propoſitio eſt damnata: ergo opinio minus quidem, vere tamen, theologice ac comparative probabilis eſt damnata.* negabunt omnes Logici conſequentiam, utpote plus in concluſione, quam in præmiſſa poſitum erat, inferentem. Longe melius & ſcholæ placitis conformius licebit ſic argumentari: Secunda propoſitio damnata dicit: *generatim,*

natim, & propoſitionem *quantumvis tenuem* ſequi licere: at genuinus probabiliſmus neutiquam docet, generatim licere, dum excipit Judicem, Advocatum, Medicum, Miniſtrum Sacramentorum &c. neque docet, propoſitionem quantumvis tenuem, ſed vere, theologice, ac comparate probabilem ſequi licere: ergo genuinus probabiliſmus per hanc damnatam propoſitionem non eſt damnatus. Concluſio eſt in forma. Ex his, ut opinor, ſatis clare patet inprimis; æque in Eccleſia Catholica tolerari doctrinam illam, quæ ut licite agatur, opiniones probabiliores, *quamvis minus tutas*, amplecti nos poſſe docet, quam eam, quæ opiniones etiam minus probabiles, *modo vere tales ſint*, ſequi nobis licere profitetur, quum utraque in præcipuis Scholarum exedris, & a Theologis præſtantiſſimis impune nec reclamante Eccleſia tradatur, quam utique non conficiunt ii ſoli, qui tam aperta licentia, nec ad aliud, quam ad fidelium ſcandalum ſerpiente, in partem ſibi adverſam declamant.

CXXVIII.

Jam ut ad originem hujus controverſiæ deveniamus, poſt Dominicum Soto

& Bartholomæum Medinam, graviſſimos Theologos ex Ordine Prædicatorum, qui ſeculo XVI. floruerunt, quique præ cæteris doctrinam probabilitatis cœperunt excolere (antiquiores enim plerique datis ad ſingulares caſus reſponſis contenti erant) cuncta integro pene ſeculo ſatis pacate ac quiete agebantur, dum eam multi alii graviſſimique Theologi pluribus annis, uti poſtmodum patefaciam, impune cum ſancta quadam ſimplicitate profeſſi ſunt. Verum ubi Janſeniſtica ſecta in Galliis potiſſimum & Belgio caput extulit, magnum in diſcrimen adducta fuit. Quum enim Janſeniſtæ probe cernerent, quin & ſentirent, Societatis Theologos eorum conatibus ſe velut murum pro Eccleſia Dei opponere, atque e latibulis perverſa eorum dogmata magis magisque in lucem protrahere, odium ac furorem diu animo conceptum tandem in univerſæ Societatis nomen, famam, ac doctrinam pleno alveo effuderunt. Quare quum ipſi magni cujusdam rigoris externi, ac ſacræ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ pallio graviſſimos errores ſuos obtegerent, ut his apud vulgus reverentiam conciliarent: noſtri vero præter alios Viros & ſcientia & dignitatibus Eccleſiaſticis ſumme conſpicuos latens virus

u & hypocriſin detegerent; id conſilii
mſeniſtæ inierunt, ut multorum e So-
etate benigniorem doctrinam noxiæ li-
rtatis & morum corruptelæ palam ac-
ſarent, atque convitiis, cavillationi-
s, contumeliis, omnique confictarum
minationum genere in Orbis Chriſtia-
conſpectu qua libris qua ſchediasma-
male cohærentibus ſine fronte ac ſine
lore proſcinderent. Inter hos facile
inebat Blaſius Paſchalis qui nomen
dovici Montaltii ſibi adſciſcens *Literas*
vinciales male fauſto partu in lucem
idit, quas amici ejus, ut Jeſuitarum
men & doctrinam latius adducerent
invidiam, Janſenioque ſimul & Arnal-
gratiam facerent, in varias linguas,
mpe præter Gallicam, in Latinam Hi-
anicam & Italam ttansfundendas cura-
nt. Sunt illæ ad hiſtrionicæ artis api-
s omnes elaboratæ, facetiis & ſalibus
n minus quam innumeris mendaciis
fertæ, quibus in morum doctrina gra-
ſſimis piiſſimisque Auctoribus abſurdiſ-
mas & abominandas ſententias ac opi-
ones velut ab iisdem prolatas adtri-
unt, de quibus ne cogitationem ullam
mentem ſuam illi admiſerunt. *Jeſui-*
s igitur ſcribit Montaltius (e) *quam*

 pri-

(e) *Epiſt.* 5. *Edit. Colon. pag.* 98.

primum adito me Auctore: hoc ſpondeo futurum, ut in illorum morali Diſciplina tam corrupta, tamque lutulenta Moliniſticæ de gratia doctrinæ fontem reperias. Videbis ſtupendam Chriſtianæ virtutis ignorantiam; videbis pro vera ſolidaque virtute neſcio quæ tantum circumferri ſimulacra virtutum, ſpiritu ac ſenſu, id eſt, charitate carentia, videbis innumera crimina quæſitis prætexi coloribus: videbis innumeras morum labes ignava quadam indulgentia tolerari &c. Caro tamen ſtetit Montaltio & Sociis labor iſte. nam liber Epiſtolarum tum ob cavillandi impudentiam, tum ob contentos in eo Janſenianos errores damnatos auctoritate Ludovici XIV. Galliarum Regis ac Regii Senatus Conſulto *an.* 1660. 14. *Octobr.* publice carnificis manu Pariſiis Vulcano traditus eſt, quod Senatus Conſultum integrum refert Alphonſus de Saraſa (f) Romæ vero ab Alexandro VII. 6. *Septembr.* 1657. condemnatus eſt, & legi ac retineri prohibitus, eodem teſte Auctore Synchrono. Hunc ipſum librum ſeu literas Provinciales notis illuſtravit, ſi fas eſt ita loqui, Guilielmus Wendrochius, ſub ficto hoc nomine latens Petrus Nicole Theologus Gallus,

(f) *Tom.* 2. *Tract.* 4. §. 3.

lus, Montaltii familiaris, ſed fere audacior. Hic in memoratis notis (g) *probabilitatis doctrinam inanes cavillationes* eſſe aſſerit; *flagitioſe ac audaciſſime eam defendi; hoc probabilitatis dogma tantum virus eſſe, ut omnem pene Theologiam infecerit.* alibi (h) *Tam late fundantur* ait *ſcelerati dogmatis rami, ut in totius religionis aperte graſſentur exitium, & in omnium denique religionum horrendam permixtionem tendant.* Verum hæ Wendrochii notæ parem cum Montaltii literis ſortem ac pœnam Pariſiis ſubiere, nempe quem merebantur, rogum. Elevare quidem conatur Montaltii & Wendrochii probrum, & Tribunalis Regii judicium Fr. Daniel Concina, neſcio qua ductus miſeratione, certe more ſuo ſatis artificioſe, contendens epiſtolas illas anathemata & flammas fuiſſe expertas ſolum propter Janſenii doctrinam in iis contentam, cætera immunes ab aliis criminibus eſſe deprehenſas. ait enim (i): *Janſeniano fermento potiſſimum quatuor primas* (epiſtolas) *inquinatas eſſe compertum. Violatæ quoque ſinceritatis in caſui-*

(g) *Ad Epiſt.* 5. *Sect.* 1. §. 1. *& Sect.* 2. §. 3. (h) *Sect.* 3. §. 5. (i) *Theol. Chriſt. Tom.* 2. *Diſſert.* 1. *c.* 3.

caſuiſtarum textibus refellendis poſtulatus Paſchalis fuit; at peracto per menſem examine nihil impoſturæ, ad hoc quod attinet, repertum eſt. Ita rotunde Fr. Concina. Sed aliud loquitur Senatus Conſultum, quod ut dixi, Saraſſa integrum refert. Inter alia, inquit illud, *damnatas ab Eccleſia hæreſes ſuſtineri ac defendi tum in prædictis Montaltii literis, & notis Guilielmi Wendrochii, & Paulli Irenæi; detractionem vero & petulantiam adeo familiarem eſſe tribus illis Auctoribus, ut non parcant ulli hominum generi, non ipſi ſupremo Pontifici, non Regibus, non Epiſcopis, non præcipuis regni Miniſtris, non facultati Theologicæ Pariſienſi, non Familiis Religioſis, & prædictum librum dignum eſſe pæna a jure decreta in libellos* NB. *infamatorios, & libros hæreticos.* Nihil heic legitur de examine per menſem peracto circa malam fidem in referendis Caſuiſtarum textibus; geminæ adducuntur cauſſæ damnationis, gemina delicta, ſcilicet quod contineant hæreſes Janſenii, & quod adeo petulantes ſint in infamandis ſummis Principibus & aliis, atque etiam Religioſis Familiis: quam ipſam ob cauſſam noviſſimo decreto Romæ anno 1761. ad ignem damnatæ fuerunt. Primum negare non potuit

potuit Concina; alterum fateri non erat e re ſua & aliorum, pari licentia in Probabiliſmum & Jeſuitas, ut videbimus, declamantium. Quid igitur conſilii? aliud quid ſubſtituit, de quo nulla mentio facta eſt; qua fide? parum refert. Cætera egregiam Montaltio & Wendrochio operam navavit Theologus quidam Hibernus, & Doctor Lovanienſis Joannes Baptiſta Sinichius in libro, cui titulus: *Saul Ex-Rex* (k) ubi probabiliſmi doctrinam *Libertinis ſummopere arridentem, Eccleſiaſticæ diſciplinæ non tam inſidiantem quam inſultantem* proclamat: *Auctores vero eam docentes laxitatum præcones & buccinatores, cæcos & duces cæcorum, denique ſeductores Chriſtianorum eſſe* criminatur. Ita in benignam ſententiam ejusque patronos deſæviunt Janſenii diſcipuli, hisque affines, e quibus tres ſolum heroes, ac tria ſpecimina heic produxi: ſunt alii plurimi, ſunt plurimæ aliæ calumniæ, toti orbi literato notæ. Quid mirum?

CXXIX.

Sed quod mirere, non defuerunt nec deſunt etiamnum Doctores quidam Catholici, qui omnia undique corradunt ad detur-

(k) *Lib.* 1. *c.* 94 *&* 98.

deturpandam probabilismi doctrinam, & famam ejus fautorum denigrandam. Audiemus Vincentium Contenſionum Ord. Præd. (1) de doctrina probabilitatis ita loquentem: *Manifeſtum eſſe*, ait in Proœmio, *adveniſſe tempus illud ab Apoſtolo prænuntiatum; quo hominibus ſanam doctrinam non ſuſtinentibus, & ad ſua deſideria magiſtros prurientes auribus ſibi coacervantibus fons Probabiliſmi apertus eſt: unde tot aberrationes, tot doctrinæ moralis flagitia ſcaturierunt, & innumera indies ſcaturiunt.* Nominat ibidem *corruptelam, peſtiferum venenum, licentiam paucis luſtris invectam, ſed indies ad Chriſtianæ pietatis excidium & Catholici nominis dedecus graſſantem.* Porro capite primo pergit: *at contra veri S. Thomæ diſcipuli, tanti Doctoris veſtigiis a SS. Patribus deſignatis inhærentes huic novitati capitaliter adverſantur; quin credunt, hoc novo probabilitatis commento laſcivientibus ingeniis ad depravandam Evangelii caſtimoniam laxiſſimas habenas remitti, ruinam Eccleſiaſticæ diſciplinæ imminere, tantamque in Theologia ſtragem edi, ut quomodo cum eo Romanæ Eccleſiæ fides, pietas, diſciplina conſiſtere poſſint, omnino non videant.*

(1) *In Theol. mentis & cordis lib. 6. Diſſert. 2.*

deant. Alloquens ſubin Probabiliſtas cum gemitu exclamat: *Cur novellæ probabilitatis contagio non jam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conati eſtis? ad delendam Prælatorum poteſtatem tollitis peccata mundi; ad invehendam & firmandam veſtram auctoritatem nova in dies peccata in mundum invebitis; Confeſſarium veſtris probabilitatibus adverſantem ſine miſericordia damnatis* - - - & aliſbi: *Probabiliſmus eſt omnium fons peccatorum, Eccleſiæ & Evangelii dogmata evertit, & eſt horrori; bæreſi favet* &c. Eodem in Opere ſuo Theologico idem Auctor (m) *cum arbor bona*, inquit, *non poſſit malos fructus facere, tunc incipiunt homines cordati de probabilitatis nedum veritate, ſed etiam probabilitate dubitare; cum ex ea illas videant ſpurcitias ſine modo defluere, ad quos infernus horreſcat. . . . Quis non abhorreat a prætenſa probabilitatis ſecuritate, qua admiſſa innumeræ nefandorum ſcelerum immanitates, infinitæ ſpurcitiarum turpitudines honeſtantur? . . . . una probabilitate freti* (ſcilicet probabiliſtæ) *ſanctiſſima quæque Evangelii dogmata perverterunt, eamque morum diſci-*

(m) *In Novello Probabilitatis commento c. 1. Specul. 2.*

babilitatum monſtra: meram divinorum præceptorum eluſionem: vocat *artem cum Deo cavillandi: probabilitatum præſtigias* &c. & ut intelligamus, contra quos agat Gonetus, citat fere ſolos Jeſuitas præter Caramuelem. Natalis Alexander Ord. Præd. ut videre eſt apud Gabrielem Danielem (q) paſſim traducit probabilitatis doctrinam, & aliorum Theologorum nomine (quinam iſti?) quaſi rogatus erumpit in amariſſimas contra illam querelas, *quod ſit falſa, pernicioſa, certiſſimus fons, unde crimina omnia ſcaturiunt: plenam doloris rem eſſe, videre Suarezios, Vaſquezios, Azorios, Laymannos, Soc. Jeſ. Anteſignanos Doctores hanc doctrinæ labem peſtemque defendere.* Ut alios prætercam, Fr. Daniel Concina Ord. Præd. paucos ante annos in Probabilismi negotio tantum excitavit ſtrepitum per Italiam, quantum nec Hannibal ante portas. Nolim heic excutere omnes illius Tomos, quos ſcripſit, ubique refertos cruentis indigne lacerati Probabilismi veſtigiis. Duo duntaxat ſpecimina in medium adferam. Tomo ſecundo (r) ait: *Demonſtratum eſt, quod novum ac vagum iſtud ſyſtema repugnet rationi ac ſen-*

(q) *Epiſt.* 2. (r) *Diſſert.* 5. *c.* 5. *della Storia del Prob. e del Rig.*

nſui communi, nocivum ſit ſacerdotio, t Imperio, infallibilitati Pontificiæ, au-ˑ oritati ſupremorum Principum ac Theo-ˑ gorum: quod ſit vicinum Janſeniſmo, uod reddat Janſeniſtas obſtinatos, uti & lios hæreticos: quod aperiat viam ad mnes ſectas, atque omnes homines in qua-ˑ mque religione ſalvos faciat: quod con-ˑ ituat honeſtatem morum, & malitiam n in aliqua realitate, nec in difformi-ˑ te aut conformitate cum lege æterna, d in meris opinionibus mentalibus, & irtutes faciat eſſe nonniſi entia rationis: uod tollat e mundo peccata ignorantiæ, verat fundamenta timoris & humilita-ˑ s, & fovendo ambitionem ac ſuperbiam iſponat ad tremendam quandam cæcita-ˑ m: quod exaltet hominem ad dignitatem ıpremi Legislatoris, in gradu libertatis Deo independentis collocet, immo il-ˑ um reddat ipſo Deo potentiorem. (adeo-ˑ ue pejorem Lucifero, qui ſolum ſimilis altiſſimo eſſe cupiebat) Atque has pul-ˑ herrimas, quibus probabilismum hic Auctor nſignit, notas vocat ſinceræ & nativa ujus doctrinæ lineamenta. Alterum pecimen exhibet Tomo primo *Chriſtia-ˑ æ Theologiæ* ſuæ, e quo brevitatis ſtu-ˑ lio ſolum refero, quæ habet in Indice

(s) *Probabiliſmus a via Evangelica abducit; Probabiliſtæ cum hæreticis conveniunt: Theologiam corrumpunt ſuis diſtinctionibus: ſuis principiis morum Theologiam evertunt: adverſa ſunt eorum principia principiis Chriſti; novum genus beatitudinis extra legem Dei comminiſcuntur: omnem regulam juſtæ interpretationis S. Scripturæ violant &c.* Et ne dubitare poſſimus, in quorum gratiam hæc ſcripſerit, ipſe digito monſtrat paſſim in ſuis libris præter Caramuelem & pauciſſimos alios non adeo magni nominis Auctores, fere ſolos Jeſuitas, certe ultra triginta, quorum doctrinam moralem cynice traducit, neque ipſi Suario, Thomæ Sanchezio, Leſſio, Azorio, Card. Lugoni, Vasquezio, Valentiæ, Segneri, doctrinæ ac virtutis ſpectatæ Viris atque Theologis parcit, quorum uti & aliorum Auctorum ſententias (quemadmodum ipſe fatetur, vel potius fateri coactus eſt *in Declaratione ac ſincera Proteſtatione*) falſas, ſcandali plenas, erronea commenta, paradoxa immania, anti-Evangelica paſſim adpellat. Deus bone! quæ tempora vivimus, an Cyclopia? an talia, quibus in arena literaria ſtipitibus duris, ſudibusque præuſtis certatur?

CXXX.

(s) *Verbo Probabiliſmus.*

CXXX.

Quod Montaltius, & Wendrochius, aliique Janſeniſtæ, & his affinis Sinnichius tam contumelioſe ſcripſerint, non miror, partim quia hic omnium ſectarum ſemper genius & ſpiritus fuit, partim quia male ſecum fuiſſe actum a Jeſuitis credebant, extrahendo e latibulis eorum errores, technas, & frudulentas doctrinas, ex quo fonte, ſcilicet odio plus quam vatiniano, manarunt pene innumeri centones contumeliis ac mendaciis pleni, quin integri libri adverſus Moliniſtas, ut vocant, vix unus adverſus Thomiſtas. At quod quidam, in eodem S. Matris Eccleſiæ gremio quieſcentes, & quidem nullis laceſſiti injuriis nec provocati talia ſcribant, & publicis typis vulgent diverſis in regionibus, etiam in Almæ Urbis conſpectu, hæc ſane non tam indignationis, quam doloris res plena eſt, quin & ſcandali apud bene moratos, qui majorem charitatem Chriſtianam, non dico Religioſam, deſiderant. Sed quo jure hæc fiant, modo quam breviſſime examinandum eſt. *Primo*, Callidum non minus quam iniquum eſt partis adverſæ artificium, quo in libris & ſcriptis ſuis adverſus Probabilismum omnem fere hujus doctrinæ invidiam in Jeſuitas exonerant, ac ſi propria & domeſtica

foret, itaque per eos propagetur, ut t tus mundus ſubito Probabiliſtam ſe mi tur, velut olim Arianum. Quam aute a veritate alienum hoc ſit, facile colli poteſt ex reſponſo, quod teſte Gabri Daniel (t) Patres Societatis in Genera bus Comitiis Romæ Congregatis Inn centio XI. Pont. Max. dederunt. H enim, quem aliqui vehementer & imp tune urgebant, ut benignam ſententia proſcriberet, ſciſcitatus eſt ab his Pat bus, verane eſſet fama, quæ circumfe retur, eam doctrinam a Societate vel propriam haberi ac propugnari? At i protinus communi ſuffragio reſponderun tantum abeſſe, ut doctrinam iſtam ſi propriam exiſtimet Societas, ut potiu plena Theologis ſuis libertas conceſſa ſi contrariam quoque ſententiam amplecte di, aliarumque ſcholarum & Doctoru Catholicorum placita ſequendi: cætei paratos ſe eſſe, ut quamprimum S. Sed decideret quidpiam hoc in negotio, i ejusdem verba jurarent. Qua de re e ſtat in Inſtituto S. J. typis impreſſo Decr tum 18. Congregationii XIII. ſub eode Pontifice convocatæ: *Cum relatum fui ſſet ad Congregationem, aliquos in ea e perſuaſione, quod Societas communib*

qua

(t) *in Epiſt. 2. ad Nat. Alexandr.*

quaſi ſtudiis tuendam ſibi ſumpſiſſet eorum Doctorum ſententiam, qui cenſent in agendo licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore ſtante pro præcepto, declarandum cenſuit Congregatio, Societatem nec probibuiſſe, nec probibere, quo minus contrariam ſententiam tueri poſſint, quibus ea magis probaretur. Et reipſa fuerunt ac ſunt non pauci e Societate noſtra, qui rigidiorem ſententiam libris in lucem datis publice profitentur: *Antonius Celladeus* ſeu *Michael Elizalde* Hiſpanus de recta morum doctrina, qui hinc & inde vehementius quam par erat, benignæ ſententiæ iraſcitur: *Ignatius de Camargo* Doctor Salamanticenſis in Regula honeſtatis moralis: *Paullus Comitolus*, Italus in Conſiliis ſeu Reſponſis Moralibus: *Andreas Blancus* ſub nomine *Candidi Philaleti*, Tractatu de Opinione probabili: *Joannes Baptiſta Taberna*, Belga in Synopſi Theologiæ Practicæ: *Thomas Munieſſa*, Hiſpanus in ſtimulo conſcientiæ: *Thyrſus Gonzales* S.J. Generalis Præpoſitus in Fundamento Theologiæ Moralis: *Caſparus Kümet*, Germanus in Magiſterio Conſcientiæ: *Paullus Gabriel Antoine* in Theologia Morali Univerſa: aliqua parte etiam *Chriſtophorus Raſslerus* in Norma Recti: *Antonius Mayr*, Germa-

nus in Theologia Scholaſtica &c. Inter aniles igitur fabulas recenſendum eſt, memoratam doctrinam adſciviſſe ſibi Societatem tanquam communem & propriam: magis autem illud, quod alii e Noſtris illud probabilismi genus profiteantur, quod homines iſti tanquam monſtrum immane ingens ad invidiam faciendam depingunt, ſed probabilismum ſobrium, gravi auctoritate ac ratione vere Theologica nitentem, qualem *recentiorum omnium calculo & univerſali fere populorum uſu confirmatum eſſe* tradit Stephanus Spinula Congr. Somaſch (u). qualem *etiam a ſanctiſſimis & eruditiſſimis Doctoribus* teneri ait Joan. Gabriel Bovyn, Minorita (x). qualem *doceri ab omnibus, & in toto orbe Chriſtiano nihil magis decantatum* dicit Joannes Angelus Boſſius Cleric. Regul. de ſui temporis Doctoribus loquens (y). qualem *communiſſimam eſſe & receptiſſimam ſententiam in omni ſchola in hoc currenti ſeculo* teſtatur Maſtrius magnum ſcholæ ſubtilis lumen (z) qualem in Schola D. Thomæ floruiſſe affirmat Stephanus de Champs S. J. ſpecta

(u) *In præf. opuſc. de prud. & liber elect.* (x) *i. Theol. Quadripart. p.* 3. *D.* 3. *c.* 1. *q.* 5 (y) *in Tomo Moral. Varior. ad tit.* 1. *n.* 2377 (z) *Diſp.* 5. *q.* 2. *a.* 1.

ctatæ fidei & eruditionis Auctor (a), ita ut poſt Bartholomæum Medinam ex omnibus Thomiſtis, qui de hac materia egerunt, nullum vidiſſet ſive in ipſorum libris ſive in aliorum opinionibus citatum, qui negaverit fas eſſe opinionem ſequi minus probabilem relicta probabiliore: qualem in Academiarum facile principe Sorbona Iſambertus (b) Gammachæus (c) Duvallius (d) Baillius (e) grandia Theologiæ decora publice profeſſi ſunt. *Secundo*, Fidem omnem excedit, qua fide quave fronte tam immanibus opprobriis & calumniis onerare probabiliſmi doctrinam audeant memorati Theologi, quum probe ſciant, nec poſſint neſcire, primos illius ut ita dicam Fundatores fuiſſe Ordinis ſui Viros doctiſſimos Dominicum Sotum & Bartholomæum Medinam: fuiſſe ejuſdem fautores itidem Ordinis ſui præſtantiſſimos Theologos, qui conceptis verbis docuerunt: *Licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, licet oppoſita probabilior ſit: licere ſequi opinionem practice probabilem relicta probabiliore; Confeſſarium abſol-*

(a) *In Quæſt. Facti.* (b) *in* 1. 2. *q.* 19. *Diſp.* 9. *a.* 4. (c) *in* 1. 2. *q.* 19. *p.* 155. (d) *Tract. de Act. hum. q.* 4. *a.* 12. (e) *in Trip. Exam. Ex.* 3. *in Præf.*

abſolvere poſſe pænitentem ſequentem op nionem probabilem relicta ſua opinione pr babiliori. Ita Medina, qui graviſſim urgente præcepto, quod illi General Magiſter Ordinis Seraphinus Cavalli in poſuit, *aureas*, ut vocant, in 1. 2. I Thomæ Expoſitiones in lucem edidit (f Ita Didacus Alvarez (g). Ita Petrus L desma (h). Ita Dominicus Bannez (i Ita Gregorius Martinez (k). Ita Vince tius Candidus S. Palatii Magiſter (l). I Joannes Ildephonſus Baptiſta (m), cu plusquam viginti aliis ex Ill. Ordine Pr dicatorum. Quis obſecro inſpectis h authenticis teſtimoniis non illico ſecu ſtatuet, probabilismum, quem olim nunc defendunt plurimi e Societate cu aliis graviſſimis Doctoribus variarum ſch larum & Academiarum, velut ovum o ſimillimum eſſe illi (ſi laxiora aliqua Th miſtarum excipias) quem antiqui & cl ri Magiſtri Ordinis palam docuerunt propugnarunt? Porro provocavit ja olim Gabriel Daniel (n) ad Natale Alexandrum ſcribens: nullum Jeſuita

The

(f) *Tom.* 1. *q.* 19. *a.* 6. (g) *ad* 1. 2. *diſp.* 8 *n.* 9. (h) *Theol. Mor. p.* 2. *Tract.* 7. *c.* 2 *dub.* 2. (i) *in* 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. (k) *To* 1. *q.* 19. *a.* 6. *D.* 6. *c.* 1. (l) *Tom.* 1. *Diſp.* *a.* 30. (m) *Tom.* 3. *de Conſc. Diſp.* 20 *dub.* 7. *n.* 640. (n) *in Epiſt.* 2.

Theologum poſſe oſtendi, qui mendoſam in re morali deciſionem procuderit, ita ut non habuerit Ducem fere aut Comitem Doctorem aliquem Thomiſtam: provocavit inquam, ſed reſponſum non tulit. Simili ratione Carolus Noceti Theologus Romanus in *Veritate vindicata*, ubi Propoſitiones Theologorum Societatis facile triginta partim mutilatas partim corruptas a Concina, integritati ſuæ reſtituit, in Parte ſecunda operis ad finem producit centum & ſexaginta novem propoſitiones, Dominicanorum, quas ipſas idem Concina tam acriter reprehendit in Jeſuitis, atque in morum Republica igne & aqua interdicit. *Tertio*, aliud occultum ſub his omnibus artificium latet. Ajunt, ſe hisce ſuis declamationibus ſolum perſequi, & merito detonare in vagum illum probabilismum, qui quidquid opinabile eſt, modo ſpeciem aliquam probabilitatis præſeferat, licitum eſſe vult, qua doctrina nihil magis abominandum, nullaque ſatis cenſurarum hecatombe expiandum. atque hinc injuriam ſibi fieri, ſi Societatis auctores in ſe ſuamque doctrinam hæc fulmina fabricata jaculataque conquerantur. Sed non patiar, quo minus larva detrahatur latenti ſub hac in-

inepta excuſatione nocendi conſilio. Quæro, ſiquis graviſſime inveheretur in vagum quoddam & nullius frugis Religioſorum genus, adpellando illos, uti tales re ipſa ſunt, Religionis dedecus, morum peſtem, pietatis excidium, Eccleſiæ Dei corruptelam, Evangelium evacuantes, abundantes malignitate diaboli, & quæ ſunt alia. Poſt hanc autem præfationem longa ſerie, & bene multos adduceret certi Status Religioſi Alumnos, nomine ſuo quemque compellaret, & ipſorum facta, quamvis nihil horum mereantur, & neutiquam talia eſſe probentur, allegaret tanquam abſurda & abſurdiſſima: an talis cenſeretur ſolummodo in vagum quoddam genus Religioſorum, tam ſancto nomine indignorum, an vero ex profeſſo in certi cujusdam Ordinis Religioſi viſcera graſſari? Si quis Scriptorum hunc in ſe laborem ſuſciperet, & Theologiam Chriſtianam conſcriberet, atque ſingula morum doctrinæ capita tum auſteris Patrum antiquorum ſententiis, tum lepidis admirationum, exclamationum, epiſodiorum, interrogationum, apoſtropharum & ſubinde ironiarum figuris exornaret: poſtmodum vero præter paucorum aliquot laxiores doctrinas e triginta Dominicanorum antiquiorum libris propoſitiones

nes probabilismum aperte ſonantes, aut omnino centum & ſexaginta novem, de quibus paullo ante dixi, reprehenſione dignas ſubjungeret; demum adderet Dedicationem magnificam, qua ſupremum Eccleſiæ Caput graviſſimis verbis adhortaretur, ut cæteris ſuis ornamentis hoc denique addat velut coronidem, & e christiana republica iſtam morum corruptelam, & abominanda doctrinæ portenta, has damnabiles ſententias proſcribat, evellat, & penitus eliminet; ſi quis inquam Scriptorum hunc in ſe laborem ſuſciperet, (ſuſcepit contra Jeſuitas Fr. Concina) quid diceret adverſa pars? an contenta foret, ſi reſponderet ille, ſe vagum duntaxat & pernicioſum probabilismum calamo ſuo perſequi? ſed parum ſoliciti eſſe videntur illi, qui talia, quæ palam feci, ſcripſerunt, de Fratrum & Doctorum ac Magiſtrorum ſuorum antiquiorum doctrina & fama: his tergum obvertunt, ut cum Janſeniſtis plurium Jeſuitarum doctrinam blasphemare queant. Verum heic ingens clamor exoritur; amare conqueruntur cum Concina, eos, qui probabiliora ſequi oportere contendunt, ab adverſa parte confeſtim Janſeniſtis per ſummam injuriam accenſeri, ad quam propulſandam calamum ſtringere

re ipſis neceſſe fuerit. Obſecro, quis grande hoc crimen commiſit? quis Probabiliſtarum aliquem, qui probabiliorismum defendendum ſuſcepit, *propterea* Janſenismi poſtulavit? palam faciant illum, ſi poſſint. Putidum hoc figmentum eſt ad invidiam conflandam. Hoc tamen auſim profiteri: ſi quis dixerit, ipſos hac in re ſcribendi methodo, ſtylo, & ſpiritu Janſeniſtis adprime familiari fuiſſe uſos (ut cuilibet palam erit, ſi verba, ſenſus, expreſſiones &c. Scriptorum ex utraque parte conferat) eum a veritate parum vel nihil aberrare. Quis ſibi perſuadeat, in tam exulceratis animis veritatis, ſanæ doctrinæ ac zeli bene ordinati ſtudium habitare? quis fidem adhibeat, ſtrictiorem ubique viam ſectari oportere aſſerentibus, & ſimul adeo diſſolute acerbeque ſcribentibus? *Quarto*: Non minori artificio Adverſarii doctrinam hanc, quam toti Societati perperam tribuunt tanquam propriam, tam dire exagitant, ac ſi Jeſuitæ ſuaderent, & fidelibus perſuadere totis viribus adlaborarent liberrimum benignæ ſententiæ uſum: quod quam a veritate alienum ſit, teſtantur ſacræ exedræ, in quibus Oratores ſacri in vitia & pravos mores perpetuo detonant, viamque ad coelum ſane arctam demonſtrant,

ſtant, ita ut adverſus eos vix major querela ſit, quam quod ſevere nimis cum Auditoribus agant, & conſcientias eorum in anguſtias & ſcrupulos, plusquam par eſt, conjiciant: teſtantur tot libri ſpiritu pleni, de vita & moribus ad leges Evangelicæ perfectionis conformandis: teſtari poſſent ſacra tribunalia, ſi loqui liceret ipſis, quam fortiter urgeantur pœnitentes, ut non ſolum peccata, ſed & peccandi occaſiones devitent, ut injuſte accepta vel ablata miſſis inanibus excuſationum titulis ac moris reſtituant, ut ſcandala & morum corruptelæ procul arceantur: verbo, ut non ſolum probabiliora, ſed & tutiora ſequantur. Hæc ſuggeruntur fidelibus conſilia, hæc ſuadentur a Probabiliſtis. Aliud longe eſt, ſi vel e ſcholæ cathedra, vel in libris ſcholaſticis docendum ex officio, quid liceat, vel non liceat: ſi determinandum, an his vel illis in circumſtantiis peccatum, & quidem non raro grave, committatur nec ne. Hac in re etiam Societatis Doctores Scriptoresque inſignem D. Thomæ doctrinam ſequuntur, quam tradit (o), ubi agit *de pluribus præbendis, num eas habere ſine diſpenſatione ſit peccatum mortale*, & ſic ait:

Reſpon-

(o) *Quodlib.* 9. *Art.* 15.

Reſpondeo dicendum, quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur: quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad mortale. Præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit.

CXXXI.

Dicamus modo aliquid de re ipſa. Nolim heic in arenam deducere argumenta ſemper antiqua, & toties jam in utramque partem ventilata, quibus pleni ſunt libri: mentem meam duntaxat aperiam. cenſeo enim, rei ſummam denique ad licitum in praxi uſum opinionum æque probabilium eſſe reducendam, rejectis illis appendicibus *opinio magis probabilis, opinio minus probabilis; opinio notabiliter magis probabilis, opinio notabiliter minus probabilis,* quæ appendices nonniſi ad tricas ſcholaſticas & diſſidia, præſertim apud rerum non intelligentes, in graviſſimo conſcientiæ negotio faciendæ natæ factæque eſſe videntur. Quid enim obſe-

obſecro intereſt, an duæ ſententiæ invicem oppoſitæ, quando agitur duntaxat de licentia actionis, ſint æque probabiles, vel an una earum paullo plus, altera paullo minus probabilitatis habeat, modo utraque vere, ſolide ac comparate probabilis ſit, id eſt, gravi ac prudenti fundamento innixa, parique auctoritate firmata, ita ut in mutuo velut conflictu inconcuſſa ſtet, nec vinci aut enervari queat? Hæc enim æſtimatio & criſis de probabilitatis gradibus eſt innumeris difficultatibus obnoxia, & in ordine communis providentiæ vix poſſibilis. atque hinc ut ſapienter notant Medina, Suarez, Sanchez, Salas & alii, onus foret humanis humeris non ferendum, & cum perpetua animorum carnificina conjunctum. Nimirum eo immanis illa tempeſtas deſæviit tot conviciorum, calumniarum, dicteriorum, ſcomatum ac cenſurarum, quibus innocentem & a tot retro annis paſſim in ſcholis receptam doctrinam proſcindere, multoque magis ejus patronos onerare non verentur, eo inquam res devenit, ut vani homines iſti ad ſtateram examinare nos jubeant, quot granis, ut ita dicam, ſit opus, ut juſtum probabilitatis pondus prodeat. Dein quam ſecuritatem præſtabunt conſcientiæ, quod re-

ipſa

ipſa probabilior ſit opinio, quam talem eſſe cenſent, nec ſit æque vel minus probabilis oppoſita? Quam proclive eſt in negotio libertatis contra legem tuendæ, ut quis probabilius credat id, quod libertati favet? quam difficile inter gradus probabilitatis, ut ita loquar, in linea aſcendente ac deſendente verum diſcrimen invenire? quam pronum ſpectata ingenii noſtri mobilitate ac perſuaſionum tanta quantum guſtuum varietate, ut quod hodie probabilius, cras minus probabile adpareat, & perendie fortaſſis æque probabile ac alterum? Et quis denique eſt, qui in ejusmodi rebus, in quibus mens humana certam ſe reddere nequit, blandiri ſibi poſſit, ac certo ſecum ſtatuere, adhibuiſſe ſe debitam ac ſufficientem in diſcernendis gradibus, & æſtimandis utriusque ſententiæ momentis diligentiam? Quot non occurrunt opiniones in utramque partem probabiles in conficiendis, adminiſtrandis, & percipiendis Religionis noſtræ Myſteriis, ubi de licentia, non de valore agitur? quot in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis & obtinendis? quot in materia voti, jejunii, SS. Ordinum? quot in uſu matrimonii? quot in contractibus & humano commercio? in his omnibus niſi certus fores de majore probabilitate

unius

unius partis præ altera, quod ut plurimum ſperari vix poteſt, juxta Senatus Conſultum Probabilioriſtarum horum aut ſuſpendere neceſſum foret actiones has omnes, aut præciſe id, quod tutius eſt, cum graviſſimo ſæpe incommodo ac damno eligere. Diſſimulare nec poſſum, nec volo latens rurſus artificium horum, quorum memini, Caſuiſtarum. Eorum doctrina hæc eſt, *primo* quod debeamus ſequi opinionem probabilorem in concurſu minus probabilis. *Secundo*, quod inter opiniones æqualiter probabiles, ſi non una ſit probabilior, teneamur ſequi tutiorem. Jam quum, uti prius demonſtravi, res difficillima ſit, multisque fallaciis obnoxia, judicium ferre de majore vel minore probabilitate (niſi prorſus notabilis ſit, de qua re ſtatim ſermo mihi erit) opiniones inter ſe pugnantes reducentur fere ſemper ad æque probabiles, atque ita ſecundum horum doctrinam fere ſemper & in omnibus dubiis oportebit ſequi, quod tutius eſt. quippe ſi una opinio *notabiliter magis probabilis* ſit, accedet ad claſſem probabiliſſimarum, quas ſequi licere nemo dubitat: *ſi clare & notabiliter minus probabilis*, pertinére videtur ad claſſem tenuiter procabilium; certe immunis non eſt a periculo excidendi e

finibus veræ ac theologicæ probabilitatis, atque ideo licentiam ſequendi negat propoſitio tertia ab Innocentio damnata. Ex his ſatis clare patet Adverſariorum latens, de quo dixi, artificium, quo ſub ſpecioſo Probabilioriſmi titulo *Tutiorismum* & *Rigorismum* jam diu ſepultum denuo ſuſcitare ac in lucem protrahere adlaborant, id quod non obſcure etiam illorum argumenta, reſponſa, & loquendi modus penitius inſpicientibus palam facere videntur. Dicamus ergo Scapham Schapham: dicamus abſciſſis parergis: *Licitum eſſe* ſequi opinionem vere, theologice & comparate probabilem, usque dum aliter S. Sedes definiat. Hoc certe minime tutum, minimeque probabile eſt, & contra obedientiam Pontificiis Mandatis debitam graviter peccandi periculo obnoxium, licere uti cavillis, cenſuris, dicteriis, & quidem enormibus; ut nihil dicam jure naturæ ejusmodi eſſe prohibita, præſertim ſi cum diſpendio famæ doctorum virorum, & integræ Communitatis ſint conjuncta. An forte credunt, ſummam Sedem non eſſe penitus informatam de tota controverſia hac, poſtquam integro jam ſeculo tot jam libri in utramque partem fuerunt in lucem publicam editi? Cur ergo non relinquunt

rem

rem ſummæ Sedis judicio, cujus eſt ferre ſententiam, & quæ ſemper hucusque vigilans fuit tum condemnando propoſitiones ſingulares minus ſobrias, tum prohibendo ſub graviſſimis pœnis cenſuras & convitia circa ſententias adhuc inter Catholicos controverſas? cur involant in jura & fulmina Vaticana, atque hæc, quum videant nihil hucusque ſe potuiſſe efficere, ipſi ſua dextra in benignam ſententiam torquent, cur in ſuis libris male ſartis ut abominandam doctrinam exhibent, ſuisque cenſuris conſignant atque condemnant? non eſt hic Spiritus Dei, non Chriſti, qui tanquam verus Samaritanus oleum vino miſcuit, ut vulnera ſaucii generis humani eo certius ac citius curentur. Totam hanc controverſiam pluribus illuſtratam animadverſionibus exhibeo in alio jam memorato libro *de Ingenua indole Probabilismi* edito an. 1759.

CAPUT IX.
CRITICE THEOLOGICA.

§. I.

Querelæ juſtæ.

CXXXII.

Totam Theologiæ Criticen in duas querelarum claſſes partiri viſum eſt mihi, ſcilicet in eas, quæ non ſine ratione ac fundamento Theologos quosdam premunt, tanti nominis famam necquaquam implentes; & hæ ſunt juſtæ: tum in illas, quæ vel ex inſcitia, & animi levitate, vel ex malitia & intolerabili quodam eruditionis faſtu proficiſcuntur; & hæ ſunt injuſtæ. Ut a primis exordiar, ſunt non pauci, qui vel alieno ſevere nimis de ſacra ſcientia ſentientium ductu ſenſuque, vel ingenii aſperioris proprio quodam impetu aurium tenus ſe ſe immergunt Dialecticis artibus, quas *ſpeculationes* vocamus, omnem eruditionem ab ipſo ſtatim Theologici ſtudii limine dictatoria ſane poteſtate proſcribentes; perditum rati tempus, quodcunque hiſtoriæ

ſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliorum notitiæ, ac ſacræ antiquitatis æmulationi, conſecratur. Verum hi parum ſobrie ſentiunt & agunt. Nefas profecto eſt Theologo, paſſim rivulos ſectari, & fontes ignorare, unde grandia ſacræ doctrinæ flumina ortum duxere, Concilia inquam & Patrum antiquorum dogmata, utpote in quibus præcipuarum ſane controverſiarum, quæ hodie adhuc in ſcholis Theologicis agitantur, prima velut ſemina reperire licet, ſeu adverſus hæreticorum impias machinationes in aciem prodire animus ſit, ſeu ſublimia religionis Chriſtianæ myſteria, veramque Dei Eccleſiam, & fidei morumque doctrinam illuſtrare placeat. Non raro enim contingere ſolet, ut quo longius ab origine ſua flumina provehuntur, eo pluribus miſceantur, ſenſimque inficiantur ſordibus, dum contra purius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Quid juvat ſubtiles aranearum telas nectere ad muſcas aliquot capiendas iis in rebus, quas graviſſimis ſententiis & publicis Conciliorum oraculis explanandas ac decidendas cenſuerunt antiqua Theologorum lumina? Quid juvat ſtipato agmine citare Patrum præclara dicta & dogmata, ſi neſcias, ubi, quando, contra quos, quove ſenſu ea in medium protulerint? Non

minus ea, quam Eccleſiaſticam dicimus, hiſtoria facem Theologiæ præferat neceſſe eſt, ut intelligat, quæ diverſis ſeculis, ac temporum intervallis tum circa fidem doctrina tum circa mores diſciplina viguerit; quæ ſententiæ Pontificum auctoritate firmatæ, quæ proſcriptæ damnatæque; quibus præcipuæ ſcholæ mutuis inter ſe contentionibus colliſæ fuerint: quis hæreſum ortus, progreſſio, interitus: quibus armis eas debellaverit, deque illis triumpharit Eccleſia. Sane ſi per ordinem Concilia Oecumenica luſtremus, præſertim quod extremis temporibus celebratum fuit, & omnium præcedentium gloriam rerum magnitudine, varietate, ac multitudine ſuperavit, nempe Tridentinum, videbimus, quanta eruditione ſapientiaque inſtructi ad ea ex Oriente ac Occidente ſe contulerint Viri; quam gravibus ſententiis tum ex Scriptura ſacra & Patribus, tum e prioribus Conciliis, & temporum antiquorum ducumentis propoſitas ſummi momenti controverſias deciderint; quod facere neutiquam potuiſſent, ſi duntaxat argutias quaſdam Theologicas, & natas recens in cerebro opiniones, diſtinctiones, ac ſubtilitatum cortices ſine nucleo ſecum adtuliſſent, majeſtatis Theologiæ obliti: quamvis ubi opus

erat,

erat, Dialecticæ gladium in vagina quietum eſſe non permiſerint, ſed fortiter vel adverſus hæreſum prava dogmata ſtrinxerint, vel difficultatum nodos Gordios eo peruperint: ſolis tamen ideis Platonicis, ſacræ Antiquitatis eruditione neglecta, Ario, Pelagio, Neſtorio, Calvino &c. neutiquam formidandos ſe præbuiſſent. Graviſſimum ſane hac de re teſtimonium præbuit Gregorius IX. Pont. Max. nam, uti refert Raynaldus inſignis Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor (p), edoctus quod in Univerſitate Pariſienſi hæc argutandi ac philoſophandi ratio in Facultatem Theologicam plusquam par erat, nec ſine diſpendio majeſtatis Theologicæ, ſanæque doctrinæ per quosdam Doctores irrepſerit, ſeverum ac grave mandatum ad eam miſit, in quo *Theologiam* ait Pontifex *ſecundum approbatas Traditiones Sanctorum exponat Theologus, ne doctrinis variis & peregrinis abductus redigat caput in caudam, ne dum fidem conatur plus debito ratione adſtruere naturali, illam reddat quodammodo inutilem & inanem; ut ſine fermento mundanæ ſcientiæ doceat Theologicam puritatem, non adulterans Verbum Dei Philoſophorum figmentis, & conten-*

(p) *Tom.* 3. *ad an.* 1231.

tentus terminis a Patribus inſtitutis vel fidem adſtruat, vel mores informet. Abſit ergo de cætero, quod pulcherrima mulierum a præſumptoribus ſtibio peruncta oculos coloribus adulterinis furetur, & quæ ſuo ſponſo circumamicta varietatibus, & ornata monilibus præcedit ſplendida ut Regina, conſutis Philoſophorum ſemicinctiis veſte ſordida induatur. Eadem quæ Pontificem Gregorium ad præceptum hoc verbis adeo ponderoſis imponendum Pariſienſibus cauſſa impulit, Petro Lombardo Epiſcopo Pariſino anteriore ſeculo circa annum 1058. animum injecit conſcribendi quatuor illos famoſos ſententiarum libros. Dominabatur enim eo jam tempore in Scholis Theologicis ſola fere ratio humana, atque Magiſtri ac cathedræ Moderatores ſubtilibus placitis & ratiocinationibus diſcipulorum aures & ſcripta impleverunt, ita ut ex iis, licet de eorum ſenſu & veritate inter ſe minime convenirent, graviſſimas de rebus divinis quæſtiones explicarent, quæ tamen humana ratione longe ſuperiores erant. Hinc exortis non levibus, ut fieri ſolet, contentionibus non pauci, quemadmodum de antiquis Philoſophis dicit Apoſtolus, *evanuerunt in ſuis cogitationibus*, & graviter aberrarunt, uti Guliel-

lielmus Porretanus, Abailardus Roſcellinus, aliique, qui ævo illo deſerta veræ fidei ſemita in varios hæreſum errores ſe aliosque præcipites egerunt. In rebus vero minoris momenti tota pene de verbis erat controverſia; quisque ut ſuam tueretur opinionem, novas vocum & rerum definitiones excogitabat, inducebat novas, inutiles, aniles, ludicras quæſtiones, adverſariorumque argumenta in contrariam partem adducta ſubtilitate quadam magis eludere, quam ſolvere nitebatur. Graviſſimæ de Religione quæſtiones jacebant neglectæ: Scriptura, Traditio, Romanorum Pontificum & Conciliorum Decreta, Patrum ſententiæ, hiſtoria Eccleſiaſtica ignorabantur, vel ſi quid in eo genere proferebatur, ut plurimum erat apocryphum vel inani ſubtilitate depravatum: Criticæ, quæ poſtea tot errorum nebulas ſua luce diſſipavit, nullus erat uſus. Quare Petrus Lombardus, ut ſic aberrantes & evaneſcentes in ſuis cogitationibus ad viam veritatis reduceret, Theologicum opus illud ingenti animo adgreſſus eſt, in quo tot tricis eas opponeret auctoritates (nempe collectas Patrum ſententias) quibus refragari nefas eſſet homini Catholico. Opus autem hoc tanto poſtmodum in

pretio haberi cœpit, ut ducenti quadraginta quatuor Theologi doctiſſimis illud Commentariis illuſtrare non dubitarint. Quare factum eſt, ut ſuppreſſo Rationis humanæ & Dialecticæ dominatu ſenſim priſtinæ ſedi in Theologia reſtitueretur ſacra auctoritas, & exularet philoſophandi ſubtilitas. Et utinam non itenditem recrudeſceret vulnus hoc. Avertat Deus ab Eccleſia ſua neceſſitatem tam triſtis experimenti, & faciat, ne egeamus unquam Viris in utraque palæſtra & erudita & ſpeculatrice verſatiſſimis, neve orare cogamur Deum, ut ſicut olim a Logica Auguſtini adhuc Manichæi, ita hodie a Theologia Sophiſtica nos liberet.

CXXXIII.

Verum dum Sophiſtica procul eſt amandanda, intelligere deſiderabunt aliqui, quid de Theologia Dogmatica, hodie tam omnium ore celebrata, ſentiendum ſit. Circa hanc ut ſine partium ſtudio mentem meam aperiam, genuinos evitari oportere ſcopulos exiſtimo. Sunt, apud quos nullo fere in pretio eſt Theologia Dogmatica, eamque aſpernantur tanquam recens inventam, & quaſi ſuppoſititium infantem a genuinæ Theologiæ uberibns abſtrahendum eſſe arbitrantur,

tur. Sunt, qui plus quam par eſt illam extollunt, & ſuperſtitioſa quadam religione colunt, non ſine inſigni Theologiæ Scholaſticæ contemptu, ac ſi hæc nihil erudito homine dignum contineret, & Reipublicæ Chriſtianæ non ſolum inutilis, ſed noxia quoque foret. Utrique meo quidem judicio peccant, poſteriores excedendo limites rectæ rationis, priores vero a tramite veritatis deficiendo. Sed antequam certi quid hoc in negotio ſtatuatur, operæ pretium erit, utrique parti aures præbere. Itaque illi qui Theologiæ dogmaticæ adverſantur, hac ut plurimum utuntur ratiocinatione: Si rem ut eſt conſiderare velimus, nihil admodum deprehendere licebit in hac Theologia, quod non vel Poſitiva, vel Scholaſtica, vel Polemica, aut Moralis complectitur. Eſt enim Dogma Catholicum nil aliud, quam doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quamque licite ac citra cenſuram Doctores profitentur. Hæc vel *imperata* dicitur, dum ea docet, quæ cunctis fidelibus credenda propoſita ſunt, ita ut ſi his contradicant aut ea repudient, in hæreticorum numerum referri mereantur: vel *libera* vocatur, quando agit de rebus ejusmodi, quæ neque ſunt de fide, neque in utramque partem fidei

doctri-

doctrinæ nocumentum aut præjudicium adferunt, ita ut de his in Eccleſia Catholica cuilibet libera ſentiendi docendique ſit facultas: vel *tolerata* nuncupatur, ſi nimirum circa ea verſetur, quæ quantumcunque dubia, non tamen fidem attingunt, neque adhuc doctrinam continent ab Eccleſia Catholica proſcriptam damnatamque ut hæreticam, licet non raro contingat, ut ſuccedente majori lumine fidei poſteriore aliquo tempore damnetur ac proſcribatur, qualis erat illa de non valido hæreticorum baptiſmo tempore S. Cypriani. Palam ex his eſt, Theologicam dogmaticam, ſi res ipſa nomini reſpondeat, eſſe Theologiam dogmata ſeu doctrinas Eccleſiæ Catholicæ complectentem, quæ ſi de moribus agant, *ad Moralem*, ſi de rebus fidei vel ad *Poſitivam*, ubi de legitimo S. Scripturæ ſenſu inter Catholicos, vel *ad Polemicam*, ubi Catholicos inter & hæreticos de ipſis fidei articulis diſceptatur: ſi denique de rebus utrisque fidei ac morum, uſitata in ſcholis methodo tractandis, ad *Theologiam Scholaſticam* pertinent, cujus eſt intellectum circa res ſupra naturam poſitas ſolidis imbuere principiis, ſententias Scripturæ, Patrum ac Conciliorum auctoritate firmare, & quæ in utramque partem obji-

objiciuntur, diſſolvere. Quapropter Majores noſtri univerſum, ſi fas eſt dicere, Corpus Theologicum ſapienti conſilio, ne multa nimis in unum conjecta cumulum ordinem turbarent, (quo nihil in docendo pulchrius, nihil in diſcendo utilius) partiti ſunt in diverſas claſſes nimirum in Theologiam *Speculativam*, *Poſitivam*, *Polemicam*, & *Moralem*, extra quas aliam non agnoſcebant, nec admittebant, utpote in iſtis jam comprehenſam. Ceſſent igitur novam nobis Theologiam, ſcilicet Dogmaticam obtrudere Novatores, qui ſupra commune vulgus Doctorum ſapere volunt, credentes ſibi ſolis ſapientiam familiariter loqui & adeſſe, velut Numæ Pompilio Deam Ægeriam, dum interea vatiniano plusquam odio Theologiam Scholaſticam proſequuntur, eamque contemptui habent, & haberi ab omnibus volunt, Liam lippis oculis deformem cum Jacobo deſpicientes: dogmaticam vero ſuam ad ſidera usque adtollentes, & tanquam formoſiſſimam Rachelem unice depereuntes. Quid enim aliud agunt iſti, quam quod ſyllogismos & omnem Dialecticam exoſi nonniſi fragmenta hiſtoriæ Eccleſiaſticæ undique corraſa, nudasque Patrum ſententias ſine delectu, ſine acribia longo ordine producant, gra-

vißi-

viſſimum fidei morumque negotium ad memoriæ exercitium redigentes, ratione neglecta. De his jam olim ante annos ducentos queſtus eſt inſignis ille ac veteranus Theologus Melchior Canus (q) „ Mi-
„ rari non deſino, ait, morem ejiciendi
„ humanas rationes, cum in Theologia
„ differitur, in quibusdam etiam Catho-
„ licorum Gymnaſiis inſertum eſſe haud
„ parva certe jactura Eccleſiaſticæ diſci-
„ plinæ, ſi illa conſuetudo invaleſcat.
„ Erunt enim ii, ſi res ita procedit, op-
„ timi præſtantiſſimique Theologi, qui
„ plurima loca memoria tenuerint, &
„ quod Juriſperitis objicitur, qui Elenchi
„ fuerint librorum, & indices „. *Tum paucis interjectis ſubjungit:* „ Talis ſci-
„ licet eſt Lutherana Theologia, in qua
„ quoniam nullum acumen, nullum in-
„ genii ſpecimen eſt, optimo quisque
„ ſplendidiſſimoque ingenio, quamlibet
„ acie mentis & veri perſpicacia polleat,
„ quamlibet rerum & divinarum & hu-
„ manarum ordinem ac connexionem te-
„ neat, quamlibet cauſſas, effecta, ante-
„ cedentia, conſequentia non animo ſo-
„ lum perluſtrarit, ſed etiam comprehen-
„ derit, nulla tamen apud iſtos habetur
„ in pretio „. Quid jam diceret Canus, ſi

(q) *L. 9. de Loc. Theol. c. 3.*

ſi noſtris inſuper temporibus in arenam literariam prodeuntes alicubi conſpiceret, qui poſt duos tresve ſyllogismos extra Formæ, ut vocant Scholæ, limites proſiliunt, altum adſurgentes, & grandi ſupercilio, manibusque jam dextrorſum jam ſiniſtrorſum jactatis oratorio quodam dicendi genere nil niſi textus quosdam e Patrum uno vel altero bene longos adferunt, citant, accumulant, omnemque doctrinæ ſuæ ſupellectilem, quam prius memoriæ mandarunt, uno velut impetu effundunt, quibus poſtmodum ille, qui Defendentis partes gerit, & ipſe velut ad concionem dicturus largiſſime reponit ea, quæ e Magiſtri ſui ſcriptis memoriter tenet, ſive faciant ad rem, ſive non: ſeu concludant, ſeu non; parum refert, Diſputatio cum plauſu finitur. Quid diceret, ſi audiret ab aliis Dogmaticæ heroibus tres vel quinque poſitiones, ut plurimum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica & Criticæ penetralibus depromtas pro decretoria univerſæ Theologiæ pugna publice exponi, magnis utrinque ſtudiis & prolixis diſſertationibus certari, antiquiſſimas quasque traditiones ac ritus Eccleſiæ in dubium vocari, in fine demum quid ſtatuendum ſit aut concludendum, ſplendide neſciri? Ecce! vivam imaginem Theo-

logiæ

logiæ hujus novæ ac recentis, ſeculo non tam ad ſoliditatem doctrinæ quam ſciendi curioſitatem nato introductæ. Ita illi, qui obliquis Theologiam hanc oculis aſpiciunt.

Non deſunt tamen, qui cauſam illius defendendam totis viribus ſuſcipiunt. Diu ſatis, ajunt, in ſcholis & cathedris ſceptrum tenuit & regni habenas occupavit Theologia Scholaſtica, inanibus & nimium ſubtilibus Academias quæſtionibus implevit, & magnis clamoribus doctorum hominum aures fatigavit. Tempus advenit, quo faſces primaque ſubſellia etiam invita cedat Dogmaticæ. Ea vivimus ſecula, quæ ingenia non damnant ad incudem & transtra, ſed libera eſſe cupiunt, ſuique juris. Nimirum arctis circumſcripſere Dii limitibus vitam humanam, quam ſi fere totam ſpeculandi artibus conſecrare velis, parum eruditionis conſequi te neceſſum erit. Hæc autem modo ubique civitate donata eſt, & qui hanc linguam non callet, peregrinus habetur, nec dignus, cui adſurgant literati & adplaudant. Vel ſolum Dogmaticæ nomen plus venerationis habet, quam integra Scholaſticorum volumina. Qui Patrum ſententias aliquot recitare; quæ priſcis temporibus Eccleſiæ diſciplina viguerit, explicare; quot Con-

Concilia, quo tempore, contra quorum errores celebrata fuerint, digitis enumerare, & acutas criſes inſpergere noverit, tanquam eruditionis ſecretioris oraculum avidis auribus ab abſtantium corona excipietur, quin & admiratione dignus habebitur. Compendium hoc viæ eſt, qua ad magni literatos inter nominis gloriam itur. Nova quidem hæc eſſe videtur doctrinæ Theologicæ ſpecies, ſed antiquitatis induta pallio incedit, antiquitatem loquitur, antiquitatis monumenta in lucem profert, quibus mire demulcentur aures, non jam adſuetæ Scholaſticorum tricis, & argumentorum ſubtilitatibus. Quid de libris dicam? non jam probantur in illis antiquatæ ſcribendi formulæ: *probatur*, *confirmatur*, *colliges*, *objicies*, *dices*, *retorqueo*, *diſtinguo &c.* nemo eſt, qui modo his ſubſcribere velit. Longe jucundius eſt, per apertos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ campos vagari, & latum dicendi genus adhibere, quam inter Dialecticæ cujusdam ſacræ ſpinas & dumeta jacere. Alio uſi ſunt ſtylo Patres antiqui, pleni dogmatibus, quæ poſtea Scholaſtici in piſtrinum coegere. Bibliothecas ſi placet inſpicere, libros quorum dorſo inſcripta eſt *Dogmatica*, mundos reperies & ipſo uſu politos; quibus vero *Scholaſtica*, multo pulvere

ſordidos invenies. Hæc communi ætatis noſtræ ſuffragio exulare jubetur, illa velut Palladium cœlo lapſum excipitur. Ita Dogmatica pro Domo ſua perorat contra Theologiam Scholaſticam.

CXXXIV.

Sed ni mea me fallat opinio, utraque pars conciliari poterit, ſi æquus judex cuique det, quod ſuum eſt. Equidem veneror Theologiam dogmaticam, eamque ſacræ doctrinæ Candidato utiliſſimam eſſe contendo: nec deſunt etiam ultimis hisce ſeculis magnorum Virorum veſtigia, quibus inſiſtere glorioſum erit. Certe inter Eruditos eruditiſſimus Dionyſius Petavius S.J. Theologus, Ludovicus Thomaſſinus, Congr. Orat. Presbyter, Honoratus Tournelius S. Facultatis Pariſienſis Doctor & Socius Sorbonicus, Ludovicus du Mesnil, Univerſitatis Argentinenſis, & Edmundus Simmonet Muſſipontinæ Cancellarii, uterque Societatis Jeſu, aliique egregiam orbi literato, & ſacræ præſertim doctrinæ operam navarunt, Auctores optime de Theologia meriti, dum ejus vel univerſæ vel magnæ partis dogmata vaſtis voluminibus eruditione, doctrina & omnigenæ ſcientiæ adparatu inſtructiſſimis illuſtrarunt, nominis quod libris ſuis præfixerunt, di-

gni-

gnitati ſuſtinendæ pares, de quorum primo, nempe Petavio, in Præfatione ſua ita loquitur Thomaſſinus ipſe: *Magnum primus omnium & longe pulcherrimum opus aggreſſus eſt Dionyſius Petavius, præſtantiſſimæ & eruditiſſimæ Societatis Jeſu lumen incomparabile, priſcam illam & patritiam Eccleſiæ Theologiam mandare literis, & in paucos Theologicorum Dogmatum tomos congerere totam Sanctorum Patrum atque generalium Synodorum opulentiam. Tantæ molis operi excogitando, adoriundo, perpoliendo, profligando unus par erat Petavius, eruditorum non ſui tantum ævi, ſed plurium retro ſeculorum facile Princeps, & tum humanas tum ſacras diſciplinas omnes immenſa quadam ingenii vi ita complexus, ut non facile quisquam harum prolixe hauriat ſingulas, quam ille exhauſit univerſas.* Jam vero ſi Theologiæ Dogmaticæ nomen ac inſtitutum attentius conſideremus, diſciplina eſt, quæ fidei ac morum doctrinam tradit in S. Scripturæ ac SS. Patrum teſtimoniis, in Conciliorum & Pontificum decretis & definitionibus fundatam, atque argumentis a ratione petitis firmatam, veniente in ſubſidium hiſtoria Eccleſiaſtica. Aliam ſane nec venerandæ Antiquitatis, nec Recentiorum vere doctorum ætas Theologiam

Dogmaticam vel agnoſcit, vel profitetur. Ita profecto eſt. Quam vero rationem ac methodum in tradenda Theologia Scholaſtica obſervari credimus? Certe niſi Auctores Scriptoresque illius in libris publicam in lucem editis paſſim fallant ac mentiantur, in præcipuis Europæ Academiis Catholicis hæc eſt docendi methodus a Majoribus noſtris ſapientiſſime introducta & præſcripta, quæ hodie etiamnum viget, ſcilicet ut præmiſſis quibusdam notatu dignis, expoſito quæſtionis præſentis ſtatu, relatis diverſis Auctorum Claſſicorum opinionibus ſtatuatur concluſio: probetur breviter primo quidem adductis quibusdam ſelectioribus S. Scripturæ textibus ſecundum ſenſum fide dignorum Interpretum; tum allatis SS. Patrum ſententiis, additis quoque ſi quæ occurrant, Conciliorum vel Eccleſiæ definitionibus: porro una alterave ratione ſolida ſtabilitur: denique ad argumenta in contrariam partem e Scriptura, Patribus, Conciliis ac ratione producta refutanda & diſſolvenda proceditur. Atque hac, ut dixi, ratione ac methodo, qua ſane ad docendum nihil aptius, nihil ad diſcendum accommodatius, fidei morumque dogmata tum ea, quæ ad Deum ejusque ſcientiam & voluntatem, ad Angelos, ad gratiam, ad actus fidei,

fidei, ſpei & charitatis, virtutesque morales & vitia, tum quæ ad Incarnati Verbi & Sacramentorum myſteria explicanda ſerviunt, palam exponuntur, iisque univerſa Theologica diſciplina in ſcholis bene moratis abſolvitur. Quid modo deeſt Theologiæ Scholaſticæ, quin ſit Dogmatica, quum eidem tota ratio & definitio Dogmaticæ, tota tradendi methodus, & ordo conveniat? niſi forte hoc illi vitio vertarur, quod non iſto nomine ac titulo inſignita incedat, contenta eo, quem a tot retro ſeculis a Patribus, a Conciliis, a Summis Pontificibus, a Majoribus ſuis cum totius orbis literati conſenſu accepit. Profitetur ſe nihilominus Theologia Scholaſtica, ſi non nomine, certe re ipſa Dogmaticam ſeu dogmata fidei ac morum explicantem; non tamen illam, quam nonnulli vaniſſimi homines cudunt in perniciem ſacræ doctrinæ, omnem laborem in eo collocantes, ut deſertis fidei ac morum principiis & Eccleſiæ traditionibus uſuque fidelium per antiquiora ſecula circum volitent, captisque aliquot dubitationum muſcis læti cum præda revertantur in Theologiam ſuam, multisque demonſtrare conentur, nixi quibusdam obſcuris auctoribus, aut chartis obſoletis, hæc & illa antiquis ſeculis in more poſita non fuiſſe, nullam in iis iſtorum mentionem

fieri, nullum deprehendi veſtigium: poſterioribus primum ſeculis ejusmodi conſuetudinem, ritum & obſervantiam in Eccleſia invaluiſſe, quamvis non raro de talibus rebus agatur, quæ proxime cum fide conjuncta ſunt, ac ſine illius injuria negari non poſſunt: atque eo rem vel incauti deducunt, vel perverſi perducere ſatagunt, ut antiquiſſimas & ſacerrimas Eccleſiæ ac fidelium traditiones non ſine fidei integritatis periculo in dubium vocare conſueſcamus. Alii, quos non absque ſtomacho luſtravi, magnum nomen Theologiæ Dogmaticæ fronti lucubrationum ſuarum inſcribunt, & tanquam pretioſum corticem vendunt; ſed ſi nucleum inſpicias, poſt proœmium & paucas aliquas paginas de locis theologicis, nonnulla eruditione conditas, ad inanes prorſus & jejunas quæſtiones, ac multo pulvere ſcholaſtico ſordeſcentes dilabuntur ſine ordine, ſine delectu, ita ut vix ulla nobiliſſimæ hujus ſcientiæ veſtigia ſit reperire. Verum hoc non Dogmaticæ vitium eſt, ſed male illa utentium. Sit igitur in pretio, prout eſſe debet rerum intelligentibus, Dogmatica, ſed ſincera & genuina, qualem ſe quoque nunquam non apud æquos Judices profitetur Scholaſtica, quæ in Academiis ut dixi Catholicis & bene moratis traditur;

quam-

quamvis non tanta cum ubertate, ſacrorumque teſtimoniorum e Scriptura, Patribus, Conciliis, & hiſtoria Eccleſiaſtica coacervatorum abundantia, uti in præſtantium Authorum voluminibus reperimus. Aliud enim eſt libros| ſcribere, aliud in ſcholis e cathedra docere, ad quod diſcrimen plurimi non adtendunt. Ibi velut in vaſto mari plenis incedere velis licet: heic plerumque tum ob rerum tractandarum copiam, tum ob temporis anguſtias, tum ob ingeniorum non æquali vigore præditorum tarditatem opus eſt ſæpe vela contrahere. Neque enim omnis fert omnia tellus, nec omnibus omnia proſunt. Plus proderit animarum cum tempore Paſtori (immo neceſſarium eſt, ut graviſſimo muneri ſuo faciat ſatis) ſi præcipua fidei morumque dogmata ſolide poſſit demonſtrare, quam ſi e cathedra ad rudes & ſimplices oviculas longos ex hiſtoria Eccleſiaſtica & de antiquorum temporum moribus ac hæreſum notitia &c. ſermones inſtituat. Neutiquam tamen inficias eo, etiam in ſcholis publicis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ locum eſſe concedendum, & data occaſione circa hæreſes, Concilia, controverſarum quæſtionum origines, fidei & Religionis noſtræ Myſteria &c. hoc eruditionis genere velut ſale, ſed modico,

eondiendos eſſe cibos, qui adponantr ſcipulis: tum quoque enitendum eſt præſertim, qui ad Eccleſiaſticas olim d tates & officia publica adſpirant, ut ſacræ doctrinæ cimelium ſibi compa quum in tali munere conſtituti non ſ Eccleſiæ Dei ac fidei munimentum, etiam ornamentum eſſe debeant. U adhuc ſilentio præterire nec poſſum volo, quo pulcherrimum ac firmiſſi Theologiæ Scholaſticæ cum Dogm fœdus & conſortium clariſſime demon poteſt. Indicta poſtremis Eccleſiæ te ribus ſacroſancta Synodo Tridentina qua ſane nihil circa fidei, morum ac plinæ Eccleſiaſticæ doctrinam præte ſum fuit, indicta inquam hac Synod leberrima vocati etiam ad eam, miſ fuerunt Summi Pontificis ac Patrum ſenſu & voluntate ex omnibus Europ tholicæ provinciis & regnis Theologi S laſtici, viri præſtantiſſimi, ac multis in Academica palæſtra lauris & palm ſignes. Horum munus erat in eo Catholici theatro, ut ſingulas fidei troverſas quæſtiones unitis viribus, roque conſilio prius diſcuterent, ante de iis ad ſacrorum Judicum Senatum tis quidquam decideretur: quivis illorum ad firmandam ſuam ſentent

quam quisque amplexus eſt, in medium proferre juſſus eſt argumenta e Sacris Scripturis, ex Apoſtolicis Traditionibus, ex antiquioribus Conciliis, e ſanctis Patribus, e Conſtitutionibus Pontificum, atque Eccleſiæ per ſeculorum Ordinem diſciplina & conſenſu expromta, id quod ſumma fide ac induſtria, ſingularique eruditionis & ſcientiæ commendatione fecerunt, ita ut teſte Orlandino (r) in Concilio iſto, quum Theologorum unus (Jacobus Lainius S. J. is erat) febri alternante laboraret, quo die hominem febris tenebat, tota ſynodus vacare conſueſceret. tanta erat in præſtantiſſimo iſthoc doctiſſimorum virorum cœtu ſcholæ Theologorum veneratio, immo pene neceſſitas. Mirum profecto, ſi Theologia Scholaſtica omnis propemodum eruditionis & hiſtoricæ notitiæ expers eſt, plena vero contentionum Dialecticarum & inutilium quæſtionum: mirum inquam, quod graviſſimum totius Eccleſiæ negotium, & præcipua fidei Chriſtianæ dogmata diſcutiendi, ponderandi, explicandi, illuſtrandique cura Theologis Scholaſticis commiſſa fuerit. Sed aliud æquius longe ac felicius ſapientiſſimorum Patrum & Pontificum de his erat judicium.

(r) *Hiſt. Societ. p.* 1. *l.* 11. *n.* 36. *& ſeqq.*

cium. non enim ignorabant, Theologum vere Scholaſticum eundem eſſe quoque Dogmaticum. Unde etiam celeberrimus ille Theologus, Dominicus Sotus Ord. Præd. fortiſſimis argumentis eodem in Concilio evicit, ne S. Scripturæ prælectio cathedræ Theologicæ, quam *Speculativam* vocant, præferretur, uti refert Card. Sfortia Pallavinus (s).

§. II.

Querelæ injuſtæ.

CXXXV.

Hactenus de querelis juſtis: nunc ubi de injuſtis, quibus Theologia premitur, differendi locus eſt, quinque hominum in eam inſurgentium claſſes diſtinguo. *Prima* eſt heterodoxorum, qui uti Eccleſiæ Catholicæ, ita & Theologiæ hoſtes aperta fronte ſe profitentur. Nam armis a Theologia ſpeculatrice ac litigioſa depromtis toties profligati eam diris omnibus devovent, & nobile hoc pugnandi vincendique genus mille calumniis, ſcomatibus, & dicteriis tum apud ſuos, tum quod dolendum, apud Orthodoxos quoque obſcurare conantur, eo conſilio, ut

(s) *Hiſt. Conc. Trident. l. 7. c. 5. n. 3.*

it eliminatis hiſce fortiſſimis rei Catholicæ præſidiis impune in religionis viſcera graſſari queant. Teſtis hac in re omni exceptione major eſſe poteſt Lutherus, qui non prius Eccleſiæ quam Theologiæ, cujus tamen Doctorem antea ſe profeſſus eſt, bellum indixit. Hic in epiſtola, quam ad D. Jodocum Eiſenacenſem e cœnobio Erfurdenſi dedit an. 1518. ita loquitur: *Ego ſimpliciter credo, quod impoſſibile ſit, Eccleſiam reformari poſſe, niſi funditus Canones Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, uti nunc habentur, & eradicentur & alia ſtudia inſtituantur, atque in ea ſententia adeo procedo, ut quotidie Deum rogem, quatenus id ſtatim faciat.* Wicleffus ſcholas noſtras *Cainitica caſtra; lupanaria* idem Lutherus; *conventus idololatriæ* Calvinus, ſcholaſticam vero Theologiam *negotium perambulans in tenebris* Kemnitius, *profanam & Pariſiis natam, quæ Evangelium obſcuravit, & fidem extinxit* adpellat Melanchton: Wittenbergenſes in Saxonia inſigne facinus, & ab orbe literato deteſtandum ediderunt, quod refert Surius *in Appendice ad Naucleruum.* quippe an. 1520. Scholaſticæ Theologiæ libros, quotquot invenire poterant, feretro incluſos inſtar funeris ad mediam urbis

bis plateam detulerunt ſequentibus Miniſtris, & Officium Defunctorum per ludibrium canentibus, tandemque in ardentem injecerunt rogum, ſacram ſimul doctrinam in cineres daturi, ignorantes tamen, quot quamque præclari phœnices theologici ex his cineribus eſſent prodituri. Eadem hac in parte ſentiendi nocendique libido fuit Janſenio Iprenſi, qui dum quærit, unde origo corruptelæ in Theologiam introductæ? reſpondet hanc a D. Thoma aliisque Scholaſticis manaſſe; & (t) Scholaſticam Theologiam adpellat *Sapientiam verbi, qua evacuatur crux Chriſti.* En! quam præclaros ſequantur duces Catholicorum nonnulli, qui cum lupis hæreticis ululantes ſacram hanc doctrinam in ſcholis tradi ſolitam vilipendere, criminari, ac modis omnibus perſequi non verentur. Horum perfidis conatibus jure merito licet opponere hominis ut ut Acatholici Franciſci Stancari teſtimonium, & quod Petro Lombardo Theologorum ſcholaſticorum Anteſignano elogium concinnat his verbis (u): *Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullin-*

(t) *L. 9. de Hæreſ. Pelag. c.* 23. (u) *L. de Trinit. & mediat. apud Micralium Syntagm. hiſt. Eccleſ. pag.* 890.

Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini, qui omnes ſi in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ. Quin ipſe Lutherus, licet teſte Ullenbergio conqueſtus ſit, ſinceram Evangelii doctrinam in Eccleſia prorſus obſcuratam Philoſophiæ quadam eluvione, idque Theologorum Scholaſticorum turba, vi tamen veritatis compulſus, & ſibimet contradicere jam adſuetus in hæc verba erupit: *Tolle Thomam, & ſuſtuliſti Eccleſiam.*

Altera claſſis eſt hominum, nimis quam par eſt profanorum, qui rebus terrenis immerſi ad ea, quæ ſupra nos ſunt, eluctari vel nolunt, vel non poſſunt. Naturæ arcana ſedulo quidem rimantur, aerem ignemque in ſtatera ponderant, intuentur quid Incolæ Jovis lunæque agant, divinant multa, pauca demonſtrant. Atque hoc ſtudium curasque ſuas, quibus diu noctuque naturæ ſcrutandæ ſpoliandæque inſudant, immenſis extollunt encomiis: hanc ſolam diſciplinam homine libero dignam prædicant, reliquas omnes ſpernunt. Quid Deus intelligat & velit, qua ratione Verbum caro factum fuerit, an Spiritus S. a Patre ſimul ac Filio procedat, quid & quomodo gratia divina in homine operetur, eumque juſtum faciat, qua-

qualis ſit præſentia Chriſti ſub Evchariſtiæ ſpeciebus &c. aliasque de quibus diſceptant Theologi, rerum ſupernarum veritates tanquam vanas, inutiles, & vix non ſuperſtitioſas grandi ſupercilio aſpernantur. Non equidem horum ſtudia & labores damno, quin & vehementer probo: ſubjecit enim Deus mundum diſputationi hominum. Illud autem reprehenſione dignum exiſtimo, quod ſuccenſeant vel omnino inſultare audeant iis, qui ſupra naturæ vires ingenio eluctantes divinarum rerum, fidei myſteriorum, aliorumque cœleſtium arcanorum contemplationi ſeſe impendunt, & Scripturæ oraculis, Patrum doctrina, Conciliorum decretis, Eccleſiæ placitis in conſilium vocatis eruere conantur, quæ latent, ex iis quæ patent. Profecto ſi homine dignus labor eſt, minimarum rerum, elementorum, herbarum, animalium, quin & metallorum ac lapidum naturam indagare, ubi ſæpe quo plura ſciuntur, eo plura ignorantur: an Dei naturam & perfectiones, Angelorum indolem, gratiæ dotes, abdita myſteriorum cœleſtium ſcrutari, & quantum humana mens adſequi poteſt, in medium proferre, an hoc crimini detur, vel perditum credatur tempus, quod rerum adeo ſublimium notitiæ impenditur, dum in lucro

lucro ponitur illud, quod infimarum indagini & velut muſcarum venationi, doctæque ignorantiæ tribuitur? De hac res divinas contemplante ſcientia Bethlemicæ ſpecus incola D. Hieronymus, jam olim pronunciavit (x): *Quid hac voluptate jucundius? qui cibi, quæ mella ſunt dulciora, quam Dei ſcire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & ſenſum creatoris inſpicere, & ſermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi ſapientibus deridetur, plenos docere ſapientia ſpiritali?* Illuſtriore adhuc encomio illam extollit Diadochus Photices Epiſcopus (y). *Omnia dona Dei,* inquit, *ſunt valde bona, & omnium bonorum cauſa, ſed nullum ita cor noſtrum inflammat, & illud ad amandum bonitatem ejus excitat, ut donum Theologiæ; cum enim ſit fœtus matutinus gratiæ Dei, prima etiam dona largitur animæ. Primum enim facit, ut libenter ac jucunde omnes vitæ hujus amicitias contemnamus; ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias verbi Dei majores quam dici poteſt, habeamus. Deinde mentem noſtram igne naturam mutante colluſtrat: unde conſortem miniſtrantium ſpirituum eam facit, & divina hæc pronuba voces aptat, qui-* bus

(x) *Epiſt.* 115. (y) *L. de perfect. Spirit. c.* 67. *tom.* 5. *Bibl. PP.*

bus ſimiles Deo efficeremur, *& Theologici ſermones diſerte canerentur.* Omnium vero diſertiſſimus eſt in commendanda Theologiæ, præſertim ſcholaſticæ, diſciplina Hypponenſis Præſul Auguſtinus (z) his verbis: *Ea*, (nimirum Theologia) *fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant fide plurimum. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quod homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt: aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur* &c. Quapropter aſſerere non dubito, quanto anima corpus, cœlum terram, gratia naturam intervallo ſuperat, tanto Theologicum ſtudium ſcientias quaſcunque naturales poſt ſe relinquere. Memor eſſe velim profanum hoc genus hominum illius, quod Poeta canit:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

CXXXVI.

(z) *Lib. de Trinit.*

CXXXVI.

Ad tertiam claſſem accedo hominum cæteroquin eruditorum, & politorum, quos Grammaticos adpellare fas eſt. Hos offendere potiſſimum ſolet ea, quæ in ſcholis comparet Theologia, ruſtico ut ajunt cultu, multaque barberie fœdata, omni ſermonis latini nitore deſtituta, plenaque rugis inconditarum phraſium ac vocum, ut non tam nobilis cujusdam matronæ, quam vetulæ trivialis ſpeciem præſeferat. Quid enim ſibi volunt voces iſtæ: *eſſentia*, *ſubſiſtentia*, *incarnatio* &c. *realiter*, *formaliter*, *concretive* &c. quæ inter Scythas potius & in Ponto natæ videntur, quam in Latio? Argumenta quæ adferunt hi ſcholæ Doctores, plerumque jejuna ſunt & inſipida: hæc obtrudunt nauſeanti ſtomacho velut eſcas omni ſale ac condimento carentes. Ita fit, ut inſulſo & plene barbaro dicendi genere imbuti ſeveriorum diſciplinarum in Academiis alumni fere omnem ſermonis Latini elegantiam exuant, quam tanto in Gymnaſiis ſtudio, & per tot annos improbo labore ſunt conſecuti. His ut ſatisfaciam Grammaticorum querelis, illud prius examini ſubjiciendum, quid hac in re judicarint Patres antiqui: non enim eadem

mens fuit omnium. Juvat heic qu
præmittere, quorum jam in libro de
torica circa eloquentiam ſacram me
Non pauci erant, qui quum de ſer
ac ſtyli genere in explicandis rebus
mis ac divinis adhibendo differerent
nem ornatui ac dictionis munditiei
interclufam volebant: alii vero noi
ornatum quam nimium ejus ſtudiui
verborum phaleras ac lenocinia
amandari debere cenſuerunt. Quo
maxime agebant Patres Antiquiores,
do pro ſacris Literis pugnabant
Gentiles, vitio vertentes Chriſtia
cultum ſermonem, quem in iis depr
debant, quum libri Platonis, Ariſt
Senecæ, Philonis aliorumque, que
circumferebant, copioſe ac elegan
rebus etiam ſummis ac divinis eſſen
ſcripti. Ita Celſum magno ſupercili
temnentem ſacros Codices, iisque
ponentem Græcorum ſcripta, ingent
ditionis adparatu ſuperbientia, r
Origenes (a), multisque oſtendit,
duſtria id factum a Scriptoribus Cano
ne in gratiam doctorum hominum d
xat eos exaraſſe viderentur, nulla ru
& plebejorum habita ratione, ac
tanquam profanos humilis conditio

(a) *Lib.* 6.

bi divini intelligentia longiſſime removeret, quum tamen illius fructus ad omnes pertineat. Hinc (b) ait: *Sub tenui & contempta locutione latentem eſſe arcanorum ſplendorem dogmatum, adeo ut quaſi theſaurum habeamus in vaſis fictilibus, ut luceat ſublimitas virtutis dei: nec a nobis hominibus eſſe credatur.* Ita Petrus Damianus (c) *vivacitatem* inquit *ſententiarum ſermo ex induſtria cultus evacuat, & dictorum vim ſplendor elaboratus enervat.* Ita quoque Gregorius M. (d) *Mundi ſapientes cum veritate rerum careant, aliud ſe eſſe quam ſunt verborum compoſitionibus quaſi ſuperductis coloribus mentiuntur. At contra doctrina ſapientiæ & prædicatione pulchra eſt, & pura veritate conſpicua: nec aliud ſe per fallaciam prætendit exterius, & aliud reſervat interius: neque in dictis ſuis pulchra videri appetit nitore ſermonis, ſed integritate veritatis.* Brevius Auguſtinus eandem ſententiam complexus eſt, dum ait: *Mundanis ſcriptoribus tota cura de verbis eſt: noſtris de rebus.* Memorabile circa rem hanc eſt factum, quod in Concilio Nicæno I. contigit. Quum enim eloquentiſſi-

(b) *C.* 1. *Philoc.* (c) *Opuſc.* 6. *c.* 38.
(d) *L.* 18. *Moral. c.* 27.

tiſſimus ſui temporis & doctiſſimus Triphillius Epiſcopus textum illum Marci (e): *Tolle grabbatum tuum* politiore nonnihil ſermone produxiſſet, dicendo: *Tolle humilem lectum tuum*, ſanctiſſimus ſenecio, Cypri Epiſcopus Spiridion graviſſimis his verbis eum reprehendit: *Tune melior es illò* (nimirum Chriſto) *qui dixit grabbatum, ut ejus verbis uti dedigneris?* Contra non deſunt Patres alii ex antiquis, qui ſacram doctrinam non volunt quidem eſſe Virginem ſuperbe comtam, & ad ſuperſtitioſæ cujusdam elegantiæ ſpeciem exornatam, ſed modeſte cultam, religioſe nitidam, & majeſtate quadam fulgentem Matronam, unde Cyrillus palam & diſerte ait (f): *Non enim elegantiam in dogmaticis ſententiis repudiat, vel tanquam adulterinam rejicit Eccleſiaſtica noſtra doctrina.* Hieronymus quoque (licet ipſi nimis quam par erat Ciceronianum fuiſſe caro ſteterit) quum Magnus, Orator Romanus, ex ipſo quæſiviſſet, cur in Opuſculis ſuis ſæcularium literarum interdum poneret exempla, & candorem Eccleſiæ ethnicorum ſordibus pollueret? ita reſpondit S. Doctor (g): „ Exemplo id „ ſe facere Moyſis & Prophetarum, in „ quibus quædam aſſumta ſunt de gen- „ tilium

(e) *C.* 5. (f) *L.6. Joan.* (g) *In epiſt. ad Magnum.*

„ tilium libris: Salomonem in exordio
„ Proverbiorum commonere, ut intel-
„ ligamus ſermones prudentiæ, verſu-
„ tiasque verborum, parabolas, & ob-
„ ſcurum ſermonem, dicta ſapientum, &
„ ænigmata, quæ proprie Dialecticorum
„ & Philoſophorum ſunt. Deinde Paul-
„ lum commemorat, qui non ſemel Poe-
„ tarum abuſus eſt verſibus, ut Epimeni-
„ dis, Menandri, & Arati. Demum Chri-
„ ſtianorum Scriptorum atque Eccleſiæ
„ Doctorum catalogum producit bene
„ longum, qui omnes & eloquentiſſime
„ dicunt, & in tantum Philoſophorum
„ doctrinis atque ſententiis ſuos referci-
„ unt libros, ut neſcias, quid in illis pri-
„ mum admirari debeas, eruditionem
„ ſæculi, an ſcientiam Scripturarum.„
Huic affine teſtimonium eſt, quod præbet Lactantius (h), *Circumlinatur*, ait, *modo poculum cæleſti melle ſapientiæ, ut poſſint ab imprudentibus amara remedia ſine offenſione potari, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem ſaporis aſperi ſub prætextu ſuavitatis occultat.* Ita in utramque partem pro temporum, morum, controverſiarum diverſitate ac conditione loquuntur Patres. Ego ut mentem meam hoc

(h) *L. 4. de doctr. Chriſt. c. 11.*

hoc in negotio aperiam, ſic exiſti
Grammaticæ ac eloquentiæ culturan
temperie adhibendam eſſe ab illo, qu
cram profitetur doctrinam, ut ſemper
minerit ſimul, ſe Theologum eſſe. I
de ſacris arcaniſque loquens rebus ſe
nis ſplendorem non affectet, neque
fanæ ac elatæ cujusdam eloquentiæ c
lia in Sancta Sanctorum inferat, ne
ratione tam ſublimis ſcientiæ majeſt
levitatis nota & labe aſpergat: nec ta
vel ſordes amet, vel ſtoica ſeveritat
glectum ſermonis ubique ſectandum
perſuadeat, ſed modeſto ſimpliciique
tu quodam & ornatu utatur, plusqu
ſententiarum gravitate, quam de ve
rum acumine ſit ſolicitus: pro re
quoque ac perſonarum, quibus loqui
vel de quibus ſcribimus, varietate va
dus eſt ſtylus. Hinc omnino diſcri
fieri oportere cenſeo, & aliud ſerm
genus adhibendum eſſe, quum in ſc
e cathedra Theologicæ quæſtiones
nibus proponuntur: aliud quum hoc
ſertim ſeculo libri aliæve lucubrati
doctæ in orbis literati theatrum prodt
tur. Prius ſi fiat, ſcholaſtico rigoi
aliquid indulgendum, nec defugienda
vocabula Doctorum & Patrum anti
rum conſuetudine trita & quaſi civ

donata, quum experientia doceat, & venatoribus & opificibus impune licere propriis ſibi vocibus uti, quas *terminos technicos*, ſeu *artis* adpellant: poſterius ſi contingat, ornatus quoque ac ſententiarum & verborum delectus accedat oportet, quamdiu aliud neceſſitas vel manifeſta utilitas non ſuadeat. Dicet ergo Theologus abſque crimine ac pœna non ſolum *Eſſentiam*, *Exiſtentiam*, *Relationem*, *Subſiſtentiam*, *Incarnationem*, & hujusmodi alia priſcis uſitata, verum etiam *Ens*, *Entitatem*, *Formalem rationem*, *Proprietatem perſonalem*, *Quidditatem*, & ſi quæ ſunt ſimilia, ita tamen, ut nonniſi neceſſitate id ſuadente, ut dixi, agat, quæ tunc vel maxime locum habere videtur, quum aliæ voces aut ſententiæ ad manus non ſint, queis vel brevius vel clarius, vel elegantius, vel menti Patrum ac Doctorum conformius, aut æque ſignificanter res vocibus illis ac ſententiis ſubjectæ exprimi poſſunt ac declarari. Quippe ut præclare ait Auguſtinus, *melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.*

CXXXVII.

Quarta & *Quinta* claſſis eſt Criticorum & Novatorum. Ut de prima dicam aliquid, ſunt Criticorum e numero alii, qui nobiliſſima hac ſcientia, quam vel non intelligunt, vel ea certe abutuntur, quaſi Socratis pallio ſe involvunt, ac in publicum prodeuntes magni nominis famam aucupantur. Hi Patrum aliquot ſententias, & excerptas ex hiſtoria Eccleſiaſtica controverſias in utramque partem agitatas, vel omnino ex auctoribus hæreticis hauſtas, quas iſti in Theologiam Scholaſticam evomunt, calumnias & criminationes fideliter memoriæ mandant, in hominum literatorum cœtibus producunt, ac itentidem repetunt, obvios quosque, viros etiam cæteroquin doctos velut ænigmatibus ſuis Sphynges aggrediuntur, ac ſi forte Oedipum non inveniant, mire gloriantur, ſeque ipſos circumſpiciunt quaſi aureæ ætatis Theologos, & nobiliore metallo fuſos ſapientiæ Proceres: quodſi vero in homines ſolida doctrina Theologica inſtructos incidant, ubi ratiocinando agendum eſt, ad unius alteriusve ſyllogismi inſultum corrugant frontem, fluctuant, & pene in ſicco merguntur. Non diffiteor, nobiliſſimam artem eſſe Criticam, modo

modo non ſutor procedat ultra crepidam. In primam ſtatim regulam Critices impingunt hujusmodi, quæ ſtatuit, non niſi, maturo conſilio, probe perſpectis utrinque fundamentis, nova veteribus & vetera novis, rite prius comparando, & quænam horum plus valeant, diſcutiendo ferendam criſin ac cenſuram; quod qui homines iſti faciant, aut facere poſſint, ſupernarum rerum notitia leviſſime tincti, plurimis intenti, per libros crabronum inſtar mutatis continuo ſtationibus graſſantes, ſane non diſpicio. Alii e Criticorum claſſe ſunt, qui grandi ſupercilio, & ſibi ſoli ſapientes Theologiam Scholaſticam reipublicæ parum utilem, ſi non omnino noxiam & ſibi & aliis perſuadere conantur; eam dialecticis litibus & rixis nunquam finiendis plenam, ut ajunt, averſantur cane pejus & angue; demum eruditionis omnis expertem, & ſolum rebus ſublimibus ac reconditis ſpeculandis aurium tenus immerſam eſſe conqueruntur: & hi plerumque ſunt ex eorum hominum grege, quos D. Paullus *animales* vocat, & de quibus pronunciare non dubitat (i): *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, non poteſt*

(i) *Cor.* 2.

poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Cuperent hi nimirum, ut Theologia quæ in ſcholis traditur (idem judicium ferunt cenſores iſti de aliis ſcientiis) ad vanam quandam animi oblectationem, & ſermonis eruditi condimentum ſerviat, parum ſoliciti, ut ſemper præſto ſint in Republica Chriſtiana homines, qui ſolida rerum divinarum & ad mores fidelium informandos pertinentium doctrina in ſcholis imbuti tum Religionis noſtræ dogmata docte proponant, apte explicent, & in ovium ſibi creditarum animis ſarta tecta conſervent, tum adverſus ingruentes undique hæreſum inſidias fortiter defendant ac tueantur. Agnoſcant quæſo Viri Catholici, quid agant, his præſertim periculoſis temporibus: nimirum tacite cum hæreticis conſpirant; qui lupos illos Æſopi imitantur; hi quum bellum ovibus inferre decreviſſent, paullo ante vehementer iis ſuadebant, ut canes procul a ſe amandarent, tanquam animalia latratu ſuo ac morſibus quietem publicam turbantia, quo conſilio non utique quietem ovibus, ſed ſibi oves in prædam quærebant. Philiſtæos quoque imitantur, qui devictis olim Gabaonitis ſedulo cautum eſſe volebant, uti ſacra teſtatur Scriptura (k), *ne faber*

(k) 1. *Reg. c.* 13.

faber ferrarius inveniretur in omni terra Iſrael, ne forte facerent Hebræi gladium & lanceam, & inveniretur cenſis in die prælii. Id ipſum profecto, agunt Sectarii: canes a grege arcere ſtudent, ut amoto cuſtode in Chriſti ovile impune poſſint ſævire: gladios & lanceas e manibus Catholicorum extorquere conantur, ut inermes ſecurius invadere ac opprimere queant: nempe Theologis & armis theologicis, fortiſſimo illo contra hoſtes præſidio Eccleſiam exuere adlaborant. Et quid Catholici ad hæc? Res deploranda! eo perventum eſt Criticorum ejusmodi dicteriis & cavillationibus perpetuis, ut pauci, qui tamen ad officia & dignitates Eccleſiaſticas eo meliores, quo pinguiores adſpirant, in quibus conſtituti Eccleſiæ diſciplinam, doctrinam, & fidem defendere deberent, ſeque murum pro Domo Dei opponere, ut inquam pauci Theologicis ſtudiis ſeſe impendant, & his operam dare vix non probro ſibi ducant, contenti doctrinæ aliquid e Jure Canonico, eaque quæ potius Eccleſiaſtica hiſtoria, quam Theologia nominari meretur, diſciplina delibaſſe. Ita fit, ut non raro negligantur, quæ non intelliguntur: damnentur quæ ſana ſunt, quæ infecta, abſolvantur: & ſi Concilium aut Synodus ad opprimendam in cunis naſcentem quam-

dam

dam hæreſin celebranda foret, forte alicubi *non inveniretur enſis in die prælii.*

Ad quintam quod adtinet claſſem, ſcilicet Novatorum, hæc omnium maxime noxia eſt. Juvat rem hanc intime cognoſcere. Ea eſt ingeniorum indoles, ac inditus a natura in utramque partem impetus, ut recens inventa ſummo plauſu excipiant, & velut ſubmiſſa cœlo Palladia adorent. At ubi continuó quaſi uſu detrita juventæ florem exuunt, & ad ſenectam vergunt, eorum tædio capta e veſtigio ad nova invenienda prorumpant; id quod plerisque in artibus ac naturæ operibus, tum vel maxime in ſcientiis fieri experientia docet. Nec ſolum hac novandi cupiditate velut vento correpti in naturalis, ſed etiam in Divinæ Theologicæque ſcientiæ oceano velificant non pauci, & plus ultra velis remisque contendunt novi, ſi ſuperis placet, Columbi & Americi. Quo non orbis eruditi adplauſu & omnium admiratione excepta eſt Petri Lombardi celeberrimi illius ſententiarum Magiſtri Theologia, qui primus vaſtiſſimam hanc ſcientiam per Græcorum Latinorumque Patrum volumina etiamnum veluti vagam intra limites coercuit, & antiquorum Patrum ſententias, quatuor libris complexus Theologiæ Scholaſticæ fundamen-

damenta jecit? Subinde hæc ipſa doctrina Angelici & Seraphici Doctorum divino plane ingenio, induſtria, calamo eam induerat formam ac decorem, quo etiamnum hodie veſtita in ſummis Academiarum ſaniorum cathedris comparet. Nihilominus turbulenta quædam ingenia protulit eruditum nimis præſens ſeculum, quæ vel priorum faſtidio depravata, vel novandi ſtudio familiari abrepta, diruto quantum per ipſos ſtat Scholaſticæ Theologiæ muro, ipſis venerandæ antiquitatis ruderibus novum ſacræ doctrinæ ædificium & ſyſtema ſuperſtruxere, quo & ſecurius laterent, & certius nocerent. Specioſus profecto conatus, ſi non occultaretur ſub eo doctrinam ſanam & ſolidam evertendi animus, quum ratiocinationi ac diſputationi parum vel nihil tribuant; falſa dogmata veteris diſciplinæ pallio involuta pro veris temere venditent, antiquæ Eccleſiæ rigorem exulare juſſa manſuetudine velut poſtliminio revocent, tanquam jugum non ſuis ſed aliorum humeris imponendum: vetuſtiſſimas traditiones piasque fidelium conſuetudines longo uſu roboratas impugnent, & jam per multa ſecula civitate donatas doctrinas labefactare, immo penitus evertere conentur. Atque hæc ultima novorum Theologorum claſſis, tam fre-

quens

quens his temporibus, quam Chriſtianæ Reipublicæ nociva, ſummò ſtudio vitanda eſt illi, qui tanti menſuram nominis implere cupit. Igitur omne hac in re punctum tulit, qui novit utile miſcere dulci, ſcholaſticas contentiones eruditionis ſtudio temperare, geminasque ſorores Scientiam & Sapientiam inviolabili nexu conjungere. Ita fiet, ut tandem vera & genuina Theologiæ imago prodeat cum maximo & diſcentium emolumento & doctorum plauſu.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBER XII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

Actiones humanæ an poſſint eſſe indifferen-rentes. L. 12. N. 83.
An detur obligatio omnes actiones referendi ad finem poſitive honeſtum. L. 12. N. 83.
Adamus humani generis parens ſimul & doctor fuit. L. 12. N. 17.
Alexandri VII. declaratio circa feſtum Immaculatæ Conceptionis. L. 12. N. 121.
Angelorum exiſtentia, diviſio in choros, natura, & loquela. L. 12. N. 75.
Angelorum lapſus & peccatum. L. 12. N. 76.
Apoſtoli fuerunt Theologi, ut patet ex eorum epiſtolis. L. 12. N. 22.
Doctrina Theologica D. Paulli. L. 12. N. 22.
Diſputatio Theologica D. Stephani. L. 12. N. 22.

Arius,

Arius, ejus imago, doctrina & errores. L. 12. n. 105.
Negat Dei filium eſſe ὁμοούσιον ſeu Conſubſtantialem Patri. L. 12. N. 105.
Condemnatur: ejus interitus. L. 12. N. 105.
Triſtis facies Eccleſiæ tempore Arii. L. 12. N. 106.
Arianorum & Semi-Arianorum fraudes & ſimulatio. L. 12. N. 106.
Ariſtotelis judicium de Theologia Poetica Veterum. L. 12. N. 15.
Ariſtotelis libelli aliquot Pariſiis proſcribuntur. L. 12. N. 42.
Athanaſii glorioſum certamen adverſus Arianam hæreſin. L. 12. N. 106.
Attritio: ejus indoles & virtus. L. 12. N. 102.
Auguſtini locus celebris de filio Dei, quod non ſit minor Patre, contra Arianos. L. 12. N. 106.
Plures libros ſcripſit contra Pelagianos, quos debellavit. L. 12. N. 107.

B.

Bajus (Michael) Janſenianæ ſectæ fundamentum ponit: ejus doctrina & errores. L. 12. N. 118.
Adnitente Card. Toleto palinodiam canit. L. 12. N. 118.

Ban-

Banneſii aliorumque conatus ad Molinæ doctrinam ſupprimendam. L. 12. N. 124.
Baſtidæ diſputatio de auxiliis gratiæ. L. 12. N. 126.
Beatitudo ſeu ultimus finis in quo conſiſtat. L. 12. N. 80.
Errores ethnicorum Philoſophorum circa beatitudinem. L. 12. N. 80.
Beati an peccare poſſint. L. 12. N. 81.
Bellarmini doctrina de certitudine, quod Concilium aliquod ſit legitimum. L. 12. N. 33.
Bellarmini teſtimonium circa Concilii Tridentini Acta in negotio gratiæ. L. 12. N. 126.
Belluga (Cardin.) memorabile factum ad promovendum cultum Immaculatæ Conceptionis. L. 12. N. 121.
Sub Benedicto XIV. Acta in cauſa Janſeniſtarum. L. 12. N. 119.
Benedicti XIII. Decretum pro Schola Thomiſtica in negotio gratiæ. L. 12. N. 126.
Benedictus XIV. Capellam Pontificiam decernit in honorem Immaculatæ conceptionis. L. 12. N. 121.
Bibliæ in vulgari lingua lectionem quommodo prohibeat Tridentinum. L. 12. N. 50.
Bibliotheca prima apud Chriſtianos Caſareæ. L. 12. N. 23.
Bulla Unigenitus. L. 12. N. 119.

C.

Calvini typus & doctrina. L. 12. N. 116.
Turbæ in Gallia a Calvino excitatæ. L. 12. N. 116.
Calvinianæ ſectæ ſoboles: Puritani, Arminiani, Gomariſtæ &c. L. 12. N. 116.
Calvinianæ ſectæ liberum exercitium è Gallia proſcriptum. L. 12. N. 116.
Canon Synagogæ continet libros tot, quot literas alphabetum hebraicum, viginti duos. L. 12. N. 48.
Canon Eccleſiæ Romanæ continet libros ſeptuaginta duos. L. 12. N. 48.
Librorum canonicorum genealogia. L. 12. N. 48.
Canonici Libri Legales, Sapientiales, & & Prophetici. L. 12. N. 48.
Cani (Melchioris) judicium de libertate Theologica. L. 12. N. 10.
Cani doctrina de diligentia & cura in Conciliis adhibenda. L. 12. N. 33.
Ejusdem judicium de Theologia, quæ ratiocinationem excludit. L. 12. N. 133.
Caroli M. epiſtola ad Elipandum de conſenſu Epiſcoporum. L. 12. N. 30.
Catalogus ſententiarum è libris S. Scripturæ ſelectarum. L. 12. N. 56.
Catalogus rerum & factorum, quæ in S. Scriptura narrantur, e variis ejusdem libris ſelectorum. L. 12. N. 58.

Cen-

Cenſuram ferre in foro Theologico non eſt fas privato: ſed S. Sedis eſt. L. 12. N. 9.
Charitatis natura & objectum formale. L. 12. N. 96.
Chriſtus methodo ſcholaſtica ſeu ſubtili argumentatione ſæpius uſus eſt. L. 12. N. 21.
Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. L. 12. N. 79.
Clemens VIII. legit librum Molinæ, ac notas addit. L. 12. N. 125.
Immoritur huic negotio. L. 12. N. 125.
Clementis XII. Breve pro ſchola & doctrina Societatis. L. 12. N. 126.
Communio an ſub una vel ſub utraque ſpecie Laicis concedenda. L. 12. N. 103.
Conceptio Immaculata, ſeu exemptio B. V. M. a peccato originali: an debitum proximum contraxerit. L. 12. N. 87.
Ejusdem pia opinio jam a tempore Apoſtolorum viguit. L. 12. N. 120.
de Conceptionis Immaculatæ feſto controverſia inter S. Bernardum, & Canonicos Lugdunenſes. L. 12. N. 120.
Controverſia circa Immaculatam Conceptionem inter ſcholam Thomiſticam & Scotiſticam. L. 12. N. 120.
Conceptio Immaculata defenditur in Concilio Baſileenſi. L. 12. N. 120.
Officium de Immaculata Conceptione a Sixto IV. fuit inſtitutum, & juſſu Pii V. editum. L. 12. N. 120. & 121.

Conſtitutiones Pontificum circa controverſiam de Immaculata Conceptione. L. 12. N. 120.

Conceptionem Immaculatam impugnantes cenſuris ſubjiciuntur. L. 12. N. 121.

Controverſia de voto defendendi Immaculatam conceptionem. L. 12. N. 121.

Suſcitata a Lamindo Pritanio minus pia opinio refellitur. L. 12. N. 121.

Decretum Concilii Tridentini de peccato originali, in quo excipitur B. V. & Immaculata vocatur. L. 12. N. 121.

Concilium quid ſit: ejus diviſio in Univerſale & Particulare: Univerſalis in Oecumenicum, Reprobatum, & partim Approbatum, partim Reprobatum. L. 12. N. 31.

Particularis in Nationale, Provinciale, & Diœceſanum. L. 12. N. 31.

Conciliorum tam veteris quam novi teſtamenti origo. L. 12. N. 31.

Concilia primi celebrarunt Apoſtoli. L. 12. N. 31.

Conciliorum an in Eccleſia neceſſitas detur. L. 12. N. 31.

Concilia convocandi cauſſæ recenſentur. L. 12. N. 32.

Tria requiſita ad Concilium legitimum, 1. indictio & convocatio a Pontifice facta. 2. Patrum cura in definiendo. 3. Confirmatio Pontificis. L. 12. N. 32.

Con-

Concilii infallibilitas demonſtratur. L. 12. N. 33.
Conciliorum XVIII. Oecumenicorum Synopſis. L. 12. N. 34.
Concilia Generalia, quæ non fuerunt Oecumenica. L. 12. N. 34.
Concilium an in morum decretis errare poſſit. L. 12. N. 33.
Concilia convocare non eſt humanum inventum. L. 12. N. 33.
Concilium Nicænum I. ejusque deſcriptio. L. 12. N. 105.
Viri præclariſſimi, qui huic Concilio interfuerunt: eorum elogium. L. 12. N. 105.
Concilii Nicæni Symbolo addita fuit particula Filioque. L. 12. N. 113.
Concilii Chalcedonenſis acta adverſus Eutichetem ejusque aſſeclas. L. 12. N. 110.
Concilium Florentinum, in quo rurſus tentata fuit cum Græcis concordia: Articuli Concordiæ: Decretum unionis. L. 12. N. 113.
Ordo ſedentium in Concilio. L. 12. N. 113.
Concilii Tridentini deſcriptio, ejusque fructus. L. 12. N. 117.
Concilii Tridentini exiſtimatio de Theologis Scholaſticis. L. 12. N. 144.
Concordantiæ Bibliorum Auctor. L. 12. N. 59.
Confeſſio Auguſtana. L. 12. N. 115.

Conſtantinus proſcribit S. Athanaſium. L. 12. N. 106.
Controverſia inter S. Stephauum Papam & Cyprianum de baptiſmo hæreticorum. L. 12. N. 27.
Controverſia circa Paſcha celebrandum. L. 12. N. 27.
Contentio inter D. Petrum, & Paullum circa ſimulationem in converſatione cum Gentilibus & Judæis L. 12. N. 120.
Cultores Theologiæ naturalis. L. 12. N. 15.
S. Cyrilli anathematiſmi contra Neſtorium. L. 12. N. 109.

D.

Dei perfectiones tum negantes tum affirmantes. L. 12. N. 79.
Dei intellectus & Scientiæ. L. 12. N. 71.
Ejusdem voluntas, & decreta. L. 12. N. 72.
Dialectica in forum Theologicum invecta male audit apud aliquos SS. Patrum. L. 12. N. 41. & 42.
Dialectica multi ad hæreſes abuſi ſunt, uti Arius Aetius, Eunominus &c. L. 12. N. 42.
Dialectica non negligenda in Theologia. L. 12. N. 10.
Diſcrimen inter doctrinam Catholicam, & mere Theologicam. L. 12. N. 4.
Dioſcori crudelitas in Flavianum in Synodo prædatoria Epheſina. L. 12. N. 110.

Diſpu-

Diſputatio celebris Emmanuelis Caleca cum Nicephoro Gregora, Theologiæ ac Dialecticæ hoſte acerrimo. L. 12. N. 45.
de Diſputandi more, qui apud aliquos invaluit, judicium Melch. Cani. L. 12. N. 133.
S. Dionyſius Areopagita D. Petrum vocat Theologorum decus & columen. L. 12. N. 2.
Diviſio bonorum Eccleſiaſticorum, quo jure facta ſit. L. 12. N. 97.
Doctrina quælibet tribus nititur principiis, vel opinione, vel fide, vel intellectu. L. 12. N. 3.
Doctrina Catholica de duabus in Chriſto voluntatibus. L. 12. N. 111.
Doctores Eccleſiæ quinam dicantur. L. 12. N. 38.
Doctores Eccleſiæ quatuor renuntiati a Bonifacio VIII. S. Gregorius M. S. Auguſtinus. S. Ambroſius. S. Hieronymus. L. 12. N. 38.
S. Thomas a Pio V. & S. Bonaventura a Sixto. V. L. 12. N. 38.
Doctores alii Eccleſiæ, non ita Solemniter declarati. L. 12. N. 38.
Dogma Catholicum ſeu Imperatum: pure theologicum; liberum & toleratum. Singulorum exempla. L. 12. N. 8.
Dogma Catholicum quid ſit. L. 12. N. 133.
Dominium Clericorum, & Religioſorum. L. 12. N. 97.

Dominum hominis in hominem. L. 12. N. 98.
Dominium in feras. L. 12. N. 98.
De modis acquirendi dominium. L. 12. N. 98.

E.

Eccleſia eſt infallibilis in diſcernenda ſana doctrina. L. 12. N. 9.
Eccleſiæ auctoritas, etymologia, & notæ veræ Eccleſiæ. L 12. N. 29. & 30.
Eccleſiæ membra quinam ſint, & qui non, L. 12. N. 29.
Hæreſes circa membra Eccleſiæ. L. 12. N. 29.
Eccleſia per orbem diſperſa an ſit infallibilis. L. 12. N. 30.
Eccleſiæ naſcentis facies. L. 12. N. 60.
Eccleſiæ infallibilitas. N. 12. N. 93.
Eccleſiæ Catholicæ triumphus de Ariana hæreſi. L. 12. N. 106.
Eccleſiæ facies Seculo XVI. & mores corrupti. L. 12. N. 115.
Edictum Nannatenſe abolitum a Ludovico XIV. L. 12. N. 116.
Editiones S. Scripturæ, Hebraica, Græca, Latina, vernacula. L. 12. L. 50.
Eutychetis prava dogmata. L. 12. N. 110.

F.

Ferreiræ (Bartholomæi) O. P. teſtimonium & elogium Molinæ libro & doctrinæ datum. L. 12. N. 124.

Fides

Fides ex triplici fonte manat: ex Scriptura, ex Traditionibus, & ex Eccleſiæ definitione. L. 12. N. 3.
Fidei ultima reſolutio. L. 12. N. 93.
Argumenta credibilitatis pro Fide Catholica. L. 12. N. 93.
Fidei dotes: ejus certitudo. L. 12. N. 93.
Fides vera in quanam Religione inveniatur. L. 12. N. 94.
Fidei neceſſitas. L. 12. N. 94.
Figuratæ dictiones S. Scripturæ, ejusque exempla. L. 12. N. 53.
S. Flaviani M. pugna illuſtris cum Eutychianis. L. 12. N. 110.
Formula Conciliorum: Hæc eſt fides Patrum. L. 12. N. 38.

G.

Germania per ſectam Lutheranam miſere vaſtata. L. 12. N. 115.
Gloſſæ interlinearis, & Gloſſæ ordinariæ Auctor. L. 12. N. 59.
Gnoſtici primorum temporum hæretici peſſimi. L. 12. N. 60.
Gratiæ natura & diviſio. L. 12. N. 88.
Gratiæ divinæ motio quomodo fiat. L. 12. N. 88.
Gratia efficax in quo conſiſtat. L. 12. N. 90.
Circa gratiam efficacem doctrina ſcholæ Thomiſticæ, Scotiſticæ, ac Societatis. L. 12. N. 90.

Gratia ſufficiens: an aliquibus negetur. L. 12. N. 89.
Hæreſes circa gratiam, & dogmata Catholica. L. 12. N. 89.
Gratia ſanctificans. L. 12. N. 91.
Gratia vocationis. L. 12. N. 91.
Vera & genuina origo controverſiæ de auxiliis Gratiæ. L. 12. N. 123.
Doctrina Societatis circa gratiam conformis menti S. Fundatoris Ignatii. L. 12. N. 123.
Græcorum Schisma: ejus origo & ſeries ſub Photio Patriarcha & ſucceſſoribus. L. 12. N. 112.
Græci cum Eccleſia Latina reconciliantur in Concilio Lugdunenſi. L. 12. N. 112.
Græcorum perfidia, & obſtinatio in ſchismate. L. 12. N. 112.
Articuli, in quibus diſſidebant Græci a Latinis. L. 12. N. 113.
Tentata rurſus concordia in Concilio Florentino. L. 12. N. 113.
Græcorum iterata perfidia a Deo punita everſione Imperii. L. 12. N. 113.
S. Gregorius Nazianzenus quare Theologus ſit adpellatus. L. 12. N. 2.
Gregorii IX. literæ ad univerſitatem Pariſienſem contra nimium philoſophandi uſum in rebus theologicis. L. 12. N. 132.

H. *He-*

H.

Hebraismi, ſeu varii modi loquendi apud Hebræos uſitati. L. 12. N. 52.

Hæreſes Theologiæ ſtudium promoverunt. L. 12. N. 23.

Hæreticorum vana adpellatio ad Concicilium univerſale. L. 12. N. 30.

Hæreticis Dei providentia ſemper oppoſuit Patres, aliosque viros doctiſſimos. L. 12. N. 60.

Hæreſes Eccleſiam Catholicam infeſtantes ordine ſeculorum recenſentur. L. 12. N. 60.

Hæreticorum fraudes, qui dialecticam & ratiocinandi methodum e Theologia penitus excluſam volunt. L. 12. N. 45.

Helſini officium de Immaculata Conceptione cœlitus præſcriptum. L. 12. N. 129.

Hiſtoriæ Theologicæ prima elementa. L. 12. N. 13.

Hiſtoria Theologiæ Naturalis, & Supernaturalis. L. 12. N. 14. & ſeq.

Honorius Papa a Sergio & Monothelitis deceptus. L. 12. N. 111.

de Honorii damnatione in Concilio Conſtantinopolitano. L. 12. N. 111.

Hugonotarum cædes in Gal'ıa L. 12. N. 16.

Humanitatis Chriſti prærogativæ ac dotes. L. 12. N. 79.

Ejusdem Sanctitas, in peccabilitas, & libertas. L. 12. N. 79.

Huſſ

Huſs (Joannes) Wicleffi hæreſin in Bohemia reſuſcitavit. L. 12. N. 114.
Damnatur in Concilio Conſtantienſi, & cum Hieronymo Pragenſi comburitur. L. 12. N. 114.
Huſſitarum turbæ in Bohemia. L. 12. N. 114.

I.

Janſenii (Cornelii) imago: ejus opus poſthumum: Auguſtinus Janſenii. L. 12. N. 118.
Janſenii proteſtatio ſub vitæ finem. L. 12. N. 118.
Ejus liber damnatur ab Urbano VIII. L. 12. N. 119.
Turbæ inter Epiſcopos Galliæ ob Janſenii doctrinam. L. 12. N. 119.
Janſenii cauſa agitatur Romæ ſub Innocentio X. damnantur quinque propoſitiones. L. 12. N. 119.
Janſeniani varia quærunt effugia. L. 12. N. 119.
Ignorantia vincibilis & invincibilis. L. 12. N. 82.
Incarnationis poſſibilitas & exiſtentia. L. 12. N. 77.
Incarnationis neceſſitas, cauſſa finalis & meritoria. L. 12. N. 78.
Infallibilitas Eccleſiæ demonſtratur. L. 12. N. 29.

Infal-

Infallibilitas Concilii pluribus adſtruitur. L. 12. N. 33.
Innocentius IX. urgetur fruſtra ad damnandam ſententiam benignam. L. 12. N. 127.
de Indulgentiis promulgandis controverſia. L. 12. N. 115.
S. Joannes Evangeliſta unde Theologi nomen acceperit. L. 12. N. 2.
Joannis XXII. effatum de doctrina D. Thomæ. L. 12. N. 25.
Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus comparet in Concilio Florentino, eoque durante moritur. L. 12. N. 113.
S. Iſidori doctrina Theologica. L. 12. N. 24.
Judex an condemnare poſſit reum, quem ſcit eſſe innocentem. L. 12. N. 98.
Juſtificationis negotium, & diſpoſitiones ad illam. L. 12. N. 91.
Juſtificatio formalis in quo conſiſtat. L. 12. N. 96.

L.

Laynii S. J. celebris oratio pro Immaculata Conceptione in Concilio Tridentino. L. 12. N. 121.
Lemos O. P. diſputatio de auxiliis gratiæ. L. 12. N. 126.
Lex naturalis, Moſaica, Evangelica, humana tam civilis, quam Eccleſiaſtica. L. 12. N. 84.

Libe-

Liberius Papa deceptus ab Arianis. L. 12. N. 106.
Libertas ſentiendi in Theologicis, certos tamen intra limites. L. 12. N. 10.
Liberum arbitrium quid rei ſit. L. 12. N. 83.
Hæreſes circa liberum arbitrium. L. 12. N. 83.
Libertas indifferentiæ. L. 12. N. 83.
Librorum ſacrorum brevis ſynopſis. L. 12. N. 47.
Librorum Sacrorum tres claſſes. L. 12. N. 48.
Libri Authographi tam veteris quam novi Teſtamenti qua lingua ſcripti fuerint. L. 12. N. 50.
Libri varii Pœnitentiales variorum auctorum. L. 12. N. 64.
Litburgia S. Jacobi. L. 12. N. 120.
Lombardi (Petri) Opus ſententiarum, ejusque elogium. L. 12. N. 132.
Lombardi opera in Academia Pariſienſi Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus inſtituti fuerunt. L. 12. N. 25.
Lumen gloriæ quid ſit. L. 12. N. 81.
Lutheri lamenta contra Theologiam. L. 12. N. 7.
Ejusdem contra Traditiones Philippica. L. 12. N. 27.

Luthe-

Lutheri imago & indoles. L. 12. N. 115.
Ejusdem doctrina & hæreſis. L. 12. N. 115.
Damnatur a Leone X. L. 12. N. 115.
Lutheri Pathmos. L. 12. N 115.
Lutheranæ ſectæ propagatores: Melanchton, Carolſtadius, Bucerus &c. L. 12. N. 115.

M.

Marcellini Pontificis lapſus in idololatriam probabilius commentum eſſe oſtenditur. L. 12. N. 120.
Marciani Imperatoris lex circa Conciliorum decreta. L. 12. N. 33.
Medina (Bartholomæus) & Dominicus Soto fere primi doctrinam probabilismi excoluerunt, quos ſecuti ſunt plurimi & præcipui Thomiſtarum aliorumque. L. 12. N. 130.
Meyer (Levini) S. J. Hiſtoria de Auxiliis gratiæ. L. 12. N. 126.
Michael Palæologus Imp. comparet in Concilio Florentino in cauſa Græcorum. L. 12. N. 113.
Molinæ (Ludovici) S. J. liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii. L. 12. N. 122.
Editio libri ab Inquiſitione Luſitanica comprobata. L. 12. N. 124.
Molinæ doctrina accuſatur apud Inquiſitionem

nem Hiſpanicam, ſed abſolvitur & ad-
probatur. L. 12. N. 124.
Eidem adhærent multi Ordines Religioſi & Academiæ. L. 12. N. 124.
Molinæ ac Societatis doctrinæ lis intentatur Romæ apud Pontificem Clementem VIII. L. 12. N. 125.
Congregationes & diſputationes coram Pontifice de Auxiliis gratiæ. L. 12. N. 125.
Exitus totius cauſæ. L. 12. N. 126.
Monothelitarum hæreſis, ejusque hiſtoria. L. 12. N. 111.
Ecthesis Heraclii Imperatoris L. 12. N. 111.
Montaltii literæ Provinciales Pariſiis combuſtæ, Romæ condemnatæ. L. 12. N. 128.
Moſes præ reliquis Theologiam profeſſus eſt, teſte S. Scriptura. L. 12. N. 18.

N.

Naturæ triplex ſtatus : puræ, integræ, ac lapſæ. L. 12. N. 88.
Neſtorii effigies : ejus hæreſis & errores. L. 12. N. 109.

O.

Odium inſigne hæreticorum adverſus Theologiam. L. 12. N. 7.

Opi-

Opinio: an teneamur ſequi probabiliorem, aut tutiorem partem. L. 12. N. 83.
Exponitur ſententia benigna. L. 12. N. 83.

P.

Paradigma de verborum & ſententiarum S. Scripturæ methodica ſeu ſcholaſtica expoſitione. L. 12. N. 55.
Paradigma de rerum & factorum S. Scripturæ methodica ſeu ſcholaſtica expoſitione. L. 12. N. 57.
Paræneſis ad hæreticos noſtri temporis. L. 12. N. 28.
Patres Eccleſiæ tum Græcæ tum Latinæ, qui Theologiam libris ſuis illuſtrarunt. L. 12. N. 13.
Patres & Theologi, qui contra hæreſes ſcripſerunt. L. 12. N. 23.
Patrum Antiquorum veneratio maxima ſemper viguit in Eccleſia. L. 12. N. 38.
Patres Eccleſiæ quinam dicantur: quanta ſit auctoritas eorum circa doctrinam fidei & morum. L. 12. N. 39.
Patrum doctrina unanimi conſenſu aſſerta eſt certa & erroris expers. L. 12. N. 40.
Patres, qui contra Arianam hæreſin ſcripſerunt. L. 12. N. 106.
Patrum encomia de jucunditate ac utilitate Theologiæ. L. 12. N. 135.

Patrum varia opinio de parvulis ſine baptiſmo mortuis. L. 12. N. 86.
Paulli Apoſtoli in Areopago diſputantis inſigne exemplum. L. 12. N. 45.
Paullus V. proſequitur cauſam de Auxiliis gratiæ a Clemente VIII. incboatam. L. 12. N. 126.
Abſoluto examine utrique parti libertas conceditur ad ſententiam ſuam tenendam ac propugnandam. L. 12. N. 126.
Peccati diviſio in actuale, habituale, & originale. L. 12. N. 85.
Peccati malitia formalis in quo conſiſtat. L. 12. N. 85.
Peccatum an ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ. L. 12. N. 85.
Peccatum originale, & hæreſes circa illud. L. 12. N. 86.
Pelagii imago, doctrina, & errores. L. 12. N. 107.
Ejusdem in doctrina inconſtantia & fraudes. L. 12. N. 107.
Pelagianæ hæreſis ſynopſis e S. Auguſtino. L. 12. N. 107.
Concilia habita contra Pelagianos. L. 12. N. 107.
Perſecutiones Eccleſiæ a tyrannis excitatæ, a Nerone &c. L. 12. N. 60.
S. Petrus fuit conſtitutus a Chriſto Paſtor Univerſalis Eccleſiæ. L. 12. N. 35.

Petrus

Petrus in docendo Eccleſiam errare non potuit. L. 12. N. 35.

Oratio Chriſti efficax pro Petro, ne deficiat in fide. L. 12. N. 35.

Petri Succeſſores legitimi errare non poſſunt in doctrina fidei & morum, quod e ſcriptura, Patribus & Conciliis oſtenditur. L. 12. N. 36.

Petavii Theologiæ Dogmaticæ encomium. L. 12. N. 134.

Phariſæorum veſtitus. L. 12. N. 20.

Philoſophorum, præſertim Platonicorum, argutiæ & ſophismata Eccleſiæ nociva. L. 12. N. 42.

Platonis doctrinæ multi Patrum adhæſerunt. L. 12. N. 16.

Plato doctrinam ſuam e S. Literis depromſiſſe viſus eſt. L. 12. N. 16.

Plazza (Benedictus) S. J. egregium opus edidit, cui titulus : Cauſa Immaculatæ Conceptionis. L. 12. N. 121.

Polygottæ ſeu editiones S. Scripturæ in variis linguis : Complutenſis, Antverpienſis, Pariſienſis. L. 12. N. 50.

Pontificem in ferendo de fide & moribus judicio infallibilem eſſe oſtenditur. L. 12. N. 35.

Pontifex conſiderari poteſt ut Doctor privatus, & ut Rector publicus. L. 12. N. 35.

Liberius Papa deceptus ab Arianis. L. 12. N. 106.

Libertas ſentiendi in Theologicis, certos tamen intra limites. L. 12. N. 10.

Liberum arbitrium quid rei ſit. L. 12. N. 83.

Hæreſes circa liberum arbitrium. L. 12. N. 83.

Libertas indifferentiæ. L. 12. N. 83.

Librorum ſacrorum brevis ſynopſis. L. 12. N. 47.

Librorum Sacrorum tres claſſes. L. 12. N. 48.

Libri Authographi tam veteris quam novi Teſtamenti qua lingua ſcripti fuerint. L. 12. N. 50.

Libri varii Pœnitentiales variorum auctorum. L. 12. N. 64.

Lithurgia S. Jacobi. L. 12. N. 120.

Lombardi (Petri) Opus ſententiarum, ejusque elogium. L. 12. N. 132.

Lombardi opera in Academia Pariſienſi Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus inſtituti fuerunt. L. 12. N. 25.

Lumen gloriæ quid ſit. L. 12. N. 81.

Lutheri lamenta contra Theologiam. L. 12. N. 7.

Ejusdem contra Traditiones Philippica. L. 12. N. 27.

Luthe-

Lutheri imago & indoles. L. 12. N. 115.
Ejusdem doctrina & hæreſis. L. 12. N. 115.
Damnatur a Leone X. L. 12. N. 115.
Lutheri Pathmos. L. 12. N. 115.
Lutheranæ ſectæ propagatores: Melanchton, Carolſtadius, Bucerus &c. L. 12. N. 115.

M.

Marcellini Pontificis lapſus in idololatriam probabilius commentum eſſe oſtenditur. L. 12. N. 120.
Marciani Imperatoris lex circa Conciliorum decreta. L. 12. N. 33.
Medina (Bartholomæus) & Dominicus Soto fere primi doctrinam probabilismi excoluerunt, quos ſecuti ſunt plurimi & præcipui Thomiſtarum aliorumque. L. 12. N. 130.
Meyer (Levini) S. J. Hiſtoria de Auxiliis gratiæ. L. 12. N. 126.
Michael Palæologus Imp. comparet in Concilio Florentino in cauſa Græcorum. L. 12. N. 113.
Molinæ (Ludovici) S. J. liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii. L. 12. N. 122.
Editio libri ab Inquiſitione Luſitanica comprobata. L. 12. N. 124.
Molinæ doctrina accuſatur apud Inquiſitionem

Patrum varia opinio de parvulis ſine baptiſmo mortuis. L. 12. N. 86.
Paulli Apoſtoli in Areopago diſputantis inſigne exemplum. L. 12. N. 45.
Paullus V. proſequitur cauſam de Auxiliis gratiæ a Clemente VIII. incboatam. L. 12. N. 126.
Abſoluto examine utrique parti libertas conceditur ad ſententiam ſuam tenendam ac propugnandam. L. 12. N. 126.
Peccati diviſio in actuale, habituale, & originale. L. 12. N. 85.
Peccati malitia formalis in quo conſiſtat. L. 12. N. 85.
Peccatum an ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ. L. 12. N. 85.
Peccatum originale, & hæreſes circa illud. L. 12. N. 86.
Pelagii imago, doctrina, & errores. L. 12. N. 107.
Ejusdem in doctrina inconſtantia & fraudes. L. 12. N. 107.
Pelagianæ hæreſis ſynopſis e S. Auguſtino. L. 12. N. 107.
Concilia habita contra Pelagianos. L. 12. N. 107.
Perſecutiones Eccleſiæ a tyrannis excitatæ, a Nerone &c. L. 12. N. 60.
S. Petrus fuit conſtitutus a Chriſto Paſtor Univerſalis Eccleſiæ. L. 12. N. 35.

Petrus

Petrus in docendo Eccleſiam errare non potuit. L. 12. N. 35.
Oratio Chriſti efficax pro Petro, ne deficiat in fide. L. 12. N. 35.
Petri Succeſſores legitimi errare non poſſunt in doctrina fidei & morum, quod e ſcriptura, Patribus & Conciliis oſtenditur. L. 12. N. 36.
Petavii Theologiæ Dogmaticæ encomium. L. 12. N. 134.
Phariſæorum veſtitus. L. 12. N. 20.
Philoſophorum, præſertim Platonicorum, argutiæ & ſophiſmata Eccleſiæ nociva. L. 12. N. 42.
Platonis doctrinæ multi Patrum adhæſerunt. L. 12. N. 16.
Plato doctrinam ſuam e S. Literis depromſiſſe viſus eſt. L. 12. N. 16.
Plazza (Benedictus) S. J. egregium opus edidit, cui titulus: Cauſa Immaculatæ Conceptionis. L. 12. N. 121.
Polygottæ ſeu editiones S. Scripturæ in variis linguis: Complutenſis, Antverpienſis, Pariſienſis. L. 12. N. 50.
Pontificem in ferendo de fide & moribus judicio infallibilem eſſe oſtenditur. L. 12. N. 35.
Pontifex conſiderari poteſt ut Doctor privatus, & ut Rector publicus. L. 12. N. 35.

Pontifex quando e cathedra loqui cenſeatur. L. 12. N. 35.
Pontificis infallibilitas etiam extra Concilium. L. 12. N. 37.
Præſcriptio, & requiſita ad illam. L. 12. N. 98.
Principes Viri, qui armis & conſiliis ſe oppoſuerunt ſectæ Lutheranæ ac Calvinianæ. L. 12. N. 117.
Probabilismus: controverſiæ hujus origo: eam fere primi Janſeniſtæ ſuſcitarunt. L. 12. N. 128.
Nunquam fuiſſe damnatum oſtenditur. L. 12. N. 127.
Gravia in illum convitia quorundam. L. 12. N. 129.
Probabiliſmi doctrina non eſt propria Societati, in qua varii contrariam ſententiam docuerunt. L. 12. N. 130.
Male exoneratur invidia ab adverſariis in Jeſuitas. L. 12. N. 130.
Probabilem opinionem quando liceat ſequi. L. 12. N. 131.
Detegitur latens tutiorismus. L. 12. N. 131.
Prophetæ theologiam profeſſi ſunt, habueruntque diſcipulos, quos Scriptura Prophetarum filios nominat. L. 12. N. 19.
Propoſitionum variæ cenſuræ ab Eccleſia uſitatæ: Quid propoſitio hæretica, erronea,

nea, ſuſpecta, temeraria, piarum aurium offenſiva &c. L. 12. N. 9.

Proſperi elogium de Sede Romana. L. 12. N. 37.

Providentia, qua Deus ſemper de viris vita & doctrina conſpicuis Eccleſiæ proſpicit. L. 12. N. 38.

Pulcheriæ Auguſtae Virginis ope honor B. V. defenſus. L. 12. N. 109.

Q.

Querela hæreticorum falſa, quod tantam auctoritatem tribuamus Conciliis, quantam S. Scripturæ. L. 12. N. 33.

Querelæ hominum profanorum adverſus Theologiam. L. 12. N. 135.

Querelæ inanes Grammaticorum adverſus Theologiam. L. 12. N. 136.

An ſermo cultus, vel neglectus ſit adhibendus in Theologia: variæ Patrum ſententiæ conciliantur. L. 12. N. 136.

Querelæ ineptæ Criticorum & Novatorum adverſus Theologiam. L. 12. N. 137.

Queſnelli Novum Teſtamentum damnatur a Clemente XI. per Bullam Unigenitus. L. 12. N. 119.

R.

Rationis vis & poteſtas in rebus theologicis. L. 12. N. 41.

Rationis & Auctoritatis divortium male fit in theologia. L. 12. N. 41.
Rationis & Ratiocinationis uſum fuiſſe in theologicis oſtenditur per ſingula eunda ſecula. L. 12. N. 43.
Rationis abuſum duntaxat damnarunt Patres in theologico foro. L. 12. N. 45.
absque Ratiocinatione multa fidei dogmata explicari nequeunt. L. 12. N. 45.
Regulæ de diſcernenda doctrina mere Theologica L. 12. N. 4.
Regulæ tres ad ſanam doctrinam in Theologicis tradendam. L. 12. N. 10.
Regulæ ad diſcernendas Traditiones. L. 12. N. 28.
Regulæ, quibus dignoſcuntur decreta Conciliorum circa res fidei & morum. L. 12. N. 33.
Regulæ ad S. Scripturam cum fructu legendam. L. 12. N. 51.
Reſtitutio furto ablatorum: reſtitutio fructuum exſtantium: an detur obligatio reſtituendi ante ſententiam judicis. L. 12. N. 99.
Reſurrectio corporum. L. 12. N. 81.
Revelationes novæ an dentur poſt Evangelicam legem. L. 12. N. 92.

S.

Sacramenti definitio & natura. L. 12. N. 100.

Sacra-

Sacramenta Veteris & Novi Teſtamenti. L. 12. N. 100.
Hæreſes circa Sacramenta. L. 12. N. 100.
Sacramenta quomodo cauſſent gratiam. L. 12. N. 100.
Diſcrimen inter Sacramenta. L. 12. N. 101.
Sacramentorum Miniſter, ejus officium, & intentio requiſita. L. 12. N. 101.
Sacramentum Pœnitentiæ: ejus partes. L. 12. N. 102.
Quando fuerit inſtitutum. L. 12. N. 102.
An merita poſt pœnitentiam, & peccata poſt lapſum reviviſcant. L. 12. N. 102.
Sacramentum Evchariſtiæ: ejus partes: quomodo corpus & ſanguis Chriſti ponantur in Evchariſtia. L. 12. N. 103.
Sanhedrin, ſeu Synedrium, Concilium Judæorum. L. 12. N. 33.
Scholæ tres Theologicæ, quibus Heber, Melchiſedech, & Abraham præfuerunt. L. 12. N. 18.
Scholæ Prophetarum in Naioth Ramathæ, in Bethel, Hierichunti, in Silo, in Galgalis. L. 12. N. 18.
Schola Theologica celebris Alexandriæ condita: ejusque Profeſſores inſignes. L. 12. N. 23.
Schola Theologica erecta Cæſareæ. L. 12. N. 23.

Scientia media eruta e SS. Literis, & ſtabilita in ſcholis. L. 12. N. 122.
Scripturæ Sacræ auctoritas divina eſt: admittit tamen in conſortium auctoritatem Eccleſiæ. L. 12. N. 26.
Tria oportet diſtinguere in S. Scriptura: res, verba, & ſtilum. L. 12. N. 26.
Scripturæ Sacræ an ſingula verba ſint a Deo dictata, vel aliqua ſolum aſſiſtente ac dirigente Deo conſcripta. L. 12. N. 26.
Scriputræ Sacræ ſenſus: ſpiritualis, tropologicus, allegoricus, & anagogicus. L. 12. N. 26. & 49.
Stilus varius librorum S. Scripturæ. L. 12. N. 26.
De argumentis e ſenſu literali & myſtico depromptis. L. 12. N. 26.
Scripturam Sacram exiſtere oſtenditur contra Libertinos. L. 12. N. 47.
Scripturæ Sacræ libros aliquos ſemper impugnarunt hæretici. L. 12. N. 48.
Scripturam Sacram interpretandi ſuprema poteſtas eſt penes Eccleſiam, quæ utitur opera SS. Patrum. L. 12. N. 49.
Scripturam Sacram quinam Patrum præ reliquis optime expoſuerint. L. 12. N. 49.
Scriptura Sacra paſſim tribuit Deo adfectiones humanas; in quo ſenſu? L. 12. N. 53.
Scripturæ Sacræ contradictiones apparentes &c. conciliantur cum veritate. L. 12. N. 54

Scriptores Sacrorum Librorum ordine recenſentur ſinguli. L. 12. N. 46.

Scriptores, qui commentati ſunt in S. Scripturam, enumerantur triplici claſſe. L. 12. L. 59.

Scriptores celebriores de Theologia Polemica, tum antiquioris, tum recentioris ævi. L. 12. N. 63. & 117.

Scriptores, qui Canones Pœnitentiales, & Summam Caſuum Conſcientiæ ediderunt. L. 12. N. 64.

Scriptores recentiores de Theologia Morali. L. 12. N. 68.

Scriptores Antiquiores & Recentiores, qui Theologiam Scholaſticam vel univerſam, vel magnam illius partem in lucem dederunt. L. 12. N. 104.

Sectæ Judæorum: Phariſæi, Sadducæi, Eſſeni, Herodiani. L. 12. N. 20.

Variæ harum doctrinæ circa providentiam Dei, immortalitatem animæ, anaſtaſin corporum, legum obſervationem &c. L. 12. N. 20.

Sedis Apoſtolicæ auctoritas. L. 12. N. 34.

Semipelagiani ſeu Maſſilienſes: origo hujus hæreſis: varii eorum errores. L. 12. N. 108.

Hæreſis hujus domitores Auguſtinus & Proſper. L. 12. N. 108.

Semipelagianorum fraudibus olim multi viri docti fuerunt decepti: nunc alii mala fide

Theologia eſt revelationum & veritatum ſupernaturalium cuſtos. L. 12. N. 6.
Eſt neceſſaria ad gignendam, nutriendam, & defendendam fidem, quod exemplis illuſtratur. L. 12. N. 6.
Eſt neceſſaria toti Eccleſiæ, quamvis non ſingulis membris. L. 12. N. 6.
Theologiæ utilitas. L. 12. N. 7.
Theologia vetus, & recentior. L. 12. N. 7.
Theologi deo providente nunquam defuerunt nec in lege naturæ, nec in Moſaica, nec in lege gratiæ, L. 12. N. 7.
Theologiæ multiplex diviſio. L. 12. N. 11.
Theologiæ multiplicis breviſſima ſynopſis. L. 12. N. 12.
Theologia tum naturalis tum ſupernaturalis Adamo fuit infuſa a Deo. L. 12. N. 13.
Theologia propagata per poſteros Adami, Sethum, Enochum, & Noemum. L. 12. N. 13.
Theologia per idololatriam vix non extincta ab Abrahamo, & Moſe reſuſcitatur in populo Dei. L. 12. N. 13.
Theologiam Chriſtus Dominus verbo & exemplo docuit, & per Apoſtolos late diffudit. L. 12. N. 13.
Theologia per Petrum Lombardum, & D. Thomam in methodum certam redacta fuit. L. 12. N. 13.
Theologia naturalis mundo naſcenti coæva: triplex

triplex illius claſſis: Poetica, Phyſica & politica. L. 12. N. 14. 15. & 16.

Theologia ſupernaturalis. L. 12. N. 17.

Profana in poſteris Cain, ſeu filiis hominum, ſacra in poſteris Seth, ſeu filiis Dei. L. 12. N. 17.

Theologia in Noemo & poſteris ſervata. L. 12. N. 17.

Latius dominari cœpit ſub Abrahamo & Moſe. L. 12. N. 18.

Theologiæ incrementum conſtitutis Scribis, & Legisperitis apud Judæos. L. 12. N. 19.

Theologiæ ſupernaturalis Auctor & Conditor Chriſtus. L. 12. N. 21.

Theologiæ Scholaſticæ methodus introducta in Oriente & Occidente. L. 12. N. 24.

Theologia quando ad ſummum apicem pervenerit. L. 12. N. 25.

Theologi celebriores. L. 12. N. 25.

Theologiæ duæ columnæ ac baſes: auctoritas & ratio. L. 12. N. 26.

Theologia poſitiva ſolis fidei principiis innititur. L. 12. N. 46.

Cura Concilii Tridentini de Theologia poſitiva publicis in ſcholis tradenda. L. 12. N. 46.

Theologiæ poſitivæ diviſio in Oeconomicam, Canonicam ſeu Præceptivam, & Methodicam. L. 12. N. 46.

Theo-

Theologia Polemica: materiæ, quae in ea tractantur. L. 12. N. 61. & *ſeqq.*
Theologiæ Moralis origo. L. 12. N. 64.
Doctrina morum, & conſcientiarum regimen penes quos fuerit, & ſit. L. 12. N. 64.
Theologia moralis: materiae, quae in ea tractantur. L. 12. N. 65.
Theologiæ Scholaſticæ origo & nomen. L. 12. N. 69.
Theologia Scholaſtica eſt vere Theologia Evangelica: Materiae, quae in illa tractantur. L. 12. N. 70. & *ſeqq.*
Theologia hiſtorica, ſeu Controverſiæ celebriores Theologorum partim cum hæreticis, partim inter ſe ipſos. L. 12. N. 105. & *ſeqq.*
Theologia Dogmatica: Diſſertatio in utramque partem. L. 12. N. 133.
Theologia Scholaſtica & Dogmatica inter ſe conciliantur. L. 12. N. 134.
Theologiæ neglectus in Eccleſiaſticis reprehenditur. L. 12. N. 137.
Theodoſius Imp. favet Neſtorianis. L. 12. N. 109.
D. Thomas Theologiam ad ſupremum dignitatis gradum extulit. L. 12. N. 25.
Traditionis auctoritas in Eccleſia. L. 12. N. 27.
Traditiones negare omnium fere hæreticorum mos fuit. L. 12. N. 27.

Tra-

Traditionis definitio, & diviſio, in Divinam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam. L. 12. N. 27.
Eccleſiaſtica dividitur in univerſalem & ſingularem: in perpetuam, temporariam, & neceſſariam. L. 12. N. 27.
Traditiones fuerunt obſervatae tum in lege naturae, tum in lege ſcripta, tum in lege gratiae. L. 12. N. 27.
Transſubſtantiatio, in quo conſiſtat. L. 12. N. 103.
Trenodia S. Andreae Cretenſis. L. 12. N. 120.
Trinitas, & haereſes circa illam exortae. L. 12. N. 73.
Perſonae divinae: earum diſtinctio: Proceſſiones, Relationes, ac Notiones. L. 12. N. 74.
Typicus S. Sabae. L. 12. N. 120.

V.

Verba haec: Sancta Maria, Mater Dei, *addita ſalutationi Angelicae in Concilio Epheſino contra Neſtorianos.* L. 12. N. 109.
Viri praeſtantes, qui Lutheranae ac Calvinianae haereſi ſe oppoſuerunt. L. 12. N. 117.
Virtus Theologica quid ſit. L. 12. N. 92.
Viſio Dei an alicui in hac vita mortali obtigerit. L. 12. N. 81.
ad Viſionem Dei an ſtatim poſt mortem animae juſtorum admittantur. L. 12. N. 81.

Viſio

Viſio beatifica an ſit in omnibus æqualis. L. 12. N. 81.
Unio hypoſtatica, & communicatio idiomatum. L. 12. N. 77.
Voluntarium & liberum. L. 12. N. 82.
Uſura, ubi de mutuo. L. 12. N. 99.
Vulgata editio S. Scripturæ ſola eſt authentica. L. 12. N. 50.

W.

Wendrochii calumniae adverſus probabiliſmum, & doctrinam moralem Jeſuiticam. L. 12. N. 128.
Wicleffus, ejusque prava dogmata in Anglia. L. 12. N. 114.
Damnatur in Concilio Conſtantienſi; ejus cadaver combuſtum. L. 12. N. 114.
Wilhelmus Cantuarienſis Epiſcopus Wicleffo ſtrenue ſe opponit. L. 12. N. 114.
Wittenbergenſium petulans facinus circa libros Theologicos. L. 12. N. 7.

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM
AC ERUDITIONIS
STUDIOSORUM USUI
INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS
ACCOMMODATUM.

TOMULUS X.

DE ARTE CRITICA ET DE RE
ANTIQUARIA HEBRÆORUM.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
*MD*CCLXII.

re. Inde nata eſt Critica, quæ verſatur circa dicta & facta. Oſtenditur Criticam eſſe veram artem.

II.

Cauſa duplex artem Criticam inſtituendi: quorumdam Scriptorum inſcitia, aliorum temeritas. Finis duplex, ſcilicet quædam emendare, quædam vero illuſtrare. Critici munus proprium.

§. II.

Materia & Forma Critices.

III.

Materia Critices ampliſſima eſt: artes & ſcientias omnes ingreditur: Grammaticam, Poeſin, Rhetoricam, Hiſtoriam, Philoſophiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Theologiam, &c.

IV.

EPITOME
LIBRI XIII.
DE
ARTE CRITICA.

CAPUT I.
NATURA ET INDOLES CRITICÆ.

§. I.
Cauſſa & finis hujus artis.

I.

Origo artium & ſcientiarum e judicio præſtantium virorum: hoc autem oportet certis legibus circumſcribe-

CAPUT II.

HISTORIA CRITICÆ.

§. I.

Critica circa artes liberales, & literas manſuetiores.

VI.

Critica quædam, ſeu recte judicandi facultas omni tempore, & apud omnes nationes in uſu fuit. Primi fuerunt apud Veteres Grammatici, qui hanc artem exercebant. Inventionem hujus artis aliqui tribuunt Ariſtoteli. Poſt hunc multi celebres Critici fuerunt apud Græcos & Romanos.

VII.

Ars Critica inclinante Occidentis Imperio cum reliquis artibus dilapſa eſt. Miſera facies illius temporis tum circa literas, tum circa libros & Codi- ces.

ces. Ignorantia & fraudes Librariorum. Credulitas nimia locum figmentis plurimis præbuit.

VIII.

Critica inſtaurata in literis humanioribus a Viris illuſtribus circa ſeculum XIII. & XIV. Occaſio hujus inſtaurationis duplex: Conſtantinopolis capta, & typographia inventa. Incrementum ſumpſit ſeculo XV. & ſequentibus. Enumerantur præcipui Critici.

§. II.

Critica circa Scientias ſublimiores.

IX.

Naſcente Chriſti Eccleſia Critice fuit penes Patres, qui ſacram quandam Criticam circa Biblia, & fidei morumque doctrinam profeſſi ſunt.

X.

Seculo præcipue XVI. & XVII. maximi Viri prodierunt in Italia, Gallia, Germania, & Belgio, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam ſtudio ſuo Critico plurimum illuſtrarunt.

CAPUT III.

OECONOMIA CRITICÆ ARTIS.

§. I.

Criticæ Studium circa Codices, Manuſcripta, & Artes liberales.

XI.

Quid ſit Oeconomia Critica, explicatur. Errores innumeri Librario-

riorum incuria & inſcitia in Codices, etiam ſacros, & MSSa. irrepſerunt. Multa quoque opera ſuppoſititia circumferebantur. Huic malo medelam adtulit Critice.

XII.

Viciſſitudines artium liberalium in Græcia, in Republica Romana, & in reliqua Europa. Miſera facies Grammaticæ, Poeſeos, Rhetoricæ, ævo medio, Criticorum ſtudium in expurgandis & inſtaurandis his artibus. Nobiliſſimum opus 50. voluminibus conſtans ſub auſpiciis Ludovici XIV. ad uſum Delphini *deſcribitur, cum ejus Commentatoribus. Hiſtoria Gloſſariorum & Dictionariorum medii ævi ac recentioris, inter quæ eminet Calepinum.*

§. II.

§. II.

Criticæ Studium circa Philologiam, & Hiſtoriam ſacram & profanam.

XIII.

Philoſophia Veterum ſimplex & recta. Multa quæ nunc vigent, jam tradiderunt olim Democritus, Epicurus, Philolaus, Archimedes, Ariſtoteles. Corrupta fuit ſubtilitatibus & altercationibus: reſtituta inventis machinis, & factis quam plurimis experimentis. Chronologia quoque & Geographia a Criticis emendata fuit. Res Numaria & Diplomatica exculta: Inſcriptionum antiquarum theſaurus ab iisdem collectus. Grande præſidium Critices ſunt Ephemerides ſapientum, Acta Eruditorum, Monumenta Trevoltienſia, &c.

XIV.

Unde tot errores in hiſtoriam irrepſerint, oſtenditur. Errant tum

qui

qui nimium creduli ſunt, tum qui omnino increduli. Hiſtorici Eccleſiaſtici Antiquiores, & Recentiores; utrorumque characteres, & notæ.

§. III.

Criticæ Studium circa Theologiam & Concilia.

XV.

Theologiæ tres epochæ. Prima, Theologia Patrum: ſecunda, Theologia Scholiaſtarum: tertia Theologia Scholaſticorum. Theologiæ ad hodiernum cultum perductæ multum profuit Critica. Scriptores Theologiæ Dogmaticæ.

XVI.

Plurimum laboravit Critica in editionibus ſinceris, ſimul & ſplendidis Conciliorum qua Generalium qua ſingularium. Traditur notitia harum editionum diverſis temporibus, præſertim

tim noviſſimæ, quam parat Antonius Zatta.

§. IV.

Criticæ Studium circa Martyrum & Sanctorum Acta, nec non Patrum & Scripturæ Codices.

XVII.

Acta Martyrum & Sanctorum non ſolum ab hæreticis, ſed etiam a Catholicis male credulis fuerunt multoties corrupta. Diocletiani juſſu S. Scriptura, Codices & Acta Chriſtianorum combuſta fuerunt. Euſebius utcunque reſtituit hanc cladem: plurimum vero Critica ævi noſtri. Deſcriptio magni Operis Acta Sanctorum *Auctore Bollandò.*

XVIII.

A Criticis Patrum opera fuerunt partim emendata, partim in lucem protrâ-

tracta: de magna & maxima Bibliotheca Patrum. Iidem curarunt accuratas & ſumtuoſas editiones S. Scripturæ. De Bibliis Polyglottis. De Commentariis præclariſſimis in S. Scripturam, præſertim Cornelii a Lapide, & Auguſtini Calmet.

CAPUT IV.

OECONOMIÆ ARTIS CRITICÆ.

CONTINUATIO.

§. I.

Regulæ Criticæ circa illius Principia.

XIX.

Neceſſitas regularum Criticarum oſtenditur. Præter duo Criticæ prin-

principia, auctoritatem & conjecturam, alia duo ſtatuenda ſunt: nempe Traditio & Conſuetudo ſive uſus univerſalis.

XX.

Sequuntur regulæ de Auctorum teſtimonio, de Conjectura: de Traditione, ac Conſuetudine.

§. II.

Regulæ Criticæ circa artes liberales.

XXI.

Regulæ de Manuſcriptis & Antiquitate Codicum: de Grammatica ſeu lingua latina: de Poeſi: de Rhetorica.

§. III.

Regulæ Criticæ circa Philologiam, & Hiſtoriam ſacram & profanam.

XXII.

Regulæ de re numaria: de diplomatica: de Philoſophia: de Hiſtoria ſacra & profana.

§. IV.

Regulæ Criticæ circa Theologiam, Patres, & Concilia.

XXIII.

Regulæ de Theologia diſcenda docendaque: de legendis & intelligendis Patribus: de Conciliis, eorumque Canonibus & Decretis.

§. II.

Damna, quæ parit abuſus Criticæ.

XXVIII.

Primum: abuſus Criticæ Scepticiſmum inducit. Secundum: aufert ſanum judicium. Tertium: avocat a ſtudiis neceſſariis, & officiis Reipublicæ. Quartum famam & charitatem proximi lædit. Quintum: in Religionis negotio turbas excitat.

XXIX.

Damna, quæ libri Critici non pauci, vulgari lingua conſcripti, inferunt juventuti. Artes occultæ ac fraudulentæ horum librorum, & Auctorum.

§. III.

Exempla perverſæ Criticæ.

XXX.

Animadverſiones in Criticos artium liberalium, præcipue Acatholicos. De

Scri-

Epitome Libri XIII.

Scriptoribus Centuriarum Magdeburgenſium.

XXXI.

Aliæ animadverſiones in Criticos Hiſtoricos Catholicos.

XXXII.

Animadverſiones generales in artem Criticam.

APPENDIX.

CRITICA SUPER CRITICAM.

§. I.

Epicriſis Sectaniana.

XXXIII.

Tres Literariæ Reipublicæ Epochæ: in Græcia: in Italia: in Europa tota. Ultima omnium fæcundiſſima & ingeniis, & artibus atque ſcientiis. Ad ſummum apicem nunc evecta literatura habet, cur timeat caſum.

ſum. *L. Sectani Satyræ de ſciolis hujus temporis.*

§. II.

Epicriſis Lipſiana.

XXXIV.

Juſti Lipſii Satyra Menippæa, ſeu ſomnium & luſus in ævi noſtri Criticos. Oratio Ciceronis, Criſpi Saluſtii, & Ovidii, ac querelæ Triboniani & Plinii contra Correctores. Oratio M. Varronis pro Correctoribus: Litis compoſitio: Senatus Conſultum de formula in ferendis judiciis obſervanda.

LIBER XIII.
DE
ARTE CRITICA.

CAPUT I.
NATURA ET INDOLES CRITICÆ.

§. I.
Cauſſa & Finis hujus artis.

I.

Ea eſt judicii, quod auctor naturæ Deus hominibus indidit, vis & præſtantia, ut non ſolum de omnibus ad quæ ipſi acceſſus patet, rectæ rationis ductu ſententiam ferre poſſit, verum etiam cunctarum artium atque ſcientiarum parens eſſe merito dici queat. Ha-

Harum enim origo inde fuit, quod homines judicio ſano pollentes in quavis earum, quid recte aut perperam dictum factumve fuit, diligenter obſervarint, taciteque ſecum intra mentis penetralia primum expenderint; tum vero velut foras egreſſi ex ejusmodi obſervationibus certas leges & ſanctiones condiderint, quibus diſciplinæ cujusvis ratio & ambitus contineretur. Quod quum ita ſit, dubium eſſe non poteſt, artium & ſcientiarum originem, ut dixi, præſtantium Virorum judicio deberi. Ut autem hoc ipſum judicium, unde reliqua pendent, non eſſet vagum, incertum, & fallax, certis & iſtud regulis ac præceptis coercendum eſſe viſum fuit, idque eo amplius, quo facilius ejusdem error innumeros in cæteris errores quaſi funeſtam appendicem fatali quadam neceſſitate poſt ſe tracturus foret. Atque ex his palam fit, recte judicandi (uti bene cogitandi) facultatem eſſe artem aliquam, ut cum Philoſophis loquar, quaſi *reflexam* ſuper reliquas artes atque ſcientias, quam cum Græcis Criticam adpellamus *ἀπὸ τοῦ κρίνειν*, ſeu a judicando. Quapropter maximopere falluntur illi, qui Criticam exiſtimant eſſe velut mare liberum, in quo cui-

cuivis, & quovis navigare, ac commercium exercere nullis limitibus circumſcriptum impune liceat, ac tribunal quoddam omnibus commune, in quo quemlibet in jus vocare, abſolvere, vel condemnare pro arbitrio ſuo conceſſum ſit. Hæc vaga & exlex Critice tantum abeſt, ut artis nomen mereatur, ut potius peſtis & perniciès reipublicæ literariæ merito nuncupanda habendaque ſit, non ſecus ac quam dicunt aliqui, ars furandi. Eſt autem genuina & vera, de qua loquor, Critica facultas ferendi prudens judicium de dictis & factis aliorum: de dictis quidem, id eſt, ſcriptis Auctorum, ut horum ſenſus, ſtilus, ingenium, totaque indoles patefiat: de factis vero hiſtoricis, ſeu profana illa ſint ſeu ſacra, éorumque integritate vel vitio, ut quæ certa, vel ſubleſta, vel nullius fidei ſint, intelligatur. Artem hanc eſſe, & quidem inter liberales liberaliſſimam, nemo facile inficias ibit, qui omnibus, quæ ad artem requiruntur, dotibus inſtructam eſſe curatius expenderit. Habet ſuam definitionem, quam nunc primum expoſui: habet diviſionem in *naturalem* & *artificialem*, in *profanam* & *eccleſiaſticam*, in *literariam* & *hiſtoricam*: habet cauſſas, quas Philoſophi vocant *efficientem*, *fina-*

lem, *materialem*, & *formalem*: habet ſua principia, auctoritatem ſcilicet, conjecturam, & conſuetudinem, e quibus concluſiones ſuas deducit: habet denique regulas, quarum ope dogmata ſua & effata moderatur.

II.

De his ut ordine agatur, artisque hujus nobiliſſimæ natura & indoles clarius perſpiciatur, de cauſſis primo loco diſſerere breviter conſtitui; & quidem ad *Efficientem* quod adtinet, non una ſed multiplex occaſio fuit, quæ Viris doctis neceſſitatem impoſuit ad Critices diſciplinam formandam colendamque. Inprimis barbaries illa, quæ poſt aurea argenteaque ſecula in linguas, ſcripturas, & libros ſenſim ſe immiſcuit, poſt ænea vero & ferrea pleno alveo ſeſe infudit. Succeſſit medio potiſſimum ævo quorundam mala fides, qua turpis lucri gratia paſſim fabulas & commenta pro veris factis atque hiſtoriis ore ac calamo vendiderunt: aliorum vero nimium bona, qua ſine ulteriore indagine, præmiſſoque examine ejusmodi figmenta in ſcripta & libros ſuos tranſtulere: aliquorum etiam temeritas, qui puros fontes infecerunt, & ſinceris narrationibus ſomnia ſua libe-

raliter adſpergentes totam pene fidem abſtulerunt, & poſteritatem quid crederet, quidve inficiaretur, incertam reliquerunt. Demum poſterioribus ſeculis palam graſſari cœpit partim hæreticorum malitia atque perfidia, qui nunc ſacras Scripturas & SS. Patres corrumpere, truncare, in ſenſum alienum detorquere, nunc traditiones antiquiſſimas rejicere, nunc prodigia omnia eliminare, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſusdeque vertere non ſunt veriti: partim male feriatorum quorumdam Catholicorum audacia & inſolentia, qui ut eruditionis famam captarent, & inquieto ingenio ſuo ſatisfacerent, levibus nixi conjecturis probatiſſimos quosque ritus & mores Eccleſiæ, antiqua hiſtoriæ ſacræ monumenta, quæ ſua ſe vetuſtate ſatis hucuſque commendabant, in dubium vocare, aut omnino a poſſeſſione dejicere conati ſunt. Hæc omnia, mala ſane graviſſima, doctis Viris ut dixi, neceſſitatem Critices impoſuere, ut ejus ope tot monſtra profligarent.

Ad cauſſam *finalem* accedo. Honeſtiſſimum certe finem genuina Critica ſibi præfixum habet, eumque geminum. Primus eſt, ut ſi quid detrimenti paſſa eſt

reſpublica literaria tum ſacra tum profana, illud emendet & reſarciat. Hoc liberaliter præſtat abſtergendo fuliginem barbaræ dictionis, expurgando codices ab innumeris mendis, chronologiæ ac geographiæ vindicando temporum locorumque ſeriem, plurimum a ſcriptoribus depravatam, expungendo fabulas & commenta e regno hiſtorico, & authographa ab apocryphis quam diligentiſſime ſecernendo. Fuit enim ager reipublicæ literariæ primis ſeculis velut optimo frumento dives, ſed brevi pene totus loliis & zizaniis oppletus, a quibus immenſo quidem labore, ſed emolumento longe maximo poſtremis hiſce temporibus non niſi ab arte Critica purgandus erat. Alter finis eſt, ut vetuſtatis tenebras diſpellat, & lucem affundat clariſſimam, id quod facit illuſtrando notis obſcura Veterum dicta & ſcripta, ignotos hactenus ſcriptores, eorumque opera inedita e bibliothecarum angulis, in quibus per plura ſecula latebant, eruendo, deſcribendo Auctorum patriam, ingenium, lucubrationes & characteres, antiqua monumenta vel obliterata, vel truncata integritati ſuæ ac priſtino ſplendori reſtituendo, deperditas artes quaſi amiſſas regiones & inſulas detegendo, ſubminiſtrando nobis di-

dilucidas ideas circa tempora, loca, perſonas, facta & opera priſcorum hominum: verbo, incultas literaturæ terras ad ſummam, quam ævo noſtro læti intuemur, fœcunditatem & abundantiam perducendo: ut ſi quid in Veterum ſcriptis torvum, vel ad mores priſcos minus lucidum, aut ævo corruptum deprehendat, commentariis illuſtret: ſi quid ignorantia vel malitia depravatum inveniat, ut in eruditionis & veritatis ſemitam reducat, venerandæ antiquitatis auctoritatem atque doctrinam non evertendo, ſed noſtris potius moribus & ingeniis accomodando. Ut paucis omnia complectar, probi Critici eſt, vetuſtis novitatem dare, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, defunctis vitam, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam ſuam, & naturæ ſuæ omnia.

§. II.

Materia & Forma Critices.

III.

Quid de cauſſa dicam, quam *materialem* vocant? Ea ſane ampliſſima eſt, nec alios, quam ipſe Mundus literarius limites habet. In Grammatica in

orthographiam, & vocum verborumque poteſtatem Critica inquirit, recte ſcribendi ac pronunciandi normam ſtatuit, latinitatem ad auream illam argenteamque ætatem æſtimat & reducit. In Poeſi monſtrat, quantopere primos limpidosque fontes caſtalios infecerit poſteritas luteis limoſisque carminibus, excitare ſtudet æſtrum poeticum, priſcis Vatibus adeo familiare, quod per tot ſecula pene elanguit; flores & uvas antiquorum Poetarum reſectis loliis ac pampinis colligit, & ignavum vulgus ab Helicone tanquam fucos ab alvearibus arcet. In Rhetorica verborum ac figurarum luxuriem, & inflatos periodorum ambitus e medio tollit, ſententiarum & argumentorum vim ac robur demonſtrat, affectus loco, tempori, ac perſonæ aptos, eosque vehementes ciere docet, totamque priſci eloquii majeſtatem explicat. In hiſtoria res geſtas, quæ a Scr ptoribus in medium adferuntur, diligentiſſime examinat, a quibus narrentur, e quo fonte fuerint hauſtæ, quo tempore, quo loco contigerint: an ſcriptores fuerint ſynchroni, an inter ſe conveniant, an quæ factum circumſtant, ſint veroſimilia, &c. e quibus omnibus fert de bona, vel mala, vel dubia fide judicium, figmenta rejicit, & veritati

tati teſtimonium perhibet. In Philoſophia inanes ac jejunas quæſtiones, atque ſubtiles aranearum, quæ in cerebro naſcuntur, telas eliminat, clamores & altercationes de lana caprina proſcribit; contra arcanos naturæ theſauros effodere, occultas vires adhibitis machinis ſcrutari, elementorum aeris maxime ac ignis, & ſiderum mira phœnomena detegere ſatagit, nec non experimentorum ſimul ac ratiocinationum ope (quæ ambo fœdere tam firmo quam neceſſario conjungit) Univerſi hujus ſtructuram & pulchritudinem oſtendit. In arte Medica aphoriſmorum Veterum ſuperſtitione, ac ſectarum plus inter ſe, quam pro civium ſalute pugnantium multitudine ſublata, vaniſque prognoſticis valere juſſis, in morborum cauſſas & mali radices diligentius inquirere, herbarum vires curioſius explorare, & humani corporis partes anatomiæ, reliquorum vero corporum chymiæ auxilio ſtudioſius cognoſcere jubet, utpote in quibus ſobria medendi ars tota conſiſtit. In Jure legum dubiarum ac obſcurarum turbam tumultuantem e tribunalibus foras ejicit, leguleiorum ora compeſcit, litium ambages abſcindit, & juris naturalis præcipue, atque divini principia vera certaque in-

dagat, atque in ſententia ferenda æqui juſtique rationem præ omnibus ante oculos habendam docet. In Theologia ſubtilitatum, & quas vocant *ſpeculationum* nimiarum pertæſa S. Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum dogmata altius rimari, his fidei morumque doctrinam ſuperſtruere, & ex eccleſiaſtica hiſtoria ſeculorum uſu perpetuo ſtabilire contendit. Ut nihil dicam, quas quantasque in re numaria, diplomatica, antiquaria felices progreſſiones hoc ævo fecerit Critica, ut non jam a longe, & quaſi per nebulam intueri venerandam vetuſtatem cogamur, ſed cum priſcis hominibus ſapientiſſimis ac fortiſſimis amicitiam colere, erudite converſari, ac pene inter illos & cum illis vivere videamur.

IV.

Neque cauſſa *Formali* deſtituitur. Formam enim ſanæ probatiſſimæque diſciplinæ eidem tribuunt leges ac regulæ, quibus hæc judicandi facultas circumſcribitur, quasque poſtea ſuo loco palam facere decrevi. Profecto his vel maxime opus habet ars iſta, ne inter tot hominum judicia, quot capita, vel nimis evagetur, vel extra orbitam ſaltet, vel omnino in ſcopulos impacta naufra-

ge-

getur. Opus eſt inquam regulis, quas poſt longum ac indeſeſſum ſtudium, poſt excuſſa omnia rei literariæ ſcrinia, poſt inſignem uberemque notitiam ex optimis auctoribus comparatam peritiſſimi quique præſcribunt, ut aurum a ſcoria, & vitrum a gemmis in quovis diſciplinarum genere diſcerni queat. His inſtructa Critice ſplendidam ſane ac incomparabilis pulchritudinis formam induit, ſeu privatos intra parietes cum amicis ſermo eruditus inferatur, ſeu publico in conſeſſu doctorum Virorum de themate quodam literario pronunciandum ſit.

Mos iſte jam olim apud Veteres in uſu erat, ut ex Ciceronis Oratore, Bruto, & Tuſculanis Quæſtionibus patet: ſed inter paucos tum ſtetit negotium hoc, Viros tamen omni eruditionis genere conſpicuos, quibus an æquiparandi ſint noſtrorum temporum Critici in tanta eorum frequentia, non auſim ſpondere. Antiquis enim illis præſto fuerunt multa, quæ a nobis deſiderantur, ſubſidia. Habebant in manibus, & ante oculos complurium optimorum ſcriptorum opera, quæ nobis temporum injuria ſubtraxit, vel ſolum fragmenta quæ-

dam

tur, vel qui probatiſſimæ fidei ſunt in factis enarrandis, præcipue ſi ſynchroni fuerint, eodem ſcilicet tempore, vel viciniſſimo viventes.

Conjecturas autem adhibere ſolent prima via deficiente, vel certe non ſufficiente, dum ex illorum ſcriptis & ſententiis mentem & ſenſum circa rem quampiam legitime deducunt, aut comparatis inter ſe diverſorum teſtimoniis rem aliter habere ſe non poſſe monſtrant, aut, quum de factis, quæ Veteres tradidere, diſputatur, ea hoc vel illo modo veroſimiliter contigiſſe contendunt, quamvis alio re ipſa contingere potuerint. Hæ duæ ſemitæ ſunt, queis in vaſtiſſimo hoc ſtudio incedunt Critici ad veritatem ſeu demonſtrandam ſeu eruendam; quamvis fateri oporteat, primam eſſe tutiorem, periculoſiorem alteram, neutram omnino certam. *Bivium enim*, inquit Juſtus Lipſius, (a) *ad corrigendum libri & conjectura: prima vix ſatis certa & tuta, lubrica altera.* Nam quæ ſcribunt Auctores, non ſemper veritati conſonant, (quis enim vadem ſe conſtituet, quod nunquam fallantur) nec conjecturæ, quæ a veris etiam certiſque teſtimoniis prodeunt,

(a) *In Satyr. Menipp.*

deunt, vel eruuntur, extra dubitationis & falſitatis aleam poſitæ ſunt. Quare utrumque hoc principium, ut eo minus a via veritatis aberret, regulis probe muniendum cenſuerunt præſtantiſſimi quique hac in arte Magiſtri, in quibus obſervandis, ac rite adhibendis magna ſane artis hujus pars conſiſtit.

Porro ſicuti duo ſunt Criticæ principia, ita etiam duæ ſunt illius dotes, nimirum ea, quæ naturæ beneficio, & illa, quæ artis ope comparatur. Natura artem præveniat neceſſe eſt, tribuendo memoriam fideliſſimam eorum, quæ lecta ſunt, (debet autem lectio eſſe multiplex & aſſidua) eorum inquam quæ lecta fuerunt, cuſtodem: tum quoque ſubtilem mentis aciem, quæ ad intima artium ac ſcientiarum adyta facile ac celeriter penetrare valeat, atque diſcernere inter merces probas & vitioſas: denique judicium præſtans & corrumpi neſcium, quod in ferenda ſententia ſepoſitis quibuscunque opinionibus præjudicatis, aut ſiniſtris animi adfectionibus nonniſi rectæ ſanæque rationis ductum ubique ſequatur. Hæc quaſi tributum ſunt, quod natura pendere debet Reginæ artium Criticæ, ſine quo nulli in hoc regno civi eſſe licet.

Sed

Sed artificium quoque ad naturam acce-dat oportet, quod ſit ſtatuendo certas leges, quibus criterium, quod vocant, inſtruatur, expoliatur, & ad juſti perfe-ctique judicii culmen perducatur. Con-tingit enim hoc in negotio, quod paſſim in aliis fieri videmus. Eſt qui ædificium egregie ſtructum intuens de illius pul-chritudine ac magnificentia ſine ullo ve-ritatis diſpendio pronunciat, naturæ dun-taxat magiſterio imbutus, etſi archite-cturæ leges, & elegantis fabricæ notas ignoret: verum alius Architectonicæ pe-ritus præter naturam artem quoque in conſilium vocat, idem ædificium æſtimat, commendatque ob partium ſymmetriam, proportionem, ſoliditatem, ordinem, aliaſ-que dotes ædificio proprias. Ita ſunt multi, qui ſermonis vel voluminis ele-gantiam tacito quodam animi ſenſu per-cipiunt, ſed e quo fonte iſta oriatur, ex-plicare nequeunt, dum Criticus e ſuis illam regulis metitur, juſtamque de illa ſententiam profert. Cavendum tamen ſemper, ut judicium hoc ſuum intra li-mites ſobrietatis contineat, ne quum in aliorum opera criſin inclementem exer-cere ſatagit, ipſe ſeveriorem experiundi periculo ſeſe exponat, a quo vix quiſ-quam inſignium etiam Criticorum im-

mu-

muni s eſſe ſolet, dicente Tullio, (b) *Sapientum judicium aut reprehenſionem vitare nullo modo poteſt, niſi qui nihil omnino ſcribit.*

CAPUT II.

HISTORIA CRITICÆ.

§. I.

Critica circa artes liberales, & literas manſuetiores.

VI.

Criticæ natales vetuſtiſſimos eſſe, eamque primis hominibus veluti congenitam fuiſſe negare vix poſſumus, ſi non maximo naturæ dono, ſcilicet recte judicandi facultate, contra fas omne illos ſpoliare velimus: eratque hæc ipſis eo magis neceſſaria, quo magis recentes hi mundi habitatores tot rerum, operumque mirabilium, quæ ſupra, circum, & infra ſe ſtupentes intuebantur, notitiam

(b) *Lib. 2. Tuſcul. Quæſt.*

tiam & cognitionem haud aliter quam ratiocinando, comparando, judicandoque conſequi potuiſſe videantur, & libris, & cathedris, & regulis ac methodo certa deſtituti. Neque ingenitas tot tantarumque rerum ideas tanquam patrimonium in lucem ſecum adtuliſſe, aut a Deo revelatas accepiſſe illas credendum eſt, ſed uti panem ſudore vultus ſui, ita artes & ſcientias labore ingenii atque judicii comparare ſibi debebant, dicente Eccleſiaſte de filiis hominum: (c) *Deus mundum tradidit diſputationibus eorum.* Certe nulla ætas, nulla natio fuit expers omnis Criticæ, ita ut non immerito nobilis Scriptor quidam pronunciare non dubitaverit: *Ingenium Criticum omnium ſeculorum & populorum ingenium eſſe.* Verum nimis late patentes ſunt hi natales & fines Criticæ: anguſtior eſt, quam quærimus origo. Primi igitur quod ſcimus, Grammatici fuerunt, qui apud Veteres Criticorum munus obibant, & quaſi publica poteſtate illud exercebant. Nam hi, ut apud Quinctilianum legimus, ampla magnaque eruditione per omnia ſcriptorum genera verſati, non dicta ſolum, ſed etiam integros libros cenſebant: eſſentne, cujus inſcriberentur Au-

(c) *Cap.* 3. *v.* 11.

Auctoris: aut ſi ejus non eſſent, ex phraſi & filo orationis, ex differendi ratione in parentem literariæ prolis inquiſivere, ac cuinam tribuendus eſſet hic vel ille ingenii partus, magna cum cura, majoreque fide definiebant, quos propterea adpellabant *Grammaticos accuratiores*, ἀκριβεςέρυς γραμματικὺς. Primum quidem Poeſeos operibus ad examen vocandis, vel commentario aliquo illuſtrandis operam navabant, quemadmodum Ariſtarchus & Ariſtophanes, qui tantum ſibi poteſtatis in hoc genere arrogabant, ut & Homeri verſus aliquos emendarent. Ennium quoque celebrat Horatius, utpote a Criticis laudatum & adprobatum: (d)

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt.

Poſtmodum vero ad omnem pene literaturam, ut dixi, Criticæ ſuæ regulam adplicuere, quamvis aliud tantæ artis inſtrumentum non adtulerint, quam limam judicii, aſſidua lectione, profunda meditatione, ac diligenti obſervatione exculti.

(d) *Epiſt. Lib.* 4.

ti. Non deſunt, qui Ariſtotelem magnæ hujus artis parentem fuiſſe produnt, inter quos Dio a patria Pruſæus, ab eloquentia Chryſoſtomus dictus, qui de hoc Philoſopho differens ſcribit: (e) *Ariſtoteles, a quo ajunt Criticam & Grammaticam cœpiſſe.* Et re ipſa ſeveram criticen exercuit in Philoſophos tempore ſuum ævum antegreſſos, quos plerumque merito carpit, in quo laudem meretur; interdum tamen non citra calumniam, in quo apud alios ſcriptores vapulat. Quippe doctrinam, quam adtulerunt illi reconditis ſub metaphoris, in alienam omnino opinionem detorſiſſe arguitur, uti de ideis & motu contra Platonem, de *unitate* entium contra Parmenidem; videlicet, ut populari conſenſu eos premeret. Qua ex re etiam profluxiſſe creditur obſcurum illud dicendi genus hujus Philoſophi, dum timido velut pede in ſuis ſententiis declarandis ingreditur, ne & ipſe a poſterioribus carpi poſſet, reputans ſecum notam parœmiam: *Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.* Licet autem Ariſtoteles forte primus non fuerit, qui criticam exercuit, & ad artis faſtigium promovit, ſatis tamen pro comperto eſt, ejus ævo illam plu-

(e) *Orat. 3. de Homero.*

plurimum & viguiſſe, & magno in pretio habitam fuiſſe. Maximum vero, ſi antiquiora tempora ſpectemus, incrementum cœpit Ciceronis ævo, quo, vel non ita multo poſt, excellentes Critici in theatrum prodierunt. Inter hos erat Ariſtarchus Samoſatenus, qui Alexandriæ degens Pindari, Arati, aliorumque Poetarum opera, quin & Homeri Iliadem & Odyſſeam novem libris cenſuræ ſubjecit, acriori forte quam oportuiſſet. Hinc qui alienis ſcriptis emendandis corrigendisque calamum addicunt, Ariſtarchi vocantur; & in proverbium abiit: *Ariſtarchi obeliſcis jugulare librum*, quod eſt, ſtilo nimium ſevero aliquem cenſere. Erat quoque M. Terentius Varro, quem Romanorum Virum eruditiſſimum Quinctilianus, (f) D. vero Auguſtinus literatorum doctiſſimum adpellat: peritiſſimus fuit linguæ latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum græcarum noſtrarumque, inquit Fabius, plus tamen ſcientiæ collaturus, quam eloquentiæ. Scripſit librum de lingua latina, quem Ciceroni dicavit, item de re ruſtica, & annales celebrium Virorum, Romanarumque Familiarum, tanta eruditionis ubertate ac judicii præſtan-

(f) *Lib.* 10.

ſtantia, ut qui ampliſſimum totius literaturæ patrimonium poſſident, ſeculi ſui ac regionis ſuæ Varrones nuncupentur. Erat non minus Dionyſius Halicarnaſſeus, qui finitis civilibus bellis & Auguſto Jani templum claudente Romam venit, ubi annos viginti duos commoratus ſcripta Hiſtorica, Rhetorica & Critica, atque originum ſive antiquitatum Romanarum viginti libros in lucem dedit. Celebratur tanquam dux cunctorum veteris ævi Criticorum, & poſterioris hac in arte Magiſter. Erat denique, ut minus claros prætercam, alius Dionyſius Caſſius Longinus, Sophiſta ſimul & Criticus inſignis. Hic ſeculo III. inclaruit, ejusque de ſcriptis alienis judicia non aliter ac Principum oracula excipiebantur: reliquit poſteritati velut eruditionis ſuæ pignora *artem rhetoricam*, *opus de ideis*, & *dubitationes Homericas*.

VII.

Ita res agebatur felicibus illis temporibus, ubi & bonarum literarum ingens pretium, & earum ſemper magis excolendarum ſummum ſtudium regnabat. Verum Imperio Occidentis in caſum inclinante etiam ars Critica cum reliquis in pejus ruere cœpit, immo fere tota ex-

extingui. Et quidni? exterarum nationum barbara colluvies, populorum a Septentrione locuſtarum inſtar advolantium incurſiones, diuturna bella, incendia, & rapinæ totam pene rempublicam literariam everterunt. Nam direptis bibliothecis magna librorum inopia, & dilapſis Viris doctis, artiumque Magiſtris grandis ignorantia, ita ut cenſoribus libri, & libris cenſores deeſſent: immo nil niſi armis circum circa ſtrepentibus triſte altumque Muſarum ſilentium ubique regnabat. Nec tam celeri paſſu, quo venerat, tempeſtas hæc tranſiit. Vix ſex & plurium ſeculorum impendio illata literis clades reſarciri potuit. Potiſſima cauſſa fuit, quod vel ſponte ſua Grammatici ſeu Critici ſuo ſe magiſtratu abdicaverint, vel qui ſublimiores ſcientias tunc profeſſi fuerunt, ſuo illos contubernio expulerint, non ſecus ac cornices columbam, ut fabula tradit. Idcirco factum, ut nullo cenſore præſente non ſolum voces, phraſes, & ſenſa inepta, inculta, ſordida & barbara cum bonis artibus ſeſe commiſcerent, verum etiam adulterini fœtus complures in lucem prodirent non ſine graviſſima veterum & clariſſimorum ſcriptorum familiæ illata injuria. Paſſim libri ſuppoſititii

circumferebantur, & adtributa ſunt ſcripta Ariſtoteli, Platoni, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Boetio, Ciceroni, Senecæ, quæ ipſis nunquam ne quidem per ſomnium in mentem venerant. Primo ſtatim ſeculo Chriſtiano plures libros Petri Apoſtoli nomine inſcriptos fuiſſe memorat D. Hieronymus: integra poſtmodum apocryphorum ſilva ſuccrevit, ad quam excidendam plura ſecula poſteriora, & in his ſagaciſſimi quique Critici vix ſuffecerunt. Juvat heic temporum illorum triſtem miſeramque faciem breviter in memoriam revocare. Fuerunt, qui ad conciliandam libro alicui auctoritatem, magni cujusdam ſcriptoris nomen in ejus fronte grandibus literis collocarunt: Alii videntes ſat multos olim libros anonymos in lucem datos fuiſſe latente poſt tabulam Apelle, eos huic vel illi temere adjudicabant, leviſſima quadam conjectura ad id adducti: Nonnulli quibus cura deſcribendi demandata fuit, lecto perperam titulo vel illius, cui liber inſcriptus erat, vel alterius, qui primus menti occurrebat, tanquam Auctoris nomen præfixere. Præterea iniquiſſima erat eo tempore Codicum conditio: quidam caſu aliquo magnam cladem paſſi ſunt, quemadmodum

Ariſtotelis & Theophraſti diu latentes a tineis & blattis exeſi fuerunt reperti; & quod peſſimum, fuerunt autographa, e quibus alios Codices deſcribere neceſſum erat: in aliis pulvere ac ſqualore diuturni carceris non pauca ſunt obſcurata, & literæ vetuſtate exoleverunt; quare in exemplis eorum magni ubique hiatus etiam hodie reperiuntur, vel nonniſi fragmenta ſuperſunt. Majorem adhuc labem intulere Librarii (hominum genus plerumque imperitum) parum ſoliciti, quid & quomodo ſcriberent, plus vero, unde vitam ſuſtentarent. Hinc quidam quando characteres aut voces ipſis ignotæ occurrebant, literas & verba ita confundebant, & ut ajunt, quadrata rotundis miſcebant, ut contextus longa divinatione ſit inveſtigandus: Alii autem & probe ſcripta, quum non intelligerent, ſuo ſenſui ea ineptiſſime accommodabant, & auctorem optimis dotibus energiæ ac gratiæ exſpoliatum reliquere. Hoc erat, de quo jam ſuo tempore conqueſtus eſt Tullius, nimirum græcos, quam latinos libros emendatiores eſſe, quoniam his poſterioribus deſcribendis homines parum linguam latinam docti operam navarent. Acceſſit huic malo aliud non minus, videlicet credulitas hominum etiam ſatis docto-

rum, ut nihil dicam de aliis, qui obviis quibusque fabulis fidem habuerunt: de illa enim credulitate loquor, de qua Cicero (g) inquit, quod ſit *error magis quam culpa*; *& tamen in optimi cujusque mentem facile irrepit.* Igitur iſti, licet acie ingenii non deſtituerentur, ab aliorum tamen ſenſu & judicio diſcedere noluerunt, vel errandi timore perculſi, vel labore ulterioris indaginis abſterriti. Inde factum, ut errores, quos primi tradiderunt, iique graves, maxime in Actis Sanctorum, & Conciliorum, in Hiſtoria ſacra & profana, in Diſciplina & ritibus Eccleſiaſticis, in Operibus SS. Patrum &c. ut inquam errores iſti quaſi jure hæreditario ad poſteros ſint devoluti, & quo latius propagabantur, magis magisque confirmati. Atque hæc mala omnia inde pullularunt, quod periti ſeculis illis Critici deeſſent, qui arte ſua eruditioni ac veritati ſuccurrerent, cum tot mendis, hallucinationibus, & figmentis miſere luctanti

VIII.

Illuxit tandem ſerenior bonis artibus dies ſeculo XIII. & XIV. quibus velut condicta opera complures Viri inſignes ſur-

(g) *In Planco.*

ſurrexerunt, qui collapſum Veterum Grammaticorum ſeu Criticorum tribunal rurſus inſtaurarunt, afflictæque rei literariæ patrocinium ſuſcepere. In humanioribus quidem literis & artibus, quas liberales vocamus, a veteri fermento expurgandis, emendandis, reſtituendis ac illuſtrandis incredibile eſt, quo ſtudio, quave contentione adlaborarint inprimis notiſſimi Italiæ Triumviri Aligerius Durantes, vel ut alii vocant, Dantes, nobiliſſimus ſui temporis Poeta, dignus quem ſera quoque poſteritas carminibus ſuis celebraret: Joannes Bocaccius in Romanis monumentis, in genealogia Deorum, montium, fluviorum, marium, atque in hiſtoria Illuſtrium Virorum ac Mulierum, de quibus omnibus erudite ſcripſit, verſatiſſimus: & Franciſcus Petrarcha, qui operibus ſuis Criticis, quibus omne fere genus literarum complexus eſt, præcedentium ſeculorum tenebras fugavit, denſamque fuliginem abſterſit. Horum elogium exſtat apud Papyrium Maſſonium, qui eorum hiſtoriam exaravit præfixo titulo: *Vitæ trium Hetruriæ Procerum Dantis, Petrarchæ, Bocaccii.* (h) Geminas autem cauſſas ſuſceptæ hoc ſeculo inſtaurationis Criticæ eſt

(h) *Tom. 2. Elog.*

eſt reperire apud Henricum Whartonum, doctum Anglum: (i) Prima erat expugnatio Conſtantinopolis, quæ anno 1453. contigit. Hac enim urbe græcarum principe a Turcis capta, nationis hujus viri literati ac in paucis eruditi patrium ſolum vertentes ex Oriente in Occidentis plagas, præſertim in Italiam commigrarunt, ubi ſubtili criticoque ingenio ſuo magnam inter literarum ſtudioſos æmulationem excitarunt. Ex eo enim tempore non poſtrema pars gloriæ fuit univerſa diſcutere, e terris effodere, atque invicem manuſcripta conferre, legitimum textus ſenſum rimari, auctores ætatemque antiquorum monumentorum diſquirere, nihil demum ſuper ſenſu meritoque libri niſi poſt maturum examen ſtatuere. Altera cauſſa fuit typographiæ inventum, quæ brevi ingentem & veterum & recentiorum ſcriptorum copiam orbi literato ſubminiſtravit, opportuniſſimam ad bonas artes melius colendas nutriendasque ſupellectilem. *Duplici fere*, inquit memoratus Whartonus, *id cauſſæ acceptum debet, Captæ a Turcis Conſtantinopoli, & inventæ arti typographicæ.* Perfracta ſemel porta plures certa-

(i) *In appendice ad Hiſtoriam literariam Guilielmi Cave.*

tatim concurrerunt ad ſubruendum deſidiæ diuturnæ atque ignorantiæ caſtrum. Certe ſeculo XV. XVI. & XVII. fuerunt quidam, qui e melioris fidei MSSis emendatas Veterum Auctorum editiones curarunt, ut e puris fontibus, non ut antea lutulentis, ſcientiarum principia & fundamenta hauriri poſſent: alii Grammaticas, lexica, phraſeologias, flores hiſtoricos & poeticos decumano labore concinnarunt, tum ad latinæ linguæ ſinceræ caſtæque elementa, tum ad eruditionis ſemina in teneris juvenum animis jacienda: Alii antiquiores ſcriptores in quovis literaturæ genere eminentes doctis commentariis illuſtrandos ſibi ſumpſere, ut lectionis eruditionisque ſtudium quam latiſſime propagarent: Alii peculiares de omni Veterum monumentorum adparatu, de religionibus, de regimine, militia, magiſtratibus, moribus, ſtudiis, ritibus, re familiari, veſtitu, &c. tractatus elucubrarunt, ne quid deeſſet ad literarum encyclopædiam ſtabiliendam. Hanc Criticæ epocham celebrem reddiderunt Viri Clariſſimi, ambo Scaligeri, nempe Julius Cæſar, Ripæ ad Lacum Gardium natus anno 1484. Philoſophus, Poeta, Medicus & Criticus inſignis: ejusque filius Joſephus Juſtus, qui præter

alia

alia multa opuſcula conjecturas & notas in *Varronem*, & de *lingua latina*, caſtigationes & notas in *Euſebii Chronicon*, theſaurum temporum, & librum de arte Critica ſcripſit . . . Ambroſius Calepinus, Calepii prope Bergomum oriundus anno 1436. Ord. S. Auguſtini, qui grande illud latinitatis gazaphylacium ſeu Lexicon ſumma induſtria confecit, a Joanne Paſſeratio & Ludovico Certa plurium linguarum additamento locupletatum . . . Deſiderius Eraſmus, patria Roterodamus, ſuo nomine dicendus Gerardus Gerardi, natus anno 1467. Grammaticorum ſui ævi facile princeps: Græcæ præterea & Hebraicæ linguæ admodum peritus, & rerum antiquarum ſtudioſiſſimus plurima vetuſtatis documenta e tenebris in lucem protraxit, & ingenii ſui monumentis auxit . . . Henricus Caniſius, Noviomagenſis, Ven. P. Petri Caniſii S. J. Frater, & in Academia Ingolſtadienſi celebris JCtus. præter alia *quatuor Antiquarum Lectionum voluminibus* clarus. . . Joannes Ludovicus Vives, Valentinus, natus an. 1492. qui libros ſeptem de cauſſis corruptarum artium, quinque de tradendis diſciplinis, de artibus octo edidit, in ferenda criſi æque acutus, ac liberalis . . . Guilielmus Budæus Pariſiis or-

ortus anno 1467. qui ab Andrea Junio *naſcentis græcæ literaturæ alter quaſi Camillus* nuncupatur. Hic præter commentaria græcæ linguæ, & notas in Ciceronis epiſtolas familiares de philologia, de ſtudio literarum recte inſtituendo doctiſſime ſcripſit. Singulare viri hujus elogium eſt, quod nec vivus depingi, nec mortuus funebri elogio decorari voluerit, quod ipſius ſummæ laudi tribuit Stephanus Paſquierius elegantiſſimo hoc epigrammate pios manes proſecutus:

Nec voluit vivus fingi, pinguique Budæus,
Nec vatum moriens quæſiit elogia.
Hunc qui tanta ſuæ mentis monumenta reliquit,
Externa puduit vivere velle manu.

Cætera Budæus, Eraſmus, & Vives ſuo tempore *Triumviri rei literariæ* fuerunt adpellati . . . Juſtus Lipſius non procul Bruxellis ortus an. 1547. de cujus Viri eruditione, & arguta caſtiſſimaque criſi tot teſtes ſunt, quot libri, quos exaravit calamo, quem ſub vitæ finem ad

aram

aram B. Virginis Halæ Saxonum tanquam anathema ſuſpendi voluit. Ejus ſymbolum erat: *Moribus antiquis*, quibus ſcilicet vixit & ſcripſit. Jure quoque ſuo locum heic inter præſtantiores humaniorum literarum Criticos ſibi vendicant ſcriptores e Societate JEſu, qui partim latinitatem collapſam ex antiquis optimis auctoribus inſtaurarunt, aut hos ab ethnicis ſuperſtitionibus, aliisque ſordibus expugnarunt, partim amœniores Muſas revocarunt ab exilio, & qua præceptis, qua exemplis Latii Veteris mores ad dignitatem in præſens, quod vivimus, ſeculum feliciter tranſtulerunt Emmanuel Alvarus, Luſitanus ex Inſula Madera, natus an. 1526. e priſcis Grammaticis, eorumque ſcriptis ſumma induſtria latini ſermonis elementa collegit, & ſaluberrimis legibus Grammaticæ totius œconomiam complexus eſt, dignus ut in hanc uſque diem prima ſcholarum rudimenta moderetur . . . Michael Pexenfelderus, Germanus Amſtorfii natus an. 1613. & Franciſcus Pomey, Gallus Paternæ an. 1618. ille adparatu eruditionis tam rerum quam verborum per omnes artes & ſcientias; hic floribus latinitatis, *indiculo univerſali* rerum omnium & artium, colloquiis ſcholaſticis, & lexico ampliſſimo, non

non ſolum latine, verum etiam caſtigate ac erudite de omni rerum genere loqui nos docuerunt . . . Jacobus Pontanus, Bohemus natus an. 1542. vocabula & phraſes latinas, vitæ communis & familiarium colloquiorum, atque artium liberalium uſibus perpetuis ſervituras e doctis antiquitatis ruderibus velut extraxit, atque reſtituit, editis hanc in rem progymnaſmatis quam plurimis . . . Cyprianus Soarius, Hiſpanus natus circa annum 1522. Nicolaus Cauſinus in Gallia 1570. Gabriel Franciſcus le Jay Pariſiis 1657. Franciſcus Pomey laudatus, & Dominicus Colonia Aquisgrani 1660. Rhetoricam : memorati Jacobus Pontanus, & Gabriel le Jay Poeticam : Famianus Strada Romæ 1572. & Antonius Poſſevinus, Mantuanus 1534. Hiſtoricen, ad Veterum Oratorum, Poetarum, & Hiſtoricorum normam & methodum velut ab inferis ad novam vitam excitarunt . . . Idem Poſſevinus de ingeniorum cultura, Joſephus Juvencius de methodo ac ratione docendi humaniores literas, Renatus Rapinus in Galliis natus 1621. acutiſſimis ſuper eloquentiam, Poeſin, Hiſtoriam, & Philoſophiam animadverſionibus, nobilem accuratam

ratamque Criticam exercuere. Taceo alia literaturæ lumina, quæ ſeculum XVII. & XVIII. atque in his Criticam artem maximis incrementis illuſtrarunt, qua ætate velut facta conſpiratione & miro ingeniorum conſenſu prodierunt Viri ſapientes, qui præſidiis, quæ ſuperiorum temporum Critice ſuppeditavit, inſtructi atque ulterius progreſſi præter manſuetiorum literarum regionem ab ævi barbari ſquallore, ac *medii* ignorantia vindicatam, priſtinæque formæ ac elegantiæ reſtitutam, fines Imperii Critici quaquaverſum dilatarunt, dum bibliothecis locupletatis & ad uſum communem apertis, erutis inde MSSis. & Codicibus, libris eruditione plenis, doctisque ephemeridibus in lucem datis ad Conciliorum & Patrum editiones, Sanctorum Acta, Hiſtoriam & Diſciplinam Eccleſiaſticam, veteres traditiones, cæteramque ſublimiorum & ſacrarum ſcientiarum ſupellectilem tum a nævis emendandam, tum notis illuſtrandam manum admovere.

§. II.

§. II.

Critica circa ſcientias ſublimiores.

IX.

Primis Eccleſiæ naſcentis temporibus jus, ut ita dicam, & poteſtas Critices erat penes Patres, eamque ſane maxima cum ingenii, doctrinæ ac prudentiæ commendatione viſi ſunt exercuiſſe. Atque in primis quod ad S. Scripturæ lectionem ac intelligentiam adtinet, Origenes qui ſena librorum millia teſte Epiphanio conſcripſit, Philocaliam compoſuit, ſeu introductionem ad ſacrum hoc ſtudium, quam Baſilius M. & Gregorius Theologus ex iisdem Commentariis excerpſerunt ob libri præſtantiam, in quo de auctoritate, ſtilo, interpretatione ac charactere ſcripturarum præclare diſſerit: idem Origenes, & poſt hunc S. Lucianus Martyr, atque Heſychius SS. Bibliorum editiones ſuis in Eccleſiis adhiberi præceperunt, a ſe diligenter emendatas, quod ſine Criticæ ſubſidio neutiquam facere potuiſſent. D. Auguſtini quatuor libri de Doctrina Chriſtiana, ſeptem de locutionibus S. Scripturæ, unus de ſpiritu & litera plurimas critices re-

gulas continent, ad eruendum verum ſenſum vel maxime idoneas. Præ cæteris S. Hieronymus hac in re excelluit, uti ſatis loquuntur illius Prologi, Procemia, & Præfationes in majorem divinorum librorum partem: Epiſtolæ ipſius non paucæ ad verba & loca, quæ difficiliora in S. Scripturis occurrunt, rite explicanda aptiſſimæ: reſponſa ad Damaſi Papæ quæſtiones in Geneſin, Evagrio miſſa. A cæteris quoque Patribus Tertulliano, Cypriano, Athanaſio, Ambroſio, &c. quamplurimæ difficultates biblicæ de rebus Theologicis, Philoſophicis, Chronologicis magno ſtudio atque judicio fuerunt examinatæ, explanatæque.

Exſtat etiam celeberrimum S. Gelaſii I. Papæ decretum in Concilio Romano de libris S. Scripturæ authenticis & apocryphis. Non minus diverſa fuerunt Concilia, præcipue VI. Synodus Generalis, quæ de Patrum operibus genuinis, ac ſubleſtæ fidei hiſtoriis quibusdam pronunciarunt ac decreverunt. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ante alios Euſebius Cæſareenſis decem libris plurimum illuſtravit, & Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus acutiſſimi vir ingenii in ducentorum octoginta Auctorum opera criſin tulit, ut

ex

ex ipſius bibliotheca patet. Qui maximam Patrum bibliothecam Lugdunenſem, & catalogos Eccleſiaſticorum ſcriptorum Bellarmini, Labbei, Oudini, collectionem Conciliorum Labbei & Coſſartii, Acta Sanctorum Bollandi & Sociorum, Spicilegium Dacherii, &c. luſtrare voluerit, facile deprehendet, nulli ſeculo æræ Chriſtianæ defuiſſe magnos aliquot viros, qui Criticam ſacram (ut de profana nihil dicam) profeſſi fuerunt. At hi rarinantes in gurgite vaſto videri poſſunt, ſi cum iis in comparationem veniant, quos duo poſtrema ſecula progenuere.

X.

Juvat recenſere aliquos ex his præſtantioris notæ, (plures enim ſuo quemque loco per libri hujus decurſum producam) qui in vario ſublimiorum ſcientiarum genere magna cum ingenii, ac fere plerique pari pietatis, laude verſati ſunt. Agmen ducit Cæſar Baronius & doctrina & ſacra purpura eminentiſſimus, Soræ in regno Neapolitano natus an. 1538. Oratorii S. Philippi Nerii Presbyter. Hic Annales, ſeu duodecim ſeculorum hiſtoriam Eccleſiaſticam pari induſtria & eruditione, id eſt, utraque ampliſſima concinnavit, cui operi anſam præbuere *Centuriæ* ut vocantur

Magdeburgenſes præcipuo auctore Flacco Illyrico, inſigni hæretico, in lucem datæ, innumeris mendaciis & criticis erroribus plenæ: reticuit tamen conſulto Baronius earum Scriptores & nomina, ne vel mentio ipſa apud incautos excitaret pruritum lectionis, nonniſi exitio futuræ. Quamvis autem hoc labore de Eccleſia & veritate immortaliter meritus fuerit, poſt ipſum tamen omnino multa vetuſtatis monumenta ab aliis eruta fuerunt, quæ illum latebant, inter quos principem locum tenent Antonius, & Franciſcus Pagius Ord. Min. S. Francifci, qui Criticam Hiſtorico - Chronologicam in univerſos Annales Baronii quatuor tomis adornarunt.

Robertus Bellarminus S. J. patria Politianus 1542. dignitate Cardinalis 1599. merito Criticæ Polemicæ conditor adverſus poſtremorum temporum hæreſes dici poteſt, quas trium voluminum opere de Controverſiis, & calamo eruditiſſimo penitus debellaſſe viſus eſt.

Jacobus Gretſerus S. J. Marchdorffii in Suevia natus an. 1560. Vir omnis literaturæ cornucopiæ inſtructus, ſcriptisque ſuis in Tomos XVII. Ratisbonæ collectis clariſſimus, Criticam æque eruditam ac gra-

gravem exercuit in libros Acatholicorum ſui ævi, fidemque Catholicam, ejus ritus ac diſciplinam, ſacrarum Imaginum ac ſanctæ crucis cultum, & quidquid fere ad mores & dogmata Eccleſiæ pertinet, tum doctiſſime propugnavit, tum mirum quantum illuſtravit, iccirco *malleus hæreticorum* adpellatus.

Dionyſius Petavius S. J. Aurelianenſis, natus 1583. in ſuo *Rationario* & *Doctrina temporum*, in Hierarchia Eccleſiaſtica, aliisque bene multis operibus inſigne ingenii, philologiæ, & accuratæ Criſeos documentum reliquit.

Antonius Poſſevinus S. J. Mantuæ natus an. 1534. totam pene Europam peragravit, tum a Superioribus ſuis, tum a ſummis Pontificibus ad res fidei Catholicæ componendas ad Principes ac Reges miſſus. Hæc inter negotia maxima ubique literariam ſupellectilem ampliſſimam collegit, ac præter alia complura Bibliothecam ſelectam, & Adparatum ſacrum (notiſſima volumina) conſcripſit, in quibus tam de ſcientiis plerisque, quam de ſcriptoribus ſacris & profanis ſanam integerrimamque Criticam profeſſus eſt.

Alexander Natalis Ord. Præd. Rhotomagi natus 1639. in Pariſienſi Facultate Theologiæ Doctoris laurea decoratus, vaſta mente atque ingenio univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam, & in ea quidquid ſplendidum, ſublime, vel dubium ac controverſum unquam fuit, multis doctisque Criticæ characteribus eſt complexus, editis octo tomis.

Joannes Harduinus S. J. natione Gallus an. 1646. in omni literarum genere verſatiſſimus, cujus rei documenta plurima in ſcriptis ſuis reliquit, maxime vero in Conciliorum notitia Critica, quorum collectionem inſignem duodecim tomis poſteritati reliquit, mortuus Pariſiis an. 1729.

Jacobus Sirmondus S. J. natus 1559. Ricomagi in Galliis, eruditiſſimos ingenii partus edidit, in quinque volumina Pariſiis digeſtos; maximam vero famam conſecutus eſt illuſtribus notis & animadverſionibus in plurimos Eccleſiæ Scriptores, in Concilia Gallicana, in Caroli Calvi *Capitularia*, & Theodoſii Codicem, quæ opera vaſtiſſimæ ſcientiæ, quam in Antiquitatibus Eccleſiaſticis & utroque Jure poſſidebat Sirmondus, viva ſunt teſtimonia: Ejus opera, dum Romæ de-
ge-

gebat Claudio Aquavivæ Societatis Præpoſito a ſecretis, plurimum uſus eſt Card. Baronius in parandis Annalibus Eccleſiaſticis, ita ut non pauci apud Bailettum (k) opinentur, quidquid in opere iſto ex Antiquitate, ex humanis literis, atque ex Critice ſumtum eſt, id pene totum Sirmondo vendicandum eſſe.

Bernardus Montefalconius, gallice Montfaucon, e Congregatione S. Mauri, in Galliis natus 1655. poſt luſtratas Italiæ ac Franciæ bibliothecas, veteraque monumenta, celebrem ſe fecit collectione nova Patrum & ſcriptorum græcorum, idea magni operis Antiquitatum quinque tomis diſtincta, aliisque multis lucubrationibus, in quibus omnibus emicat ingenium Criticum.

Philippus Labbeus S. J. patria Bituri rix, quæ Galliæ civitas eſt, 1607. ſtupenda memoria & omni ſcientiarum humaniorum & ſublimiorum commeatu inſtructus erat, vixque ullum literaturæ genus eſt, quod non ſcriptis ſuis illuſtravit. Præcipue vero artis Criticæ peritiam prodidit in protreptico de byzantinæ

(k) *Honoratus Tom.* 1. *Diſſert.* ſ. 3. in notis.

næ hiſtoriæ ſcriptoribus, in bibliotheca Anti-Janſeniana, Numaria, & MSSorum, antiquarumque lectionum: in bibliotheca chronologica SS. Patrum & ſcriptorum utriusque Teſtamenti cum pinacotheca Scriptorum Soc. JEſ. & in Conciliorum omnium collectione maxima 15. tomis, quos una cum Gabriele Coſſartio ejusdem Societatis, magnique ingenii viro ingenti ſane conatu elaboravit, ac typis publicis dedit.

Joannes Bollandus S. J. Tillemontii natus 1596. Hic grande illud opus Criticum, ſeu Acta Sanctorum, molitus eſt poſt mortem Heriberti Roſweidi Ultrajectenſis ejusdem Societatis, qui vitas Sanctorum omnium jam pridem vitiatas 18. voluminibus edendi conſilium cœpit, ſed fato præventus nonniſi primum abſolvit. Proſecutus eſt inſtitutum Bollandus cum laborum ſocio Godefrido Henſchenio, & memorata Sanctorum Acta Menſis Januarii duobus, Februarii vero tribus voluminibus vulgavit. Sed de his uberior poſtea redibit ſermo.

Emmanuel Schelſtraten natus 1649. Canonicus Antverpienſis, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus ſub Innocentio XI. præter alia, quæ ſcripſit duobus tomis com-

comprehenſa, celebre nomen ſuum reddidit vaſto opere, cui titulus *Antiquitas illuſtrata*, in quo totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita in conſpectum dedit.

Ludovicus Sebaſtianus Nanus Tillemontius, Pariſiis ortus an. 1637. Sacerdotio initiatus totum ſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribendæ impendit. Hujus Viri Criticam, quam in eadem hiſtoria exercuit, celebrant non pauci, quod in verbis ſuis moderatus, in alienis adducendis rectus, in judicio ferendo cautus, & in animadverſionibus ſagaciſſimus fuerit. Multis quoque profuit labore ſuo, e quo tanquam fonte in edendis SS. Patrum geſtis, & Veterum ſcriptorum monumentis plurima hauſerunt documenta.

Ludovicus Elias Dupinus, Pariſiis natus an. 1657. Doctor Sorbonicus, Bibliothecam Auctorum Eccleſiaſticorum concinnavit ſingulari quadam & vulgarem induſtriam multum ſuperante methodo, cujus ingenio, artisque Criticæ peritiæ laudem oppido magnam tribuunt etiam illi, qui adverſus bibliothecam hanc calamum ſtrinxerunt.

Adrianus Bailletus, natus Novæ Villæ non procul Bellovaco an. 1649. erat

Phi-

Philoſophiæ, Hiſtoriæ, Chronologiæ, Criticæ ac Theologiæ diſciplinis probe imbutus: Lamoignoni Bibliothecæ celebri Præfectus tum in ejusdem monumentis deſcribendis, tum in Vitis Sanctorum ad Criticæ leges enarrandis tempus omne uſque ad vitæ finem conſumpſit.

Riccardus Simonius Deppenſis in Normandia ortus 1639. Collegio *Oratorii*, ut vocant, nomen dedit, cui tamen poſt plures annos valedixit. Fuit in homine ingenium & eruditio præclara: plurium linguarum notitia inſtructus Bibliorum Criticæ reliquam vitam impendit, ea commendatione, ut ipſius quod ſcripſit opus multorum voluminum compendium a Spanheimio licet adverſario dicatur.

Theodoricus Ruinartius, patria Rhemenſis, natus 1657. e Congregatione S. Mauri, individuus Mabillonii in legendo & ſcribendo ſocius, præter alia, quæ lucubravit, inſigni opere, cui titulus: *Acta primorum Martyrum ſincera & ſelecta*, in orbe literato inclaruit.

Joannes Launoius, Valoniæ in Normannia natus 1603. longo cum viris literatis commercio magnam eruditionis Criticæ ſupellectilem congeſſit, quam etiam

etiam plurimis ſcriptis in decem volumina Genevæ digeſtis publici juris fecit.

Claudius Fleurius, Pariſiis natus an. 1640. Ludovici XV. Regis Chriſtianiſſimi olim conſcientiæ moderator, præter alia minora opera hiſtoriam Eccleſiaſticam adornavit a Chriſto in cœlos aſcendente uſque ad ſeculi XV. initium, quam D. Fabri ad ſeculum XVI. perſecutus eſt, diſpari tamen & a Fleurii veſtigiis multum recedente methodo. Tria opere ſuo præſtitit Auctor; nempe doctrinam fidei e ſacris Scriptoribus, Conciliis, & Pontificum oraculis illuſtrat: Diſciplinam Eccleſiaſticam ex Conciliis, eorum canonicis ſanctionibus, & ſummorum Pontificum decretis exponit: Mores Eccleſiæ, ac Veterum præcipue Chriſtianorum tam graphice exhibet, ut res geſtas oculis uſurpare ſe credat lector, iisque intereſſe. Hiſtoriam ipſam gallice ſcriptam latine reddit, dum hæc ſcribo, Cl. Bruno Parode O. S. Benedicti.

His adjungi meretur Henricus Schüz S. J. Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Ingolſtadienſi, qui noviſſime Commentarium Criticum de Scriptis & Scriptoribus Eccleſiaſticis in lucem dedit, velut pro-

prodromum majoris, quod circa Hiſtoriam molitur, Operis.

Ultimo loco memorandus venit temporis ſerie, non Critices peritia poſtremus, Honoratus a S. Maria Ord. Carmel. e Provincia Aquitaniæ, qui Animadverſionum in regulas & uſum Critices libros tres gallico idiomate conſcriptos in lucem dedit, poſtea in linguam latinam translatos a Marco Franciſco ejusdem Ordinis Alumno, & typis impreſſos Venetiis an. 1738. Hic Auctor laborem maximi ſane momenti, & quod noverim, primus ſuſcepit, ſcilicet ut nobiliſſimam artem Criticam illuſtraret ſimul, atque ab intemperantium quorumdam ſcriptorum vitiis, erroribus, & commentis purgaret. De hoc opere Interpres ita loquitur: *Quod vero illud ſumma integritate, exquiſita diligentia, vi acerrima, & moderatione prope ſingulari ſuſtinuerit, citius cognoſci legendo poteſt, quam laudando ſignificari.* (1)

Memoratos hucuſque ſcriptores, e quavis fere claſſe nobilioris Critices aliquos præ cæteris celebriores notioresque ſeligere placuit, qui tum circa humaniores literas & artes, tum circa S. Scriptu-

(1) *In Epiſtola prævia.*

pturæ editiones ac interpretationes, Acta Sanctorum, Concilia, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Controverſias polemicas, & Eccleſiæ diſciplinam ac mores verſati ſunt, ut adpareat, qua ratione Ars Critica, cujus hiſtoriam in compendio exhibere conſtitui, a prima origine ſua ulterius progreſſa, & maximis in hanc diem incrementis fuerit amplificata. Non equidem omnium horum Criticam, quam exercuere, facultatem adprobandi animus eſt, dum ſuo poſtmodum loco non leves aliquorum, ut Dupini, Bailleti, Tillemontii, Launoii & Simonii nævos & hallucinationes intuebimur: non tamen ad tenebras damnandi, ac debita laude privandi erant Viri vaſta antiquitatis notitia & ingenii acumine præditi, quos ſuis etiam erroribus rem Criticam multum promoviſſe fateri oportet.

CA-

CAPUT III.

OECONOMIA CRITICÆ ARTIS.

§. I.

Criticæ ſtudium circa Codices, MSSa. & artes liberales.

XI.

Oeconomia (vox græca nata ex οἶκος, quod eſt *domus*, & νόμος, quod eſt *lex*) Latinis domus adminiſtrandæ legem, ſeu rei domeſticæ adminiſtrationem ſignificat. Transfertur tamen etiam ad alia, quemadmodum apud Quinctilianum (m) accipitur pro diſpoſitione Oratoribus & Poetis maxime neceſſaria, utpote *quæ, quid, quo loco ſit dicendum, oſtendit.* Itaque prima pars præſentis Oeconomiæ Criticæ, quam explicare aggredior, ea omnia ordine ſuo recenſebit, circa quæ ars

(m) *Lib.* 1.

rs hæc verſatur; nam latiſſime patet & egnat: Tum vero altera leges in meium adferet, quibus intra debitos fines ohibetur, ne latiori dominatione noceat otius quam proſit. Ut a minimis inciiam, ſi tamen minima dici poſſunt, a uibus maximi momenti res pendent, opeım ſuam collocavit Ars Critica

I. In diſquiſitione variarum lectioüm, quæ in antiquis monumentis ocurrunt, in collectione ſcilicet MSSorum. Codicum emendatione. Ante invenım typographiam Majoribus noſtris haud lià ſuppetebat via; haud aliud conſiüm, quo egregia doctorum hominum olumina æternitati committerent, niſi t eorum exempla, quam fieri poſſet ıultiplicia manu exararent. Fecerunt l tum Monachi vel temporis, quod a cris functionibus ſupererat, bene colloındi gratia, vel ut poſteritati labore ıo prodeſſent: tum librarii mercede ɔnducti, aut familiæ ſuſtentandæ neceſıte conſtricti. Verum hæc ipſa res on raro & Scriptorum authographis, & ipublicæ literariæ magnam cladem inılit. Nam deſcribentium ſive oſcitantia ve imperitia factum eſt, ut quædam erɔribus contra orthographiam depravata

fuerint, quædam quæ non intelligebantur a ſcribis, in ſenſum alienum detorta, alia omiſſa, aliqua etiam aliorum, quæ legi non poterant, loco ſubſtituta. Hinc quoque vel nunc res plena negotii eſt, invenire e manuſcriptis pluribus idem argumentum tractantibus duo exemplaria, quæ non in aliquibus a ſe invicem diſſideant. In ipſos adeo ſacros Codices triſte hoc fatum penetravit, in quibus jam tempore D. Hieronymi, & poſtea uſque ad ævum Sixti V. & Clementis VIII. quo vulgatæ correctio ſuſcepta fuit, non paucæ verborum translationes ac iterationes, diverſæ lectiones, crebra additamenta & variationes deprehenſæ fuerunt, id quod contigit vel vitio Amanuenſium, vel ut nonnulli Patrum obſervarunt, Judæorum perverſitate ac hæreticorum fraude, qui ſacras literas emendandi poliendique prætextu uſi eas frequenter perverterunt. Quare non fruſtra olim jam D. Hieronymus quaſi futurorum præſagus monuit: (n) *Unde conſueta præfatione commoneo tam vos, quibus forte labor iſte deſudat, quam eos, qui exemplaria iſta habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia tranſcribantur.* Eo etiam progreſſa eſt hæc tempo-

(n) *Præf. ad Pſalm.*

porum & librariorum iniquitas, ut ipſi voluminum tituli perſæpe vitiati fuerint, mutatis vel adſutis Auctorum, quorum tamen non erant, inſcriptionibus, unde tanta apocryphorum copia fere in omni literarum genere orbem inundavit. Hisce malis ſane graviſſimis non alia, quam ars Critica medelam & adferre potuit, & adtulit Grammaticorum aliorumque eruditione præſtantium virorum ope, qui variis lectionibus antiquis incredibili labore collectis, & diverſis exemplaribus inter ſe accurate collatis menda & ſphalmata correxerunt, ſpuria expunxerunt, genuina ſuis locis reddiderunt, rectumque ſenſum abſterſis obſcuritatum tenebris reſtituerunt: quin etiam acri judicio in conſilium vocato ſuppoſititia opera vel rejiciendo, vel veris dominis ſuis vindicando rem eo deduxere, ut ætate noſtra numeris omnibus abſolutæ Veterum qua profanorum qua ſacrorum Scriptorum editiones prodierint. Præclaram hoc in negotio operam præſtiterunt, de quorum aliquibus jam memini, in humaniore literatura Juſtus Lipſius, ambo Scaligeri, Eraſmus, Henricus Caniſius, Gretſerus, Pontanus, Lambecius, &c. in ſublimiori Huetius, Garnerius, Sirmondus, Dacherius, Mabillonius, Ruinartius,

Montfauconius, &c. qui velut expilatis bibliothecis, & veterum ſcriptis ac monumentis plurimos ſcriptorum vel integritati reſtituerunt, vel omnino quaſi jam ſepultos ad vitam revocarunt. Neque heic ſtetit labor improbus: bibliothecæ MSSorum in lucem datæ fuerunt (hunc enim titulum præſeferunt) duce Poſſevino, qui primus ad calcem *Apparatus ſacri* adnexuit catalogum MSSorum, quæ in Vaticana, Sforzienſi, Taurinenſi, Medicea, aliisque multis bibliothecis adſervantur: ſecuti ſunt Labbeus, qui Regiæ Bibliothecæ, Lambecius, qui Cæſareæ, Alexander Barvoetius, qui Scorialenſis, Sanderus qui Belgicæ, alii aliorum per Europam manuſcriptorum elenchos publicis typis vulgarunt.

XII.

II. A lectionis ſcriptorum, & codicum emendatione ad humaniores literas Critices cura tranſiit, quarum nomine communiter Grammaticæ, Poeticæ, ac Rhetoricæ diſciplinæ veniunt. Harum tres præcipuæ viciſſitudines fuere, quas vulgus *Revolutiones* adpellat. Prima Græciæ merito defertur, & in Græcia Atticæ regioni, ubi Athenæ, in qua urbe ipſæ Muſæ domicilium fixiſſe ſunt viſæ,

&

& e quà præſtantiſſima quæque ingenia & literaturæ principes Grammatici, Poetæ ac Oratores prodierunt, qui artes liberales ad ſummum apicem perduxere. Altera fuit, quando una cum Imperio e Græcia Romam translatæ fuerunt literæ. Quippe Romani poſtquam a diuturnis bellis aliquantum otii fuerunt nacti, in Græciam trajecerunt, ut præter arma etiam literarum uſum ſibi familiarem redderent: inde doctrinæ ſpoliis onuſti Romam reverſi primum linguæ latinæ expoliendæ manum admoverunt; tum Poeticam quoque ac Oratoriam facultatem excoluerunt tanta animi contentione fructuque, ut Auguſto imperante aurea literarum ætas cœlo delapſa videretur. Admirabilis tunc ingeniorum proventus, & ideo brevis, nempe vix ſeculo uno & dimidio uſque ad Antoninos, & ab his ægre ſe ſuſtentabant hæ ſcientiæ ad Vandalos & Gothos uſque, poſt quos magnum illud chaos & ignorantiæ cataclyſmus bonarum artium regiones omnes occupavit atque vaſtavit. Erigere quidem proſtratas ſeculo IX. magnisque impenſis ſategit Princeps optimus Carolus M. poſt hunc Philippus I. Galliarum Rex, ſeculo XI. fundatis quibusdam Gymnaſiis, comparatis libris, & accerſitis viris doctrina

culis fuere quidam, qui audebant cogitare de tanta calamitate levanda. Timide igitur primum, ac verecunde indignari cœpit Italia, inquit Criticus non ignobilis, ignorantiæ tam annoſæ pertæſa; paullo confidentius laborioſa Germania facem accendit; quam brevi tempore in Europam circumtulit omnem æmulatio. Nimirum ſurrexerunt magni viri, qui veterum Grammaticorum Criticam revocarunt, ejusque poteſtate libertateque uſi hæc ſtudia partim a loliis & cœno purgarunt, partim ad antiquum ſplendorem provehere conati ſunt editis doctiſſimis commentariis. Tales fuerunt Eraſmus, Lipſius, Grotius, Turnebus, Scaligeri, Budæus, Politianus, Muretus, Franciſcus Vavaſorius S. J. qui ut ait Honoratus in Opere ſuo Critico, *unus inter Europæ homines fuit, qui latinæ linguæ venuſtatem melius intellexit, eamque ab Auguſti ſeculo purius & elegantius omnibus uſurpavit.* Taceo alios, quos ſupra jam commemoravi. Unum præterire nefas foret rei hujus argumentum, poſtremi ſeculi ſane nobiliſſimum, videlicet grande illud opus & immortalitate dignum, quinquaginta voluminibus conſtans, quod ſub auſpiciis Ludovici XIV. Galliarum Regis, opera conſilioque Montauſerii Meldenſis,

&

& Huetii Abrincenſis Epiſcopi Pariſiis *ad uſum Delphini* editum fuit. Complecti-tur illud triginta Veteres Auctores, Poe-tas, Rhetores, & Hiſtoricos ævi ſui prin-cipes, cum commentariis & notis exper-tiſſimorum in quavis claſſe Virorum: in Phœdrum commentatus eſt *Danetus*, in Salluſtium *Creſpinus*, in Terentium *Ca-mus*, in Cornelium Nepotem *Courtinus*, in Velleium Paterculum *Riguetus S. J.* in Virgilium de la Rue, ſeu *Rueus S. J.* in Panegyricos Veterum *Baunius S. J.* in Juſtinum & Valerium Maximum *Cantelus S. J.* in Q. Curtium *Tellerius S. J.* in Plautum *Leuræus*, in Manilium *Fayus*, in Juvenalem & Perſium *Deſprezius*, in Martialem *Colaſſanius*, in Titum Livium *Douiatius*, in Florum, Aurelium Victo-rem, Dicten Cretenſem & Eutropium *Feureus*, in Verrium Flaccum *Dacierus*, in Catullum, Tibullum, & Propertium *Du Bois.*, in Suetonium *Barellonius*, in Orationes Ciceronis *Meruvillius S. J.* in Tacitum *Pichonius*, in Plinium *Hardui-nus S. J.* in Horatium *Rodevillius S. J.* Structura operis iſtius hæc eſt: primo textus ex optimorum MSSorum fide quam emendatiſſimus profertur: tum interpre-tatio ſeu paraphraſis ſubjungitur, qua ſcriptorum ſenſa dilucide ac breviter ex-

ponuntur: demum adnotationes accedunt hiſtoriæ & antiquitatis eruditione refertæ. Nihil profecto nobilioris Critices in hoc Opere prætermiſſum eſt, in quo maſcula illa elocutionis Romanæ virtus & dignitas revixit.

Plurimum autem lucis & ſplendoris attulit manſuetioribus literis lingua latina priſtinæ integritati ſuæ reſtituta per Criticos, qui Lexica ſeu Dictionaria ut vocamus, concinnarunt, in quibus tum vocabula in Latio civitate donata, additis Veterum ſcriptorum probatiſſimorum exemplis collegerunt, tum obſoleta, barbara, minusque caſta vel notarunt, vel omnino expunxerunt: id quod ab ejusmodi Criticis, Viris inſignibus, improbo ſane ac decumano labore præſtitum fuit. Nam uti Scaliger optime animadvertit: (o)

Si quem dira manet ſententia Judicis olim
Damnatum ærumnis, ſuppliciisque caput;
Hunc neque fabrili laſſent ergaſtula maſſa,
Nec

(o) *Sylv. Carm.* 39.

Nec rigidas vexent foſſa metalla manus.
Lexica contexat: nam cætera quid moror? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

Non injucundum, ut ſpero, accidet, rem totam altius, a medio ſcilicet ævo repetere. Actum videri potuiſſet ea tempeſtate de lingua latina, utpote quæ in tanta colluvie barbarum nationum per Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Angliam atque Germaniam graſſante vix ſpiritum trahebat. Fuerunt tamen providi Numinis conſilio ſemper aliqui in literis utcunque verſati, præſertim Eccleſiaſtici Ordinis viri, qui ne penitus extingueretur, pro virili ſua illam ſuſtentabant: profani quidem homines, quum etiam barbaræ gentes illæ tam in legibus ſuis ac decretis, quam in Actis publicis ac privatis latinam ut poterant linguam adhibuerint, eo fine, ut ab omnibus intelligi poſſent, quod nunquam a nativa ſua, barbaraque lingua potuiſſent obtinere: Ecceſiaſtici vero, quoniam Eccleſia Romana in ſacris functionibus, in Conciliis & Conſtitutionibus eandem latinam linguam ſibi ſuiſque

que propriam eſſe voluit. Maxime autem tot fatis jactatæ aſylum præbuerunt ſacra Cœnobia, in quibus fere ſolis ſub id tempus ſcholæ & ſtudia erant conſtituta, quamvis & heic locorum optimo frumento non pauciora lolia fuerint commixta. Illuſtre teſtimonium habemus in Diplomate, quod Stephanus Papa IX. Cluniacenſibus conceſſit: huic inſerta leguntur hæc verba: *In quorum ſorte non inferius Cluniacenſe Cænobium, quod ab ipſo ſuæ fundationis primordio hactenus evibrat longe lateque ſanctæ converſationis jubar ſanctiſſimum: adeo ut faciendo & docendo exſtiterit & exiſtat Gallicanis, Germanis, Italicis, & plane cunctis Latinæ linguæ monaſteriis forma & ſpeculum.* Ab his igitur, de quibus dixi, Viris ævi ſui Literatis & gnavis hominibus Lexica condi cœperunt, quibus *Gloſſarum* & *Gloſſariorum* nomen inditum fuit. In iſtis vocabula tum græca tum latina, quotquot invenire in Scriptoribus poterant, congeſſere, tam proba & caſta quam antiqua & obſoleta: quin & barbara recensque vel excogitata, vel compoſita, qualia non raro ipſi quoque Librarii ſeu Amanuenſes e penu & arbitrio ſuo liberaliter inſperſerunt. Ejusmodi *Gloſſas* & *Gloſſaria* in vetuſtis bibliothecis, præ-

præſertim Monaſteriorum, non pauca eſt reperire. Principem fere locum tenet illud, quod Salomoni Abbati S. Galli, poſtmodum Epiſcopo Conſtantinenſi, adſcribitur, qui anno 911. obiiſſe fertur; quamvis non deſint, qui ab Iſone Monacho ejusdem Cœnobii, & Salomonis præceptore præfixo diſcipuli ſui nomine editum id fuiſſe contendant. Mentionem illius facit Chronicon Conſtantienſe, ac *Dictionarii* titulo inſignit: *Salomonis Conſtantienſis Dictionarium Magnum, quem Papiam appellant, ſcribi fecit.* Cur autem Papiam nuncupetur, cauſſa eſſe poteſt, quod Papia, qui integro poſt Salomonem ſeculo vixit, ſimile Gloſſarium concinnaverit, plerisque e Salomonis Dictionario depromtis. Cæterum quod ſive Salomonis ſive Iſonis fuit, merito reliquis omnibus, quæ ſecuta fuerunt, eſt anteferendum, utpote vocabulorum e probis & claſſicis ſcriptoribus Cicerone, Virgilio, Tacito, Eutropio, Oroſio, Iſidoro, Hippocrate, Galeno, &c. acceptorum dives admodum, ſi pauca excipias minus ſinceræ latinitatis, & ſemibarbara. Non eandem merentur laudem, nec a latinitatis nitore, nec a ſelectu & induſtria, quæ poſterioribus ſeculis in lucem prodierunt: Gloſſarium Latino-Saxonicum Auctore Al-

Alfrico Anglo, Abbate Abiridonenſi, dein Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui Salomoni quidem coævus, ſed e vivis ſerius exceſſit.... Glòſſarium Papiæ, natione Lombardi, *Vocabuliſta* dicti, cui titulum præfixit: *Elementarium doctrinæ Erudimentum* anno 1053.... Gloſſarium ſeu Dictionarium Ugutionis Piſani, priore multum auctius, ac etymologiarum acceſſione locupletius, circa annum 1193 .... *Summa* ſeu *Catholicon* Joannis de Janua, ſeu Januenſis de Balbis, Ord. FFr. Præd. ubi multa de Grammaticæ legibus præmiſſa leguntur anno 1286.

At ſeculo XIV. ad finem vergente majore frequentia comparuerunt in literaria republica hujuscemodi volumina, nunc Dictionarii, nunc Catholici, nunc Vocabularii nomen in fronte gerentia: re ipſa vero nonniſi e Papia, Ugutione, ac Januenſi vel excerpta, vel compendia fuere, ſuis fontibus non multum puriora. His ſucceſſerunt *Commentarii Grammatici*, & *Inſtitutiones* hujus artis a Joanne Deſpauterio, Ninovenſi Belga, qui diem extremum clauſit circa annum 1514. adornatæ, ac diu in ſcholis dominabantur. Necdum tamen diſpulſæ tenebræ, nec Latio dies optata illuxit, quum Dictionaria hæc, quo-

quorum memini, nec ad leges ſatis exacta, nec a barbariei reliquiis rite purgata fuerint, vel ob conſcribentium imperitiam, vel ob rei difficultatem, vel ob quandam ſuperſtitionem in terendis majorum veſtigiis, à quibus vel latum unguem diſcedere nefas credebatur. At ubi Franciſcus Petrarcha primus fere mitiores muſas ab exilio revocavit in Italiam, & Laurentius Valla elegantiarum latinæ linguæ ſex libros conſcripſit, ac Nicolaus Perottus magnum volumen Commentariorum ejusdem linguæ publici juris fecit (quod circa medium & finem ſeculi XV. factum eſt) his ducibus animatus Ambroſius de Calepo Bergamenſis, Ord. Eremit. S. Auguſtini, grande opus illud, ſeu Dictionarium molitus eſt, quod ab Auctore ſuo nomen traxit, & *Calepinum* adpellatur. Eſt hoc veluti gazophilacium latinarum vocum e veteribus tum profanis tum ſacris Scriptoribus optimis collectarum longe ditiſſimum. Summa in eo latinitatis religio, ſumma in Auctorum ſententiis recenſendis fides, ſumma in iis conquirendis induſtria. Primam lucem aſpexit hoc Dictionarium an. MD. & iteratis ac ſupremis curis ipſius Auctoris prodiit Venetiis an. MDIX. quem qui ſequitur, anno fatis conceſſiſſe dicitur. Crevit poſtea mo-

moles inſtar magni fluminis rivorum hinc inde acceſſione. Certe Conradus Geſnerus quatuor millibus vocabulorum optimæ notæ illud non parum auxit. His, quæ vivimus, temporibus quanta prius penuria, tanta eſt Dictionariorum & Lexicorum abundantia, ita ut nulla fere ars ſit & ſcientia, pro qua non ſingularia circumferantur. Tres ſolum quatuorve ſimilium conditores heic memorandi veniunt: Marius Nizolius, & Robertus Stephanus, qui Tulliana vocabula tanto ſtudio, quanto literarum ordine collegerunt: Franciſcus Pomey S. J. qui ſelectiſſimis verbis & phraſibus latinis locupletiſſimum edidit Dictionarium, Gallicis primum, nunc etiam Italicis & Germanicis vocibus idem ſignificantibus adjectis: Carolus du Freſne, Dominus du Cango, Regi Galliæ a Conſiliis, & Franciæ apud Ambianos Quæſtor, qui inſigni eruditione Gloſſarium ad ſcriptores mediæ ac infimæ latinitatis in duobus vaſtis voluminibus poſteritati reliquit.

§. II.

§. II.

[Cr]iticæ ſtudium circa Philologiam, & Hiſtoriam ſacram ac profanam.

XIII.

[I]. His non contenta progreſſionibus ars Critica Philologiæ inſtau[ra]ndæ ſe accinxit. Philoſophia Veterum [er]at primum ſimplex & recta, ſtetitque [in]tra rerum naturalium cognitionem, [qu]antam quiſque ingenio ſuo aſſequi po[te]rat, nondum involuta ſenticetis ſubtili[ta]tum. At brevi varias in ſectas abiit; [et] quamvis Ariſtoteles organo ſuo & ra[ti]ocinandi methodo præſtantiſſima intra [li]mites artis atque ſcientiæ eam contine[re] adlaborarit, nihilominus illo vel non [re]cte intellecto, vel in alienos ſenſus de[to]rto, dum ſuis quisque opinionibus il[la]m ſervire coegit, inutilibus altercatio[ni]bus, ſuperſtitioſis opinionibus, nullius[q]ue frugi quæſtionibus bene multis por[ta] fuit aperta. Equidem jam pridem [D]emocritus & Epicurus de atomis, e qui[bu]s universa componerentur, Philolaus [C]rotonienſis de harmonia mundi, & tel[lu]ris circa ſolem itinere aliquid ſomnia[ru]nt: Ariſtoteles de vi & virtute ele-

 men-

mentorum, de gravium & liquidorum pondere ac æquilibralitate, de animalium & plantarum geneſi ac indole, de cœlorum motu, & aſtrorum dominatione, deque aliis naturæ arcanis varia tradidit: Archimedes miras quasdam machinas explorandis rerum naturalium viribus in ſtatica & hydraulica ſervituras ſtruxit. Sed horum omnium memoria vix non obruta ſepultaque fuit vitio illorum, qui omnia ingenio, & profundæ meditationi, nihil experimentis & ſenſuum judicio in Philoſophia tribuendum eſſe nimia ſeveritate contendebant. Criticæ quidam ſpiritus nobilis in quorumdam animos poſtremis duobus ſeculis illapſus effecit, ut amœniorem ars hæc & ſcientia faciem induerit. Primi fuere, qui tanti rem moliminis ſuſceperunt Franciſcus Baconus de Verulamio, Galilæus de Galilæis, Robertus Boyleus. Secuti ſunt in Germania Otto Guerickius, Conſul Magdeburgenſis, P. Schottus S. J. & Sturmius . . . in Galliis Carteſius, Gaſſendus, Hamelius, P. Fabri S. J. . . . in Italia Kircherus S. J. Franciſcus de Lana S. J. . . . in aliis Europæ regionibus Copernicus, Kepplerus, Newtonus, aliique plurimi, quos in libro de Philoſophia recenſui. Infinita brevi Phyſices ex-

experimenta de aeris pondere, de aquarum artificioſo adſcenſu, de ignis vi urendi, de terræ ac gravium centro, de motu a loco in locum, de ſolis lumine, de coloribus, de magnetis vi attrahente ac repellente, de fluminum origine, de maris æſtu, de ventis, de fulmine, de phoſphoris, de virtute electrica, &c. comparuerunt. Non jam amplius tot argutiis ſophiſticis, ſed ſenſuum miniſterio, & conſtructis barometris, thermometris, hygrometris, microſcopiis, teleſcopiis, tubis loquentibus, antliis pnevmaticis, machinis electricis arcana Philoſophica explorabantur: meteora, metalla, planetæ, animalia, horumque geneſes, incrementa, virtutes & adfectiones in apricum producta fuerunt cum inſigni aliarum quoque artium & humani commercii emolumento. Non minus Matheſeos diſciplinam noſtris temporibus ad ſummum apicem evectam eſſe læti conſpicimus: emendata eſt temporum ratio, aſtrorum curſus, quantum mortalibus licet, in ordinem redactus, comites Jovis & Saturni, maculæ ſolis, novaque ſidera teleſcopiis detecta, eclipſium præſagia ad calculum exactiſſimum revocata: verbo, nihil fere in cœleſtibus illis plagis a nobis adeo remotis contingit, cujus modo indicia &

celeres nuntii non continuo in terras noſtras a Mathematicis tranſmittantur.

Quos non fructus protulit Critice in emendanda ordinandaque Chronologia & Geographia, geminis illis Hiſtoriæ oculis, ſine quibus iſta non cæcutit modo, ſed omnino cæca eſt? Præcipui fuere, qui rem hanc aleæ plenam feliciter tentarunt, & felicius perfecerunt, in Chronologiæ quidem ſtudio: Dionyſius Petavius S. J. *de doctrina temporum* & in *Rationario temporum* . . . Joannes Baptiſta Ricciolus S. J. in opere *de Chronologia Reformata* . . . Philippus Labbeus in *concordia chronologiæ*, & *methodo chronologica* . . . Ludovicus Tillemontius in *Tabulis chronologicis* . . . Antonius Pagius in *Critica* . . . Renatus Tourneminius in *chronologico ſyſtemate ſuper S. Scripturam* . . . In ſtudio autem Geographiæ Aubertus Miræus in *Notitia Epiſcopatuum orbis Chriſtiani* . . . Carolus a S. Paullo, Abbas Fulienſis in *Geographia ſacra* . . . memoratus Ricciolus in *Geographia Reformata* . . . Joſephus Cantelius S. J. in *Metropolitanarum urbium hiſtoria Eccleſiaſtica & civili* . . . Henricus Niderdorffer in *Geographia Generali*, &c. Quantum non incre-

crementum (melius forte dixero initium) ſumſit hac ætate rei Numariæ ac Diplomaticæ cultura? Harum uſus fructusque latiſſime modo patet: illa quidem ingenerat copioſiſſimam antiquitatis notitiam, emendat hiſtoriæ & chronologiæ errores, manifeſtat familias Romanas, urbes & colonias, pandit facta memorabilia Imperatorum aliorumque heroum, facitque ut illos velut de facie noſcamus: porro ſymbola & emblemata ingenio ac eruditione plena nobis exhibet. Iſta vero, ſcilicet Diplomatica, non ſolum characterum & ſcripturarum miram varietatem, ſed etiam priſcorum munificentiam ac pietatem, mores ingenuos, germanam fidem, & amplos proventus ante oculos ponit; fœdera pacis, pacta dotalia, ultimas voluntates, omnisque generis inſtrumenta publica palam facit, ac Monaſteriis & Familiis Nobilibus jura ſua vindicat.

Inſcriptionum quoque antiquarum theſaurum pretioſiſſimum nobis hoc ævo aperuerunt Andreas Fulvius, Thomaſinus, Onuphrius Panvinius, & præ reliquis Gruterus, cujus opus vaſtum *æternum*, & *incomparabile* celebrant Acta Lipſienſium: ex his & memoriam priſca-

rum rerum, & præclara Majorum facta diſcimus, atque illuſtrium Virorum elogia, in quibus ingenium cum brevitate certat. Alias quoque artes pingendi, ſculpendi, ædificia & munimenta ſtruendi, navigandi, incidendi in æs, &c. ad ſupremum plane faſtigium deductas videmus. Unde autem tantus Philologiæ proventus? mentiar, ſi non dicam, a Critica bene ordinata hæc omnia proficiſci. Prodierunt enim ſeculis noſtris homines ſupra vulgus ſapientes, ſanæ intelligentiæ, & critices luminibus pleni, qui artes & ſcientias ſingulas, uti antehac traditæ cultæque fuerunt, quam diligentiſſime obſervantes, deprehenſos Veterum errores ſuſtulerunt, & novis legibus ad eas perficiendas conſtitutis perpoliverunt, nihilque reliquerunt intentatum, donec ad ſummum ſplendorem eveherent. Non diſſimulabo heic forte illud, quo ad hæc grandia molimina Critice uſa eſt, præſidium, nempe *Ephemerides ſapientum*, *Acta Eruditorum*, *Narrationes Reipublicæ literariæ*, *Monumenta ad hiſtoriam ſcientiarum & bonarum artium*, *&c.* In his enim, quæ per Eruditorum manus quotidie circumeunt, omnis generis ſcripta cum Auctoribus ſuis compendio recenſentur; produntur nova quæque inventa,

ta, doctæ obſervationes adjunguntur, adſperguntur Critica monita; verbo, erudita negotiatio cum toto orbe literato inſtituitur & ſuſtinetur. Tantæ rei primipilus fuit Dionyſius de Sallo, Courteriacenſis Dynaſta, natus Pariſiis an. 1626. e pervetuſta Pictavienſium familia oriundus, & ſupremæ Curiæ Pariſienſi, quam *Parlamentum* vocant, a Conſiliis. Hic primam lucubrationem, velut operis totius ideam, in lucem emiſit 1664. eique titulum præfixit: *Ephemerides ſapientum*. Sed quum diſpliceret quibusdam doctis nimia Criſeos licentia, reliquos ingenii ſui partus reliquit Joanni Galloiſio Abbati, qui amœniore ſtilo, minusque acri eos elaboravit, habita ſolum memorabilium e libris extrahendorum ratione. Exemplum hoc ſecuti ſunt aliarum quoque nationum Viri eruditi: Angli anno 1665. ediderunt *Ephemerides Philoſophicarum Tractationum*. Romani duce Franciſco Nazario Bergamenſi, Philoſophiæ Profeſſore in Collegio Romano *Sapientia* dicto an. 1666. initium dedere *Ephemeridibus Literatorum*. Lipſienſes auctore Ottone Menchenio, Oldenburgenſi, Academiæ Decemviro an. 1682. fundamenta jecerunt Ephemeridum, quas *Acta Eruditorum* nuncuparunt. Batavi *Narra-*

rationes Reipublicæ literariæ modicis libellis comprehenſas inſtituerunt an. 1684. quibus præluxit famoſus Petrus Baylius. Præ reliquis autem celebres ſunt Ephemerides Trevoltienſes, an. 1600. inchoatæ juſſu & patrocinio Ducis Cenomanenſis, qui ad hunc doctiſſimum laborem, ſcilicet *Monumenta ad hiſtoriam ſcientiarum & bonarum artium* Patres Collegii Pariſienſis e Societate JEſu ſelegit, e quorum numero PP. Renatus Tourneminius, Bartholomæus Germonus, & Macharius conſtantem operam navarunt, reliquis per vices ſuccenturiatis in hanc uſque diem. Credi vix poteſt, quantum emolumenti ex hujuſmodi Ephemeridibus tanquam ex divite cornucopiæ Critices Philologiæ accreverit.

XIV.

IV. Redacta in ordinem literatura manſuetiore ad Hiſtoriam qua profanam qua ſacram in jus vocandam ſe accinxit Critice. Et ſane ampliſſimum heic campum laboris ſudorisve nacta eſt. Nam ſquallida triſtisque facies hujus artis humano generi tam exoptandæ, utilis ac pene neceſſariæ, ante Criticam fuit; ita innumeris mendis & nævis, dubiis narrationibus & fabulis, chronologiæ ac geogra-

graphiæ vitiis, velut ager patentiſſimus zizaniis, referta erat. Non pauci enim e græcis ſcriptoribus, ut fert eorum indoles ad metiendum prona, commenta plurima tanquam teſtatiſſimas hiſtorias nobis vendiderunt: e latinis vero ſatis multi, nimium credula gens, quidquid aura populari circumferebatur, & ex Ægypti ac Thebaidis antris emergebat, vix ullo examine præmiſſo vulgabant. Quidam hiſtoricorum omnino falſa narrarunt ſive aliena fraude decepti, ſive inſtituto ſuo decipientes. Aliqui male conſultis additamentis etiam ea, quæ vera ſunt, corruperunt. Alii quibusdam, quæ circumſtant, magni momenti rebus omiſſis vel ſaltu ſuperatis partem duntaxat, non integram hiſtoriam tradidere, atque ita mancam & hiatibus plenam reliquerunt. Hic expers chronologicæ ac geographicæ notitiæ tempus & locum, ubi & quando res geſta ſit, veluti lubens præterit, quod tamen ad fidem faciendam plurimum conferre ſolet: Ille vel addit quædam e cerebro ſuo, vel nimium elevat res geſtas, atque ita narrationem totam vero minus ſimilem, aut omnino dubiam reddit. Non raro etiam ſcriptores ipſi in eodem argumento, atque iis, quæ illud comitantur, a ſe invicem multum diſſi-

 dent,

dent, ita ut verum a falſo, & certum ab ancipiti diſcernere haud valeas. Igitur in negotio tam impedito ad veritatem, quam proxime fieri poteſt, inveſtigandam neceſſe fuit adhibere Criticam, ejuſque ope variorum Auctorum teſtimonia inter ſe conferre, in utramque partem acri judicio expendere, atque inde iis, quæ dubiæ fidei ſunt, aut probabilius confictа, reſciſſis fidelem atque ſinceram factorum expoſitionem conficere. Ab hoc autem judicio & tribunali duplex genus hominum eſt arcendum: primum eſt indoctorum & levis ingenii, ad quorum guſtum plus, quam probatiſſimæ vetitates, faciunt antiquæ fabulæ, quibus aures & oculos ſuos paſcere dudum conſueverunt, dummodo novitatem aliquam vel quid mirabile redolere videantur: alterum ſemi-doctorum, qui ultra modum ſapiunt, & adfectata ſuperſtitione quadam nulli in regno hiſtorico narrationi locum concedere volunt, quæ non quaſi oculis videri, & manibus palpari queat; quique ab hiſtorico demonſtrationes exigunt, vix non geometricas.

Hæc Criticæ neceſſitatem circa hiſtoriæ monumenta univerſe ſatis ſuperque ſuadent: multo magis vero, ſi de Eccleſia-

ſiaſtica ſermo ſit. Nam in iſta difficultates occurrunt & plurimæ, & ferme ineluctabiles, eoque graviores, quo e lapſibus non ſolum veritati, quemadmodum in profana, ſed fidei quoque, morumque diſciplinæ non raro præſens periculum imminet. Hac in re certum eſſe videtur ex una parte, non omnes Traditiones, quas antiqui ſcriptores, plus ſæpe a ſimplicitate quam ab eruditione commendandi, ſtipato agmine nobis obtrudunt, abſque veritatis diſpendio recipi poſſe; ex altera vero, ſine urgente neceſſitate, ac ſine gravibus rationum momentis id ſuadentibus ob præjudicatas duntaxat opiniones aut novandi ſtudium citra piaculum ab iis non eſſe recedendum. Errant igitur, tum qui omnes novitates fugiendas eſſe obſtinato ad vetuſtatem ore proclamant, tum qui priſcas, ut vocant, nænias nauſeante ſtomacho nova continuo ructare cupiunt. Exquirere diligenter veritatem veteris memoriæ ingentem adfert utilitatem: ſed eſt ipſa inquirendi ratio perdifficilis. Nihil non admittere, atque omnia repudiare æque perverſum eſt: perverſiſſimum autem omnium (id quod quidam ſcioli faciunt) fidem iis, quibus omnes mortales ad hanc uſque diem adſenſi ſunt, teme-

mere ac ſine judicio abrogare, atque ex incenſo Dianæ templo cum Heroſtrato famam aucupari. Unde ſi qua in re alia, certe in Eccleſiaſtica hiſtoria opus eſt ſobria accurataque criſi, ſeu facultate diſcernendi, quantum diſtent æra lupinis. Neque ſingulis propemodum ſeculis defuere magni Scriptores, iique Critici, qui Eccleſiaſticam ſuorum temporum hiſtoriam adornarunt: horum tamen characteres admodum diverſi ſunt; ſed noſſe illos plurimum intereſt. Ex antiquioribus inſigniores fuerunt Euſebius, Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, Nicephorus. *Euſebius* Cæſareenſis Epiſcopus, natus circa annum 270. Eccleſiaſticam ſcripſit hiſtoriam, Chronicon, vitam Conſtantini M. Præparationem & Demonſtrationem Evangelicam, &c. quibus in libris prima tria ſecula ad uſque Conſtantinum M. & in iis Eccleſiæ naſcentis exordia & incrementa, Epiſcoporum ſibi ſuccedentium ſeriem, clarorum Virorum res eximie ſanèteque geſtas, tyrannorum ſævitiem, & Martyrum victorias complexus eſt. *Ruffinus* Aquileienſis Presbyter & Monachus, qui floruit circa annum 390. præter alia Commentaria Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros duos concinnavit, quos Euſe-

ſebii hiſtoriæ in latinum idioma translatæ adjecit, a Conſtantino M. uſque ad Theodoſii Imp. obitum. *Socrates* cognomento Scholaſticus, & Hermeas *Sozomenus*, patria Salaminius, eodem tempore, ſeculo videlicet V. vixerunt, ſcripſeruntque res actas in Eccleſia a Conſtantino M. uſque ad Theodoſii Junioris Conſulatum XVIII. *Theodoretus* Cyriæ in Syria Epiſcopus, S. Cyrillo coævus eodem ſeculo V. hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam uſque ad Theodoſii Junioris tempora deduxit, quæ prioris a Socrate ac Sozomeno conſcriptæ complementum dici poteſt. *Evagrius* Scholaſticus Epiphanienſis, non ut alii tradunt Antiochenus, natus an. 536. ſex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ librorum Auctor eſt, initio inde ducto, ubi Socrates, Sozomenus & Theodoretus finierunt. *Nicephorus Calliſtus* Græcus, Monachus S. Sophiæ, ſeculo XIV. e priorum ſcriptis ſuam contexuit hiſtoriam Eccleſiaſticam libris viginti tribus a Chriſto nato uſque ad annum 911. extenſam. Verum hi omnes nævis & erroribus non carent, aliqui etiam abundant. Euſebius quamvis permagnam rebus Eccleſiaſticis lucem aſperſerit, quandoque tamen falſitatis arguitur, & dubiæ, ſi non omnino malæ fidei, nec immerito, quum Arianis parti-

tibus palam addictus fuerit, propterea Arianus ab Athanaſio, & ab Hieronymo Arianorum ſignifer & princeps adpellatus, & ut talis a ſynodo VII. (p) rejectus. Ruffinus ſatis accuratus & diligens fuit in conſcribenda ſua hiſtoria, a D. Hieronymo tamen novorum dogmatum poſtulatur, utpote nunc Origenis, nunc Pelagii fautor: quod Hieronymi judicium confirmavit Gelaſius Papa dicens: *Quoniam D. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa ſentimus, quæ D. Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Socrates & Sozomenus non ſemel a via veritatis aberrarunt, maxime ubi de ſecta Novatiana loquuntur, qua erant infecti; præterquam quod hi ambo Hiſtorici ſcriptorum quidem affinitate juncti, multum tamen inter ſe in opinionibus diſſideant.

Theodoretus multa egregie ſcripſit: libri XII. adverſus Gentiles ſummo in pretio habentur, quos caſſo labore hæretici in dubium vocant. In ejus hiſtoriam tamen referente Dupino (q) non pauci errores irrepſerunt; ſeu proprio ſeu alieno vitio, non ſatis conſtat. Evagrius ca-

(p) *Actione quinta.*
(q) *Tom.* 3. *part.* 2.

ꝯæteroqui peculiaris accurationis ſcriptor n recenſendis pluribus factis nimiæ creſulitatis, & pronioris ad fabulas indolis ccuſatur. Nicephorus demum frequenia quidem commenta & quiſquilias e ubleſtæ fidei Auctoribus conquiſitas aderꝫ: temere tamen a Cauſabono & aliis on pluris *quam folia farfara* æſtimatur, uando in vilibus illis pannis non rao pretioſa purpura intertexta invenitur. Iæc de ſcriptoribus Eccleſiaſticæ hiſtoiæ antiquioribus, in quibus purgandis lurimum laboris habuit, quem inſumeet recentior Critica. Hanc Veterum nonumentis adjuti exercuere Viri clariſimi: Magnus ille Baronius, non ſolum le hiſtoria, ſed de tota quoque Eccleſia Annalibus ſuis optime meritus inter cæeros eminuit; quamvis autem recondiæ eruditionis theſaurum ejus volumina n ſe contineant, fateri tamen oportet, nulta poſtmodum e bibliothecis ac MSSis ruta fuiſſe, Baronio ignota, nec pauca otis ac ſupplementis partim correcta, artim illuſtrata a doctiſſimo Pagio, & ruditiſſimo Emmanuele Schelſtraten. Secuti ſunt Baronium Abrahamus Bzovius, Polonus e Familia D. Dominici, & Henicus Spondanus Epiſcopus Appamienſis n Gallia, ille perſequendo Annales, hic

in

in ſynopſin redigendo. Uterque Vir erat multæ ſcientiæ, vaſtique ingenii: priori tamen vitio vertitur, quod plus de Ordinis ſui, quam de Eccleſiæ rebus geſtis enarrandis ſolicitus fuerit: Alter in Auguſtino Torniello contrahendo, quam in Baronii hiſtoria continuanda felicior fuiſſe perhibetur. Horum veſtigiis præclare inſtitit Odoricus Raynaldus, Presbyter Congregationis, quæ *Oratorium* dicitur, qui ab anno 1198. quo finiit Baronius, uſque ad milleſimum quingenteſimum trigeſimum quartum Eccleſiaſticam hiſtoriam deduxit octo Tomis, dum viveret, editis. Eandem diverſis quidem viis, ſed eodem Critices ſtudio ad ſublimem gradum evexere Alexander Natalis in ſelectis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus: Ludovicus Dumeſnilius S. J. in doctrina & Diſciplina Eccleſiæ, ipſis verbis SS. Codicum, Conciliorum, Patrum, & Veterum genuinorum monumentorum digeſta: Godavius Grinicenſis Epiſcopus: & Claudius Fleurius ſupra laudatus.

§. III.

§. III.

Criticæ ſtudium circa Theologiam & Concilia.

XV.

V. Modo ad ſublimiora gradum faciamus: in his ampliſſimum ſane campum ad vim virtutemque ſuam exerendam invenit Critice. Atque inprimis in Theologia, cujus tres veluti epochas diſtinguere oportet. Prima fuit *Theologia Patrum*, quales præcipui fuere Auguſtinus, Ambroſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Athanaſius, Cyrillus, &c. qui doctrinam ſuam ſacris Literis ſuperſtruxere, atque ſcientiam tum ad erudiendos fideles, tum ad refellendos hæreticos neceſſariam ex ipſo Bibliorum fonte hauſerunt. Nam uti olim dicta Sophorum practica, moralia, & ingenioſa Theologiam Græcorum ac Romanorum, ita in Eccleſia Patrum doctæ interpretationes, graves ſententiæ, ac ſana dogmata Chriſtianam conſtituebant Theologiam. Hic mos tenuit fere uſque ad ſeculum VIII. Altera erat epocha *Theologiæ Scholiaſtarum*, inter quos Taio Cæſarauguſtanus Epiſcopus, V. Beda,

Alcuinus, Rabanus, Maurus, aliique ejuſdem ætatis, qui vaſtis Patrum operibus in ſynopſin redactis, atque Scripturarum ſcholiis & commentariis Theologicam doctrinam complexi ſunt; quæ methodus invaluit, duravitque circiter uſque ad ſeculum XII. Tertia demum fuit *Theologia Scholaſticorum*, cui præluſerunt ſeculo IX. S. Damaſcenus opere in quatuor volumina diſtributo de *Fide Orthodoxa*, & ſeculo XI. D. Anſelmus doctiſſimis libris *Cur Deus-Homo: de proceſſione Spiritus ſancti: de voluntate Dei: de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis, ac gratiæ Dei cum libero arbitrio: de peccato originali, &c.* At ſeculo, quod dixi, duodecimo diſperſas Patrum, aliorumque Doctorum ſententias colligere cœpit, ordinareque quatuor libris Petrus Lombardus, propterea dictus *Magiſter Sententiarum*, quem ſecuti ſunt Alexander Alenſis, D. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Thomas de Vio ſeu Card. Cajetanus, Franciſcus Suarius, aliique quamplurimi omnis Ordinis ad hæc uſque tempora: Hæc Theologia continet, quidquid ad Deum, ad Chriſtum, ad Angelos, ad fidem, ad gratiam, ad virtutes, ad Sacramenta pertinet, & Scholaſtica dicitur, tum quia in ſcholis civitate do-

nata eſt, tum quia circa materias has ſcholaſtica, id eſt, ſubtili ac contentioſa verſatur methodo, quum non ſolum auctoritate S. Scripturæ, Conciliorum & Patrum, verum etiam ratione humana certis legibus circumſcripta innitatur. Jam vero omnibus his tribus Theologiæ generibus liberaliter ſe indulſit Critice: primis quidem duobus, dum in eorum opera genuina inquiſivit, rejiciendo ſatis multa, quæ falſo aut temere Patribus tribuebantur: vindicando eorum ſcripta ab ineptis ſenſibus & dogmatibus, quos vel ignorantes quidam Catholici, vel male feriati hæretici illis affingebant: opera inedita in lucem producendo: alia a nævis ſubdole inſperſis purgando, procurandoque e MSSis in ſubſidium vocatis emendatiſſimas editiones. In tertio autem Theologiæ genere, nempe Scholaſticæ, in quam ſuccedentibus temporibus multæ quæſtiones inutiles, tricæ dialecticæ, & nata in cerebro ſyſtemata irrepſerunt, neglectis Patrum, Conciliorum, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtimoniis ac monumentis, Critica plus habuit, quod ageret, nimirum ut extirpatis hiſce ſubtilitatum & heteroclitarum opinionum ſentibus eam purgaret. Hinc locos Theologicos melius conſulere, Patres qui per lites ſcho-

laſticas in minori pretio habebantur, diligentius evolvere, Conciliorum authoritate firmare dogmata, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ documentis ſententias locupletare, argumenta inſtruere docuit ita, ut non dominaretur ratio, ſed ſacræ Doctrinæ ancillari aſſueſceret. Non enim rationis uſus eſt repudiandus, quamdiu terminos non egreditur, ſed ſemetipſam dogmatum fidei intelligentia definit. Qua in re inſignem operam præſtiterunt Melchior Canus, Dionyſius Petavius, Thomaſinus, Honoratus Tournelius, Edmundus Simonet, Petrus Annatus, & noviſſime Antoineus, aliique qui Theologiam Dogmaticam excoluerunt. Hoc Criticæ beneficium fuit, non illius, quæ pueriliter Scholaſticæ inſultat, uti levioris armaturæ Critici quidam ſeculo noſtro faciunt, ſed ſobriæ, prudentis ac circumſpectæ, quæ rem hanc ſummi momenti ad pondus *Sanctuarii* examinare novit.

XVI.

VI. Porro Conciliorum notitiæ plurimum profuit, eamque mirum quantum amplificavit eadem Critice. Sunt enimvero Concilia firmiſſimum fidei tum adverſus hæreticos tuendæ, tum in Catholicorum animis ſtabiliendæ præſidium, ut-

po-

pote quibus legitime convocatis ipſe Spiritus S. veritatis omnis Magiſter ſecundum Chriſti promiſſum adſiſtit. *Nullibi melius*, ait Illuſtriſſimus de Marca (r) *fides univerſalis Eccleſiæ ſolet apertius explicari, vel ſplendidius eminere, aut ſecurius prædicari, quam in compendio univerſalis Eccleſiæ, quæ conciliis generalibus repræſentatur.* Eorum decreta, quæ Canones vocantur, ſemper ab orbe Catholico tanquam fidei oracula, & morum regulæ fuerunt exceptæ, ſummaque in veneratione habitæ. Ut igitur in omnium oculis verſarentur, & omnium tererentur manibus exactiſſima & incorrupta eorum exempla, incomparabili Eccleſiæ bono effecerunt Viri docti & Criticæ periti, ut non ſolum omnino emendatæ ac integerrimæ, verum etiam ſplendidiſſimæ tot editiones prodirent qua *Generalium & Oecumenicorum*, qua *Nationalium ac Provincialium* Synodorum, identidem productis in lucem quibusdam, quæ hactenus oblivione ſepultæ jacebant. Neque heic tantum ſtetit eorum labor: doctiſſimis eas notis, & hiſtoricis, chronologicis ac theologicis diſſertationibus illuſtrarunt, & ſacratorum Ca-

(r) *Concord. Lib.* 5. *C.* 8.

Canonum ſeriem atque concordiam reſtituerunt, ita ut nihil jam in hoc genere perfectius, magisque abſolutum deſiderari poſſe videatur. Non erit abs re, grandem hunc adparatum in conſpectum dare, & quidem e paginis nuper admodum anno 1758. vulgatis ab Antonio Zatta, Typographo Veneto, quæ titulum præſeferunt: *Conſpectus noviſſimæ ac omnium locupletiſſimæ ſacrorum Conciliorum editionis.* Hæc paucis, quæ ad chronologiam & hiſtoriam pertinentia adjungo, exceptis ſic habent: Prima poſt typographiam inventam Conciliorum editio fuit, quæ a Jacobo Merlino Eccleſiæ Pariſienſis *Pœnitentiario* an. 1524. adornata eſt, duosque Tomos complectebatur, quæ deinde per Petrum Crabee, Mechlinienſem *Minoritam* inventis plusquam quinquaginta Conciliorum MSSis aucta tribus voluminibus Coloniæ prodiit an. 1538. & amplior adhuc reddita an. 1551. . . . Laurentius dein Surius novam Coloniæ vulgavit an. 1567. quatuor tomis, qui non ſolum aliquot locorum mllibus ad Manuſcriptorum Codicum fidem diligenter collocatis, verum etiam *Conſtitutionibus* Apoſtolicis, plurimisque aliis Antiquitatis Ecaleſiaſticæ, monumentis, quæ ad id uſque tempus deſi-

de-

derata fuerant, Conciliorum theſaurum locupletavit. . . . Surianam excepit Veneta in quinque tomos diſtributa an. 1585. & Venetam Græco - Latina Conciliorum Generalium a quibusdam Romanis Eruditis in lucem data an. 1608. quatuor voluminibus. . . . Decem elapſis annis ſecuta eſt Biniana, quæ nimirum Severini Binii Canonici Colonienſis opera prodiit Coloniæ, anno quidem 1618. in novem, anno 1636. in decem tomos diviſa, notis & ſcholiis plurimis illuſtrata. Has omnes & voluminum numero, & auguſto chartæ ac typorum adparatu antecellit Regia, quæ in triginta ſeptem tomos diffuſa anno 1644. Pariſiis comparuit. Interea Generalium Conciliorum collectionem primum Lovanii an. 1665: dein Bruxellis anno 1673. quinque tomis ſubminiſtravit Chriſtianus Lupus O. S. A. ſed Regiam, de qua dixi, proxime duæ aliæ ſubſecutæ ſunt, quæ licet voluminum numero huic Regiæ cedant (minutioribus quippe typis expreſſæ) tamen documentorum ad pleniorem Conciliorum hiſtoriam pertinentium, & ipſarum Synodorum copia Regiam longe ſuperant. Prior eſt, quam Vir clariſſimus Philippus Labbeus S. J. aggreſſus eſt, & operi immortuus Gabrieli Coſſartio ejusdem Inſtituti perficiendam

reliquit: Poſterior, quam Joannes Harduinus S. J Presbyter juſſu Gallicani Cleri Pariſiis an. 1715. regiis typis vulgavit. Quæ quidem in eo ſummopere commendanda eſt, quod plurima exhibeat venerandæ antiquitatis monumenta, cæteris *Collectoribus* prorſus incognita, quod quamplurima, quæ in Labbeo mutila & vitiata occurrunt, integra reddat & emendatiora, & tandem, quod notis brevibus quidem, ſed appoſitis & eruditis omnia pene illuſtrata ſint. Quia tamen Harduinus ſolis Actis Conciliorum vulgandis intentus, quamplurima, quæ vel ſuppoſititia cenſuit, vel quæ proprie non ſunt Acta Conciliorum, ſed vel appendices, vel additamenta, vel Conciliorum *Summaria*, quæ priores editiones, & præcipue Labbeana proferebant, reſecta voluit & omiſſa; hinc ex eruditis quamplurimi eam velut mancam ac mutilam improbarunt, neceſſitatemque ſibi impoſitam conqueſti ſunt etiam alteram Labbeanam non ſine graviſſimis ſumtibus comparandi. Cui quidem incommodo ut occurrerent noſtri Veneti Bibliopolæ Albitrius & Coleti, conſilium ceperunt novam Conciliorum collectionem cudendi, & Labbeanam & Harduinianam ita componendi, ut quæ Labbeus & Harduinus

ſeor-

ſeorſim ediderunt, in unum corpus redigerent Conciliorum, & ſi qua præterea vel ex Manuſcriptis, vel ex editis Codicibus aliunde arceſſi poſſent, insererent. Quod quidem Nicolai Coleti, Veneti Presbyteri, Viri eruditiſſimi opera ita abunde præſtiterunt, ut intra ſexennium novam ac locupletiorem editionem viginti tribus tomis abſolutam orbi erudito præbuerint: in qua non ſolum ea omnia, quæ Labbeus habet & Harduinus, congeſta ſunt, ſed & alia bene multa ex Baluzio, Martene, Cardinali de Aguirre, Beſſin, Petro de Marca, Lunigio, Mabillonio, Ughello, Pagio, Chriſtiano Lupo, aliiſque Auctoribus huc translata, quæ ſuis locis optime diſpoſita conſpiciuntur. Perfecta hucuſque, & numeris omnibus abſoluta videri poterat Conciliorum collectio, quum Vir clariſſimus P. Joan. Dominicus Manſi tot illuſtrium Virorum in colligendis Conciliis induſtriam & eruditionem æmulatus ſex ſupplementorum tomos nuperrime vulgavit, in quibus ſexcenta & amplius Concilia in prioribus editionibus omiſſa in lucem protulit; præter innumera alia, quæ vel manuſcriptorum Codicum ope reſtituit ac emendavit, vel conquiſitis undequaque optimæ frugis monumentis ſupplevit, vel no-

notis criticis, hiſtoricis ac chronologicis, & eruditis etiam quandoque diſſertationibus illuſtravit. Unde rem non ingratam maximeque utilem in literatorum gratiam nos facturos putamus, ſi novam ſacrorum Conciliorum collectionem vulgandam aggrederemur, in qua præter ea ſingula, quæ Labbeus & Harduinus, & noviſſime Nicolaus Coleti ſuis collectionibus inſerta voluerunt, ea etiam exhiberemus ſuis locis optimo ordine diſpoſita, quæ Vir Clariſſimus (nempe Manſius) vulgavit, quæque inde ſe daturum pollicetur, & quamplurima alia, quæ magno ſtudio conquiſita quamplures Eruditi Viri nobis exhibuerunt, & indies exhibenda ſperamus. Hucuſque ante memorati Typographi Veneti præfatio ad noviſſimam & locupletiſſimam editionem ſacrorum Conciliorum, quæ ſub prælo ſudat, & e qua lector facile totam editionum priorum, tantique moliminis ſeriem intelligere poteſt, quam profecto Virorum præſtantium Criticæ debemus.

§. IV.

§. IV.

Criticæ ſtudium circa Martyrum & Sanctorum Acta, nec non Patrum & S. Scripturæ Codices.

XVII.

VII. A Conciliis ad Acta Martyrum & Sanctorum curioſius examinanda, majoreque cum fide poſteris exhibenda ſe contulit Critica, non ſine ſudore, laboreque immani. Vix enim ullum Veterum ſcriptorum genus eſt, cui barbaries, ignorantia, fingendi libido, & ipſe religionis zelus inconſultus tantam ſtragem intulit, quantam huic, videlicet Actis Martyrum & Sanctorum. Fuerunt enim non pauci ſcriptores Catholici (ut de hæreticis nihil dicam, ſacra quæcunque mendaciis corrumpere dudum adſuetis) ſcriptores inquam Catholici, qui piis fabulis & prodigiis multiplicandis plus ſtudebant, quam veritati inveſtigandæ, tradendæque: quidam de temporum epochis & locorum rationibus obſervandis parum ſolliciti innumeris dubiis & diſceptationibus anſam præbuere: aliqui pro arbitrio ſuo ſanctis ignotis nomina impoſuerunt, quin & ex nominibus San-

ctos Sanctasque formarunt: Alii varia crudelitatis genera, & quaſi artificia tyrannorum commenti ſunt, ut majori cum admiratione ac ſplendore Martyres in theatrum producerent: Alii demum dialogos & ſermones a vero multum abhorrentes, & inuſitatos eventus incerto populi ore vulgatos, & SS. Martyribus pene inutiles excogitarunt, uti loquitur Fleurius. (s) Atque rei hujus cauſſa fuit haud alia, quam quod ſcriptores iſti male creduli regulis Critices deſtituerentur, quarum ope commenta a probatis hiſtoriis, ſuppoſititios partus a genuinis prolibus, & narrationes ſinceras ab incerta fama in vulgus diſſipata internoſcerent, & vera Martyrum Sanctorumque Acta diſcernerent a fictis. Noſſe enim oportet, Diocletiani furorem eo progreſſum fuiſſe, ut non ſolum in corpora Chriſtianorum, ſed etiam in ſacros Codices & Scripturas eorum ſæviret. Nam hujus edicto ſub annum 303. Biblia cæteraque Religionis Chriſtianæ monumenta & Acta, quotquot reperiri poterant, igne abſumta fuerunt. Hanc cladem triſtiſſimam reſarcire quidem conatus eſt reddita ſub Conſtantino M. Eccleſiæ pace Euſebius Cæſareenſis, qui ex adverſa-

(s) *Hiſt. Eccleſ. Tom. 13. in præf.*

is Pamphili, illuſtris Martyris, cui
citia junctiſſimus erat, communi fato
tractis acta veterum Martyrum ſtu-
ſe collegit, cujus tamen voluminis
niſi epitome aliqua ſupereſt: quin &
libro Martyrum hiſtoriam complexus
idem Euſebius, ſed illorum duntaxat,
temporibus illis in Palæſtina ſangui-
n pro Chriſto fuderunt. Poſtea vero
ceſſere ſcriptores quidam, ut dixi, ma-
creduli, qui quæcunque a Majoribus
de Martyrum & Sanctorum geſtis
rari audierant, vel non bene deſcri-
legerant, additis non raro e penu
epiſodiis, temere libris ſuis inſerue-
t. Ita vera & falſa ſine diſcrimine
a Sanctorum copioſe in Eccleſia fuere
ltiplicata, non ſine multorum ſupra
gus ſapientium juſtiſſimis querelis, de-
antium tot vero minus ſimilia, tot
ota, quin & falſa in negotio tam ſan-
per Eccleſias ſpargi ac circumferri.
cem igitur in meſſem non alienam
ſuam immiſit Critica. Duo ſolum
i ſpecimina profero, cæteris illuſtriora.
num eſt inſigne opus, ſeu *Acta pri-
um Martyrum ſincera & ſelecta*, quod
P. Theodoricus Ruinartius O. S. B.
Congregatione S. Mauri typis dedit
iſiis an. 1689. cujus breve elogium
ſub-

ſubminiſtrat Honoratus, (t) dum ait: *id complecti, quidquid carius & pretioſius Eccleſia poſſidet ſecundum Scripturam.* Alterum ſunt *Acta Sanctorum*, quæ non ſolum Martyrum geſta produnt, ſed aliorum quorumcunque, quotquot toto orbe coluntur, vel a Scriptoribus Catholicis celebrantur, uti titulus operi præfixus loquitur. De his inquit idem Honoratus: „Una profecto erat Societas JEſu, quæ „tantum munus ſuſciperet atque perſol„veret: Societas inquam amplitudinis „ſummæ atque ſapientiæ, ardentiſſimo„que incenſa ſtudio nos ad ea inſtituen„di, pro quibus æterna præmia prome„riti ſunt Sancti.„ Juvat magni operis hujus originem & progreſſiones paucis deſcribere. Heribertus Roſweidus Ultrajectenſis S. J. natus an. 1589. animum adjecit ad vitas Sanctorum e probatis antiquorum monumentis integritati ſuæ reſtituendas, quod conſilium ſedecim voluminibus perficere conſtituit: ſed primo abſoluto & in lucem edito morte præventus aliis laborem iſtum relinquere coactus eſt. Hujus in locum ſuffectus Joannes Bollandus Belga, natus Tillemontii anno 1596. ejusdem Societatis, aliud magis arduum amplumque inſtitu-

tum

(t) *Diſſert.* 1. *Tom.* 1.

tum meditari cœpit, ſcilicet memorata Sanctorum Acta per ſingulos anni menſes diſtributa. Comparuit primus Tomus an. 1643. Auctore Joanne Bollando, & Godefrido Henſchenio adjuvante, quos poſtea plures in eodem eruditiſſimo labore ſecuti ſunt, nimirum Daniel Papebrochius 1668. . . . Franciſcus Baertius & Conradus Janningus 1685. . . . Joannes Baptiſta Sollerius 1709. . . . Joannes Pinnius 1719. . . . Guilielmus Cuperus 1723. . . . Petrus Boſchius 1725. . . . Joannes Stiltingus 1741. . . . Joannes Limpenus & Joannes Veldius 1746. . . . Conſtantinus Suyskenus 1748. . . . Joannes Perierus 1750. . . . Urbanus Stickerus 1755. . . . Joannes Cleus 1757. . . . Porro Januarius menſis complectitur tomos II. Februarius III. Martius III. Aprilis III. Majus VIII. Junius VII. Julius VII. Auguſtus VI. September VII. uſque ad annum 1760. quo hæc ſcribo. Univerſe ſunt Tomi quadraginta ſex: totum vero Opus a prima ſui editione facta anno 1643. in hanc diem continuatum periodum annorum centum & ſeptendecim conficit: non adnumeratis tomis tribus, qui titulum præſeferunt: *Theſaurus Antiquitatis Eccleſiaſticæ*, in quibus Diſſertationes, Tra-

cta-

ctatus, Diatribæ & Exegeſes, atque nonnulla venerandæ Antiquitatis tum ſacræ tum profanæ monumenta continentur, per priores Tomos diſperſa. His elogium ſubnecto, non domeſticum ſed exterum, quod ex actis Eruditorum Lipſienſium recitat Honoratus his verbis:
„ Recondita atque ampliſſima eruditio,
„ perſpicax intelligentia, labor aſſiduus ho-
„ rum illuſtrium Jeſuitarum perſpicua ſa-
„ tis fiunt conſideranti, ipſos in diutur-
„ no hoc moleſtoque opere factorum in
„ uniuscujusque Sancti vita relatorum
„ veritatem ad trutinam revocaſſe, ob-
„ ſcuros textus eruditis adnotationibus
„ explanaſſe, difficultates chronologicas
„ expediviſſe, pluraque alia perficiendo
„ huic operi neceſſaria addidiſſe. Quan-
„ tum denique in Critice accurationis
„ eſſe poteſt, tantum ipſi ad vera & fal-
„ ſa monumenta internoſcenda traduxe-
„ runt. Miraberis in eo exquiſitam quo-
„ ad infinitos pene, de quibus loquun-
„ tur, regionum & factorum inquiſitio-
„ nem multa minutatim narrata, quæ an-
„ tehac apud Hiſtoricos compendio tan-
„ tum legebantur; habitam mentionem
„ complurium Principum, Epiſcoporum,
„ Provinciarum, Urbium & Monaſterio-
„ rum, quæ nunquam fando pene audita
„ fue-

„ fuerunt; quum neque hactenus editæ „ fuerint non paucæ hujus collectionis „ vitæ. Apponuntur tandem multæ ta„ bulæ Alphabeticæ, quarum aliquæ ad „ hiſtoriam, & geographiam, aliæ vero „ ad nomina propria resque pertinent. „ Ex quibus univerſum licet conjicias, „ Acta Sanctorum eodem tempore abſo„ lutam Eccleſiæ, omniumque fere regno„ rum orbis noti hiſtoriam complecti. In „ fronte cujuslibet Tomi nonnulla repe„ ries Opuſcula, & Tractationes ſcitu & „ animadverſione dignas, neque antea „ typis commiſſas. „

XVIII.

VIII. Demum poſt tot exantlatos in omni literarum genere labores ars Critica vix non limites, ſi quos tamen habet, ſupergreſſa, etiam Patrum & Bibliorum Codicibus ſe indulſit incredibili conatu. Huic certe debemus tot Patrum opera ab innumeris mendis, quæ vel librariorum ignorantia & oſcitantia, vel heterodoxorum fraude irrepſerunt, expurgata: opera quæ illis male ſuppoſta fuerunt, detecta: quæ vero velut furtive ſubtracta, legitimis dominis reſtituta: opera a græco in latinum idioma fideliter translata, & plurimis notis, ſcholiis,

ac eruditis diſſertationibus interpolata. Huic debemus S. Scripturas ad primos fontes linguarum Orientalium beneficio revocatas: argumenta, charactères, dotes, & Auctores librorum *Canonicorum* criticis obſervationibus palam factos: ſenſum *Literalem*, *Allegoricum*, *Moralem* & *Anagogicum* doctiſſimis Commentariis explicatum. Huic denique debemus & Patrum & Bibliorum editiones diverſis in linguis, Hebraica, Græca, Syriaca, Chaldaica & Latina accuratis nitidisque typis vulgatas. Quantum ad Patrum opera adtinet, eorum quidem meminerunt pridem in Catalogis ſcriptorum Eccleſiaſticorum D. Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis Presbyter, S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Photius, Sigebertus Gemblacenſis, Honorius Auguſtodunenſis, Henricus Gandavenſis, Joannes Trithemius, Poſſevinus, Aubertus Miræus, & Bellarminus, cui poſtmodum ſuas Labbeus, ſuaque ſupplementa Caſimirus Oudinus adjecit. Sed hæc fuerunt duntaxat Elenchi, & præluſiones majoris adparatus. Prima Patrum, & eorum, quæ hi ſcripſerunt, collectio comparuit Baſileæ an. 1555. unico volumine circumſcripta ſub nomine *Orthodoxographia*, anguſtis admodum finibus. Hæc poſtmo-

ꝛodum diverſis, quæ paſſim deſiderabanꝛr, ſcriptis aucta, ad octo volumina exrevit, & Margarini de la Bigne, Doctos Sorbonici, ſtudio Pariſiis excuſa proiit an. 1576. tulitque nomen *Bibliotbes Patrum.* Iſtis octo brevi alia tria voumina, nonum 1579. & decimum atue undecimum 1601. adjecta fuerunt. t necdum contenta hoc adparatu ſatis agno induſtria & ſagacitas Criticorum liam molita eſt collectionem an. 1622. oloniæ primum tomis quindecim, dein ariſiis duodecim, græco & latino idioma, quam tribus Tomis Franciſcus Cambeſius O. P. auxit: atque huic impoſitus eſt tiulus: *Magna Bibliotbeca Veterum Patrum.* andem protractis in lucem ſemper novis novisque ac pluribus Manuſcriptis, bris ineditis, & variis documentis Luduni concinnata eſt an. 1677. *Maxima Bibliotbeca Veterum Patrum & Antiquoum ſcriptorum Eccleſiaſticorum* viginti eptem voluminibus conſtans. An non axima iſta major adhuc ſit ſecutura, gnoramus.

Quod vero ad S. Scripturam ſpectat, oc ſane in ſtadio impigre deſudavit ritice. Non enim contenta, ut omnes ntiquas, quas vocant *Verſiones* ſepa-

ratis libris edendas curaret, etiam Bibliis Polyglottis conficiendis operam indefeſſam navavit, quæ ita ſunt adpellata, quod Autographos textus, & horum in aliis linguis interpretationes complectantur. Primus tanti rem momenti aggreſſus eſt Auguſtinus Juſtinianus O. P. Genuæ natus 1470. poſtea Epiſcopus Nebionenſis in Corſica. Vir hic Orientalium linguarum peritiſſimus, quas in Academia Pariſienſi inſtauravit, ſacra Biblia quinque linguis, Pſalmos vero octonis edidit, in totidem columnas diviſos: in prima textum hebraicum, in ſecunda latinam textus *verſionem*, in tertia vulgatam, in quarta græcam, in quinta Arabicam interpretationem, in ſexta paraphraſin Chaldaicam hebraicis characteribus conſcriptam, in ſeptima latinam iſtius paraphraſis *verſionem*, in poſtrema breviſſimas animadverſiones, Judæorum potiſſimum erroribus oppoſitas collocavit. Alter memoria immortali dignus fuit Franciſcus Ximenius, ſacra purpura inſignis, & mitra Toletana, natus anno 1457. Hic magno animo, majoreque ſumtu grande opus Complutenſis Bibliæ, Hebraico, Græco LXX. Interpretum, Chaldaico & Latino textu illuſtratæ inchoavit, & comparatis ingenti pretio (60000 au-

aureorum, ut fertur) adhibitisque vètuſtiſſimis MSSis intra quindecim annos perfecit. Primam illa lucèm aſpexit doctorum omnium adplauſu anno 1517. Aliam vero Philippi II. Hiſpaniarum Regis juſſu & auſpicio adornatam Antverpiæ Plantinus celebris typographus anno 1573. excudit. Secuta eſt Pariſienſis Polyglotta anno 1645. decem voluminibus, curante Guidone Michaele Jayo, Regi Galliarum a Conſiliis, ad quam Gabriel Sionita, Joannes Morinus, & Abrahamus Ecchellenſis operam ſuam contulere; Cardinalis vero Richelieus patrocinium indulſit. Iſtam excepit Anglicana tomis ſeptem conſtans an. 1660. in cujus fronte quidem nomen ſuum poſuit Briantus Waltonius, (multum indignante Jayo) ſed ſi ſextum volumen diverſis lectionibus & Criticis animadverſionibus conſpicuum excipias, vix aliquid a Pariſienſi diverſum habet. Denique Franciſcus de la Haye O. S. F. natus Pariſiis an. 2593. Biblia maxima in novendecim tomos diſtributa, & doctis Nicolai de Lyra, Eſtii, Tirini, & Menochii commentationibus exornata publico uſui expoſuit. Quanta vero quamquè eximia in S. Scripturam commentaria Critice pepererit, infinitus forem, ſi omnia enu-

merare vellem: palam faciet cæteris clariora Liber de Theologia. Hoc in loco duntaxat meminiſſe juvat Duumvirorum, qui omne punctum hoc in negotio tuliſſe viſi ſunt. Primus eſt Cornelius a Lapide S. J. Belga, natus an. 1567. qui totam fere vitam in Biblicis meditationibus conſumpſit, & decem tomos commentariorum reliquit: quantus in vaſtiſſimo opere iſto ſacræ eruditionis & doctrinæ theſaurus lateat, facilius eſt experiri ſtudio & lectione, quam exprimere verbis & calamo. Alter Auguſtinus Calmet O. S. B. qui pluribus tomis totam expoſuit S. Scripturam, adjecto etiam Dictionario Biblico, Hiſtorico-Critico-Chronologico, & Geographico: poſt varias operum horum editiones prodiit Pariſiis anno 1726. nova & luculenta, una cum diſſertationibus in ſingulos ſcripturæ libros, octo tomis abſoluta. Uterque horum immortali laude dignus eſt: prior excellit aperiendo ſenſum *literalem*, *allegoricum*, *moralem & anagogicum*: poſterior admiſcendo ubique miram omnis generis eruditionem.

CAPUT IV.

OECONOMIÆ ARTIS CRITICÆ CONTINUATIO.

§. I.

Regulæ Criticæ circa ejus principia.

XIX.

Expoſita prima Oeconomiæ parte ad alteram ut progrediamur, ordo poſcit. Conſiſtit hæc in regulis & legibus, quibus recte judicandi facultas, quæ non eſt niſi ipſa Critice, debitos intra fines continetur, tum ut circumſpecte, ſobrie ac graviter procedat, ſi quod judicium eſt ferendum; tum ut non ultra quam par eſt aut immiſceat ſe rebus, quæ ſupra ſe ſunt, aut temere ac licenter obvia quævis carpat, & præjudicatis

opinionibus ſuis infinitum in omnia ſacra & profana imperium adfectet. Sunt autem ex his regulis aliquæ, quæ ad principia Critices pertinent, & omnibus communes: aliæ quæ ad ſingularia ejusdem capita ſpectant. Porro principia hujus artis eſſe diximus (u) *Auctoritatem* & *Conjecturam*. Primum enim, quod Criticus agat, in ferenda ſuper rem quampiam vel factum aliquod criſi, eſt ut Auctores idoneos, tanquam teſtes fide dignos adducat, ſeu tales, qui acri judicio, magno in veſtiganda veritate ſtudio, ac probitate præſtanti præditi ſunt, procul a fabulis & aura populari. Quodſi, ut ſæpe contingit, auctoritas hæc deſit, ad conjecturam confugiendum erit, quæ cognitio eſt, indiciis tantummodo, non certis argumentis fulta, quæque opinionem probabilem gignit; & rem aliquam etſi non veram, veroſimilem tamen eſſe demonſtrat. Hæc talis ſit oportet, ut non longe petatur, ſed velut e viſceribus rei vel facti, nec non e pluribus inter ſe probe collatis eruatur. Verum quum non pauca ſint, quæ nec auctoritate ſatis firmare, nec conjectura propius adſequi poſſumus, alia duo prioribus principia adjungere neceſſum eſt, nimirum *Tra-*

(u) *Cap. 1. §. 3. n. 5. hujus libri.*

Traditionem, ut vocant, & *Conſuetudinem* ſive uſum plerorumque conſenſione munitum. Nam ſi quædam a priſcis temporibus profecta, per plura ſecula late propagata, doctorum æque ac vulgi animo inſederunt, nec ſolidis in partem contrariam rationibus convelli queant, magnam ſane in Critices regno vim obtinent, & argumentum ſubminiſtrant, cui temere vel pertinaciter refragari perquam difficile, ſæpius etiam periculoſum eſt. Quare initium ducam a regulis ad principia Criticæ pertinentibus, ad peculiares poſtea deſcenſurus ea ſerie, quæ primæ Oeconomiæ hujus parti omnino reſpondeat; quod dum facio, illas leges ac regulas in medium producam conjuncte ac ordinatim, quas a peritis ſcriptoribus hanc in rem ſparſim traditas, nobisque relictas invenio.

XX.

Regulæ de Auctorum teſtimonio.

I. Facta illuſtria & celebrata, quæ nihil ſupra fidem continent, & contigerunt in regione ac patria, ubi Hiſtoricus, qui ea narrat, habitavit, tanquam indubia recipi merentur ab illis ſcriptoribus, vel in quorum conſpectu geſta fuerunt,

vel qui a viris fide dignis, aut eodem ævo viventibus acceperunt, maxime ſi ſcriptores ejusmodi probitatis ac ingenii fama commendentur.

II. Si eventa quidem publica non ſint, nihil tamen fabuloſi ſecum adferant, & acciderint in regione Auctoris ea recitantis, præſertim ſi teſtes oculati vel ſynchroni adducantur, abſque hæſitatione ut vero ſimilia admittantur.

III. Si narrentur a ſcriptore eodem ævo degente eventa paucis nota, licet a communi rerum ordine nonnihil aberrare videantur, & in remotis provinciis contigerint, non iccirco rejiciantur, ſi non valde gravibus & invictis argumentis evertantur. Credi enim nec debet nec poteſt, Auctorem vel modicæ integritatis adeo frontis expertem fuiſſe, ut aliis vendere facta voluerit, quorum falſitatem ſcriptores alii ejusdem ævi facile potuiſſent detegere.

IV. Quod ſi Auctor aliquis ſit, de quo aliunde conſtat, eum plus quam oportet credulum, & fabularum amantiorem eſſe, cætera facto ſe præſentem fuiſſe teſtetur, fides ei propterea neganda non eſt, maxime ſi ſcriptores ejusdem æta-

ætatis eadem, quæ ille narrat, adnotaverint.

V. Quoties factum aliquod perhibet Auctor unus, quod a multis fide dignis impugnatur, ratio poſtulat, ut in eam ſententiam, quam plures ſequuntur, concedamus.

VI. Si unus vel duo hiſtorici publicum factum referant, cujus cæteri ne verbo quidem meminerunt, audiendus eſt is, qui refert, præ illis qui ſilent. Sæpius enim contingit, ut alii literis non mandent omnia illa, quæ in oculis cunctorum verſari ſciunt.

VII. Ubi Auctores in facti alicujus narratione variant, explorandæ ſunt diligenter eorum adfectiones, an non patriæ, aut Principi ſuo, vel ſibimet ipſis plus ſint obnoxii: illosque præferre decet, qui partium ſtudiis aut procerum favoribus non ſunt addicti.

VIII. Si duas ſententias diſcrepantes multi e Veteribus tueantur, liberum eſto, eam ſequi, quæ veroſimilior videbitur.

IX. Non redarguendus eſt Auctor ille, qui priſcum aliquem nunc ſequitur, nunc deſerit, prout res & rerum momen-

menta poſtulare videntur. Fieri enim poteſt, ut Scriptor idem in uno verum, in altero falſum narret, nec facile quisquam, præſertim in opere vaſto, ſemper verum, aut ſemper falſum dicere credendus eſt.

Regulæ de Conjectura.

I. Ut major vel minor facti alicujus probabilitas eruatur, attendendi ſunt conjecturarum fontes & rationes: quo illi puriores, & iſtæ firmiores erunt, eo major erit probabilitas.

II. Tanto dignior adſenſu erit conjectura, quanto a pluribus ſapientum hujusmodi eſſe agnoſcitur. Unde fit, ut conjectura a doctis æque ac indoctis accepta reddat eventum probabilius, quam ſi ab aliquibus duntaxat admittatur.

III. Ut cognoſcatur conjecturæ alicujus æquitas, non eſt proprio ſtatim ingenio fidendum, ſed intereſt explorare, quodnam ſit de illa doctorum hominum judicium; ſæpe enim contingit, ut alii ſapientes omnino aliter ſentiant, & judicent.

IV. Ut argumentum aliquod reddat factum certo probabile, non ſatis eſt, nul-

nullam in oppoſitam partem urgere conjecturam; ſed argumentum ipſum tale ſit oportet, ut ſe ſolo ſtet firmum & inexpugnabile.

V. Non eſt inter probabiles ſolummodo referenda hiſtoria, quæ nititur conjecturis adeo robuſtis, ut partem adverſam explorate convincat. Nam ſi hoc fiat, humano more quoddam certæ cognitionis genus efficitur.

VI. Auctoritas conjecturæ tum cedere debet, quando hæc recta & juſta videtur, adeo ut vel prudentes minimeque occupati homines judicent, auctorem fuiſſe deceptum, vel ejus aſſertionem nonniſi futilibus argumentis tueri quis poſſit.

VII. Ubi narratio & conjectura æqua ratione incedunt, non ſufficiunt ad probationem deſtruendam & factum eliminandum argumenta negantia, eg. *non apparet, quomodo id fieri potuerit: ſuſpecta res eſt: figmentum eſſe videtur e monumentis ſuppoſititiis depromtum, &c.* Sed argumentis ajentibus & manifeſtis opus eſt, quibus conjectura infringatur.

Re-

Regulæ de Traditione : & de Conſuetudine ac Uſu.

I. Facta hiſtorica, quæ ex traditione & uſu probantur, nihil vanum, ſuperſtitioſum, ridiculum, indecorum, vel inutile contineant, oportet.

II. Talis debet eſſe conſuetudo, ut merito credi poſſit, Eccleſiam, Epiſcopos & illos, qui ante alios eam invexerunt & propagarunt, non ſine ratione id feciſſe, quamvis ea nos lateat.

III. Quodſi de inſtitutione aut facti dubitandi ratio occurrit, argumenta debent eſſe clara & certa, aptaque ad falſitatem demonſtrandam, ut illud a poſſeſſione ſua dejiciatur.

IV. Sedulo expendere oportet, num traditiones & conſuetudines contineant aliquid uſui & temporibus, quibus invaluerant, contrarium, ac dignitati perſonarum, quibus facta illa tribuuntur, nequaquam conveniens.

V. Merito fides negatur traditionibus, moribus, & factis hiſtoricis, de quibus conſtat, fuiſſe oppugnata & rejecta a ſcriptoribus ejusdem ævi, aut aliis

quo

quorum tanta eſt auctoritas, quæ falſitatem nobis perſuadere poſſit.

VI. Si deprehendantur in traditione vel conſuetudine aliqua inter ſe pugnantia, diligenter examinandum eſt, num ea afficiant rei ſummam, vel duntaxat adjuncta quædam, quæ a facto præcipuo diſſidere videntur.

VII. Denique quod probe notandum, etſi traditio vel conſuetudo non foret in omnibus conformis hiſce regulis, nec ſatis probata, non ideo agendum eſt, ut ſupprimatur vel abrogetur, quando ejus abrogatio majoris mali & offendiculi in populo cauſſa foret, quam tolerantia.

§. II.

Regulæ Criticæ circa Manuſcripta & Artes liberales.

XXI.

Regulæ de Manuſcriptis & Antiquitate Codicum.

I. Ante omnia opus eſt illi, qui in manuſcriptis emendandis, & integritati ſuæ reſtituendis operam collocat, ut veterem orthographiam, literarum

rum ductus, vocum & ſyllabarum contractiones ac ſyncopes penitus calleat, quemadmodum monet Mabillonius (x)

II. Si quid mutandum eſſe videtur, id orationis ſeries & ſtilus ſcriptoris, cui quod ſcriptum eſt non convenit, poſtulare debet.

III. Ipſa emendandi ratio linguæ, ingenio, & ſcriptoris ſtilo conſentiens eſto, nec a lectione veterum Codicum nimis recedito.

IV. Depravatæ ſcripturæ ratio reddatur, quantum fieri poteſt, ut Manuſcriptum corrigendi neceſſitas & juſtitia palam fiat.

V. Si inter codices impreſſos & manuſcriptos reperiatur diverſitas, poſteriores prioribus ſunt præferendi, niſi ſatis certa ratio aliud ſuadeat.

VI. De omnibus quidem, quæ ex MSSis hauriuntur, mentionem facere licitum eſt in Notis lucubrationi alicui adjectis, nulla tamen ex MSSis hauſta lectio, niſi manifeſta ſit, in orationis contextum ipſum adferatur.

VII.

(x) *De ſtud. Monaſt. part.* 2. *C.* 12.

VII. Libri impreſſi nulli reperiuntur ante annum 1450. quum ante hunc nondum inventa fuerit ars typographica. Codices vero Manuſcriptos papyraceos nullos eſt invenire ante annum 1350. & pauciſſimos tantum ante annum 1400.

VIII. Manuſcripta, in quibus ſupra jota reperiuntur puncta, cenſentur eſſe ſcripta non ante ſeculum decimum quintum, immo vix ante medium illius, quum ante annum 1400. fere nulla talia exſtent puncta, ſed tantum virgulæ longiores hoc modo: *inimicus.* Immo ſub initium ſeculi XV. ſolebant poni ſolum contractiores virgulæ, ac dein circa annum 1450. immiſceri lineolis puncta, donec tandem circa annum 1460. mera puncta fieri conſueverint.

IX. Manuſcripta, in quibus ſupra jota reperiuntur virgulæ ſeu lineolæ, non cenſentur eſſe ſcripta ante annum 1250. ſeu medium ſeculi decimi tertii. Quippe ante annum 1250. ſupra jota nec puncta ponebantur nec virgulæ: poſt annum vero 1250. uſque ad annum 1300. nonnunquam conſpiciuntur tales virgulæ, ſic ut librarii tria aut quatuor jota ſine virgula tranſierint, donec ruſſus unum illa inſignierint.

X. Codices, in quibus ſunt frequentes, quas vocant *abbreviationes*, non cenſentur eſſe ſcripti ante ſeculum XV. quo hic modus ſcribendi primum invaluit, poſtquam papyrus cœpit fieri communior.

XI. Codices ſeculi XIII. ſunt tenuis calami, & elegantis characteris, ſed Codices ſeculi XI. & X. plerumque craſſioris. At Codices ſeculi IX. & VIII. habent literas alphabeticas formæ pinguis & flammeæ, ubi videlicet ductus ſunt recti, ſed a regula aberrantes, & admodum craſſi.

Regulæ Grammatices, ſeu linguæ Latinæ.

I. Proprium Grammatici officium eſt, de integritate ac poteſtate vocum & verborum, deque latini ſermonis genuina indole ferre judicium: legitima ſcripta ſecernere a ſpuriis: vitioſa emendare, antiqua eruditis illuſtrare notis.

II. Vocabula poteſtatem ac pretium non ſolum a vetuſtate, ſed etiam & magis ab auctoritate ſcriptorum inſignium accipiunt, qui vel primi invenerunt, vel priores in uſum deduxerunt. Hinc

III. Fal-

III. Falluntur, qui nullas voces in ſermonem latinum admittere volunt, niſi aureæ argenteæve ætatis, niſi Ciceroniana & Liviana. Multæ his deſunt, quæ tamen neceſſariæ ſunt ad recte loquendum de diſciplinis & artibus, poſtmodum ab aliis primum excultis.

IV. Ita melius loquimur de re coquinaria cum Apuleio & Apicio, de re ruſtica cum Columella, de militari cum Vegetio, de medica cum Celſo, de architectonica cum Vitruvio, de technicis cum Pexenfeldero & Pomey, utpote qui ex inſtituto de his ſcripſerunt.

V. Nova vocabula non ſunt adhibenda, niſi neceſſitas, vel auctoritas, aut utilitas manifeſta id ſuadeat, & veluti cogat.

VI. Oportet noſſe dotes linguæ latinæ, quæ ſunt 1. Proprietas. 2. Elegantia. 3. Copia verborum.

VII. Sermo latinus non ſolum debet eſſe emendatus, ſed etiam elegans: elegantiam autem conciliant 1. Aptus particularum, præpoſitionum, proverbiorum, conjunctionum, &c. uſus. 2. Verborum collocatio recta. 3. Flores latinitatis ſeu

phraſes ſelectæ. 4. Idoneus partium omnium nexus.

VIII. Ante omnia curandum eſt Grammatico, ut mature ſtilum ſibi comparet quam optimum: comparatur autem lectione præſtantium auctorum, ſedula imitatione, & frequenti exercitatione.

IX. Nihil magis obeſt in ſtudio Grammatices, teſte Quinctiliano, quam feſtinatio in informanda adoleſcentia.

X. Errant, qui neglectis regulis ſola claſſicorum Auctorum lectione addiſci poſſe ac debere linguam latinam contendunt.

XI. Publicæ ſcholæ ad inſtituendam juventutem pluribus titulis anteferendæ ſunt privatæ inſtructioni, ut late ac ſolide probat Quinctilianus, & ipſa confirmat experientia.

Regulæ de Poetica.

I. Poetæ officium eſt delectare & prodeſſe: quorum primum fit tum fictionibus ingenioſis, tum deſcriptionibus jucundis: alterum inſtruendo mores exemplis & ſententiis, iiſque abſterrendo a vitiis, & ſuadendo virtutem ac pietatem in

in ſuperos, uti patet ex Homero & Virgilio.

II. Proſcribendi ſunt e Republica Chriſtiana Poetæ obſcœni, utpote prorſus degeneres a fine Poeſeos. Nam ipſorum delectatio nonniſi inhoneſtiſſima eſt, & utilitas non alia, niſi morum perverſitas. Hinc ſi quid boni habent, corrigantur ſeparando bona a malis, nec niſi correcti permittantur juvenum lectioni.

III. Ut finis Poeſeos obtineatur, delectatio quæri debet per numerum & harmoniam verſuum, per deſcriptiones, dictiones figuratas, narrationes mirabilium eventuum, ac per fabulas facto principali accommodatas: utilitas vero per ſalutaria monita brevibus & exquiſitis ſententiis exornata, per morum præcepta, & latentes ſub fabulis veritates.

IV. Poetarum characteres ſunt: ingenium fertile ac penetrans: judicium maturum & vivax: facilis ac fluida vena.

V. Noſſe oportet virtutes dictionis, & ſtili poetici. Dictio ſeu ſtilus requirit fortes exprimendæ rei formulas, numerum & harmoniam verſuum, epi-

diverſas dotes: Epicum requirit u
heroicam actionem: debet eſſe p
virtutis imago: excelſum ubique
nium appareat neceſſe eſt.

VI. Tragœdia debet emendar
vos motus animi, & ad virtutem
tare: præcipue vero affectuum per
tiones in reliquâ actione tragica ex
exitus corrigat oportet.

VII. Comico neceſſaria eſt intin
gnitio morum in vita communi, &
cium eos imitandi.

VIII. Elegia debet eſſe bene m
eruditione dives, & in animorum m
ciendis pōtens ac dominans.

IX. Lyricorum carminum indol
in argumento ſeu in ſtilo mediocri
reſpuit: quidquid nobiliſſimarum c
tionum, imaginum & ſententiarun

Regulæ de Rhetorica.

I. Rhetorem perfectum natura inchoare, ars abſolvere debet, id eſt, qui excellens orator eſſe cupit, a natura inſtructus eſſe debet quadam eloquentia, quam poſtea ſtudio & arte perficiat.

II. Rhetoricæ Alumni mature declamando exerceri debent, ut arma tractare, vultus hominum præſentium ferre, ac totius corporis & oris habitum componere diſcant.

III. Judiciale genus argumenta fortiſſima, amplificationes graves, & affectus vehementes poſcit.

IV. Deliberativum intimam cognitionem honeſti, utilis, ac neceſſarii, quæ in totam orationem influat: in dicente autem auctoritas, & boni publici ſtudium elucere debet.

V. In Exornativo opus eſt, ut orator facti laudem ac vituperium per omnes Rhetoricæ locos, & eloquentiæ gradus ad ſummum apicem evehere noverit.

VI. Ad inventionem ingenium acutum, ad diſpoſitionem ordo induſtria comparatus, ad elocutionem ſplendor & di-

dignitas ſermonis, ad memoriam fidelitas, ad pronunciationem vocis & corporis habitus quam decentiſſimus exigitur.

VII. Exordium docere debet, ac benevolentiam excitare: Narratio viam ad argumenta ſternere: confirmatio & confutatio expugnare auditorum animos, Peroratio autem triumphare.

VIII. Dicendi genus ſublime quandam rationem cogitandi nobilem & magnificam exigit, verba magnitudini cogitationum reſpondentia, & figuras ſententiarum plenas vitæ ac vigoris.

IX. Dicendi genus ſubtile tres characteres habet: claritatem, ſimplicitatem, ac brevitatem; ſed quo facilius hoc apparet, eo difficilius eſt, tectumque habet artificium.

X. Dicendi genus moderatum eſt inter ſubtile, ac ſublime medium, illius acumine, & hujus fulgore minus: ſed gratam temperiem ac indolem ornatam, politam, & in animos ſuaviter ſe inſinuantem præſefert.

X. Vitia ſtili cavenda ſunt: ne ſit inflatus allegoriis & metaphoris: ne ſit humilis, res minutulas avidius deſcribendo, vel verba ſine delectu & ſine ſtructu-

ſtura adhibendo: ne ſit puerilis, id eſt, ineptis digreſſionibus, & figurarum pampinis luxurians: ne ſcholam oleat, & omnes locos Rhetoricos, ac figurarum angulos excutiat: ne ſit Poeticus, ſeu ad numeros, pedum menſuram, atque vocum harmoniam compoſitus.

§. III.

Regulæ Criticæ circa Philologiam, & Hiſtoriam ſacram & profanam.

XXII.

Regulæ de Re Numaria.

I. Primo omnium oportet comparare exactam notitiam numorum tum Romanorum, tum Græcorum, tum Hebraicorum, quantum adtinet ad diverſitatem materiæ, formæ, ac valoris.

II. Tum indagare oportet in originem numiſmatum, quam duxerunt ab imaginibus e cera vel lapide formatis Deorum primo, tum etiam Semi-Deorum, Regum & Imperatorum.

III. Noſſe oportet ætates & perio
numiſmatum, quarum prima fuit a
Romanos a tempore Servii Tullii Re
altera ab initio regiminis Gothici: te
ab excidio barbaricæ dominationis.

IV. Pretium & æſtimatio numiſ
tum deſumenda eſt tum a materia, tum
hiſtoria, tum a cœlatura.

V. Debet eſſe perſpectus ordo
miſmatum. Sunt enim quinque claſſ
1. Regum. 2. Civitatum & coloniar
3. Conſulum. 4. Imperatorum. 5. D
rum, Dearum, aliorumque Heroum.

VI. Requiſita ad hoc ſtudium ſu
1. Notitia Græcæ ac Romanæ Hiſto
2. Geographiæ & Chronologiæ vet
& novæ. 3. Scriptorum de Antiquit
bus. 4. Inſpectio numiſmatum. 5.
ritia diſcernendi inter ficta & vera
miſmata.

VII. Diſcernuntur autem multip
ratione: 1. E bonitate metalli vete
cui non æquatur novum. 2. Ficta
miſmata ſunt igne liquata & fuſa, qu
antiqua ſint malleo ſubacta. 3. E fi
ris, quæ in fictis non ſunt tam accur
ac ſcite fabrefactæ. 4. Ex characteri
inſcriptionum non ita graphicis. 5.

frequenti diſſenſione partis Averſæ, & Adverſæ.

VIII. Diſtinguendum probe inter partem Averſam & Adverſam. Pars *adverſa* continet effigies Deorum, Imperatorum, Regum, Conſulum, &c. una cum variis ornamentis, quæ geſtant vel in capite, vel in manibus, vel juxta ſe poſita habent. Pars *averſa* vero continet quinque claſſes rerum. 1. Inſcriptiones. 2. Varia inſtrumenta. 3. Animalia. 4. Figuras. 5. Signa militaria & coloniarum.

IX. E numiſmatibus rite inſpectis cognoſcuntur 1. Familiæ Romanæ. 2. Magiſtratus. 3. Prorogativæ & tituli Imperatorum, Regum, &c. 4. Res præclare geſtæ domi foriſque.

X. Neceſſarium denique eſt, noſſe charácteres & notas compendiarias, quæ in numorum inſcriptionibus perpetuo occurrunt.

Regulæ de re Diplomatica.

1. Magna prudentia & moderatione opus eſt ad cenſuram ferendam Viris etiam doctis, qui vetera inſtrumenta ad legum apices examinare velint, nec cui-

vis

vis in re Antiquaria utut erudito i
mere tentandum.

II. Semper cum favore judican
ubi res longa poſſeſſione firmata
uti leges Civiles & Canonicæ ı
piunt.

III. Non ex ſola ſcriptura, neq
uno ſolo characteriſmo, ſed ex om
ſimul de vetuſtis chartis pronu
dum.

IV. Unus alterve error aut men
modo ſubſtantiam diplomatis non
ciat, legitimis cæteroqui autographi
eſſe non debet.

V. Vitia ad ſubſtantiam pertin
cenſentur: ſi nomina perſonarum,
poſt datum diploma vixerunt, in e
preſſa, aut in ſubſcriptionibus prim
nu exarata reperiantur, aut earum
tio fiat, quæ longe ante illud temp
ta functæ ſunt: ſi contextus omnir
vitioſus, nec ſibi cohærens: ſi m
grammata inepta, & ab uſu temp
illorum abhorrentia conſpicienda ſe
beant: ſi ſigilla adulterata depre
dantur.

VI. Hiſtoricorum aut Inſcriptio
antiquarum teſtimonia legitimis ch

præjudicium facere non debent, ita ut illorum præferatur auctoritas, niſi ex illis manifeſtus error perſonarum, rei geſtæ, aut temporis demonſtrari poſſit.

VII. Additamenta *Incarnationis*, *Indictionis*, *Gloſſematum*, aliorumque ſimilium, maxime in exemplis ſeu apographis, non officiunt Inſtrumentorum veritati.

VIII. Diſcrimen faciendum eſt inter verba *Datum* & *Actum*, quæ in formulis diplomatum ſæpe comparent. Secundum enim notat tempus, quo a Principe conceſſum eſt beneficium, privilegium, &c. ejusque voluntas fuit ſignificata: primum vero tempus, quo ſcriptura conceptis verbis in Curia aliove loco fuit expedita. Fieri enim poteſt, ut alio tempore, aliove loco Princeps mentem ſuam declaret, & favorem impertiatur: alio autem tempore, aliove loco ipſius literæ vel diplomata circa negotium illud ſcribantur, & conferantur. Quare neutiquam falſæ vel adulteratæ ſcripturæ ſignum eſt, ſi tempus & locus *Acti* & *Dati* inter ſe non concordent. Sæpius quippe contigit, ut res Acta fuerit in Germania, ubi tunc Imperator præſens erat,

erat, Data vero primum eodem in Italia commorante.

Regulæ de Philoſophia.

I. Ad Philoſophum pertinet cognitio Univerſi, adeoque omnium, quæ ſupra ſe, infra ſe, & circa ſe ſunt.

II. Aſſequitur hoc neque ſola ratione, neque ſola experientia: nam experiri & philoſophari duo ſunt diverſa. Hinc utraque jungatur oportet, & Philoſophia, ut ſit genuina, debet eſſe *rationalis* & *experimentalis*.

III. Experientia non ubique locum habet, quum multa ſint, quæ ſenſibus percipi non poſſint: ratio tamen omnibus adeſſe debet, etiam experientiæ, quæ ſine rationis adminiculo facile in errorem inducit: ſine ratione infirma eſt philoſophia, ſine experientia ſterilis & jejuna.

IV. Veritatis criterium in Philoſophia quatuor modis acquiritur, ſcilicet per intimam conſcientiam, per ratiocinationem, per ſenſus externos, & per auctoritatem.

V. Conſcientia ſeu perceptio intima, quæ conſiſtit in quadam vi & facultate, qua

ia mens ſe ipſam veluti penetrat & co-
ioſcit, ſuarumque operationum ac mu-
tionum ſibi conſcia eſt, certum reddit
ailoſophum de veritate eorum judicio-
im, quæ mens concipit circa propriam
ciſtentiam, cognitiones, adpetitiones &
lfectiones doloris, gaudii, iræ, &c.

VI. Per rationcinationem ſive ratio-
ls uſum, ſi neque in illius forma, neque
i materiæ nexu erratum fuit, certiſſimus
radit Philoſophus, ſe in concluſionibus
ide ratiocinando deductis falli omnino
on poſſe, uti ex ſyllogiſmi principiis de-
ionſtratum eſt.

VII. Senſus externi objectis ſibi rebus
te adplicati ſunt ingens veritatis admi-
iculum & criterium, ubi agitur de re-
im objectarum exiſtentia, adfectionibus,
ualitatibus, & relationibus ut vocant
enſibilibus: dirigendi tamen ſunt ratione
c conſilio.

VIII. Dogmata naturalia nec antiqui-
as, nec novitas Auctorum, ſed ratio me-
itur ac æſtimat: hinc tantum in Philo-
ophicis valet Auctor, quantum ratio,
uam adducit. Doctoribus tamen claſſi-
is ac Viris claris plurimus honor debe-
ur, nec temere ab eorum doctrina rece-
den-

dendum eſt, utpote pro quibus ſtat præjudicium, quod rem optime examinaverint atque perpenderint.

IX. Caveat Philoſophus, ne omnia, quæ ſine rationis diſtinctione explicari non poſſunt, re ipſa eſſe diſtincta ſibi vel aliis perſuadeat.

X. Quum corpus phyſicum ſit objectum phyſicæ, non debent ſtatui prima corporum principia mere logica, ſeu entia rationis, ſed phyſica & *realia*, ut adpellant.

XI. Quamvis omnia corpora mechaniſmo conſtent, quamdam tamen vim & virtutem viventibus ineſſe ſtatuendum eſt, qua agantur & agant, ne mera ſint automata, ſine artificis & motoris, qui foris adſiſtat, manu mortua.

XII. Omnia ratiocinationi tribuere, nihil experimentis, vel viciſſim, peccatum eſt philoſophicum: utrumque grato fœdere conjungi debet, & unum adjuvari ab altero.

XIII. Incomparabile bonum Philoſophiæ ratiocinatio eſt, ad Ariſtotelis methodum, ſeu ad regulas ſyllogiſticas conformata. Sine hac multa loquetur Philoſophus, Medicus, Juriſta & Theologus, ſed

ſed parum, immo nihil unquam rite concludet.

XIV. Quamvis Philoſophia ſit extra fidei divinæ ſphæram, nihil tamen aſſerere debet fidei repugnans, aut inconveniens, quum illa facile, hæc nunquam fallere aut falli poſſit: immo Philoſophia fidei ancillare debet, ac meminiſſe, ſe Chriſtianam eſſe, non ethnicam.

XV. Syſtemata Philoſophica non debent condi ex arbitrio rationis & proprii judicii, opinionis, aut phantaſiæ, ſed ex ductu certorum experimentorum, & conſtantium effectorum per rationem inter ſe & cum primis principiis conciliatorum; quoniam ut in proverbio eſt: *Natura uniformiter operari ſolet.*

XVI Cavendum his maxime temporibus, ne Philoſophia in Matheſin fere tota abeat: hinc male adhibetur methodus demonſtrationum geometricarum, quæ cum opinionum mere probabilium natura & indole neutiquam concordant: pauca ingenia ejusmodi philoſophiæ ſunt capacia, plurima ſub hoc onere fatiſcunt.

XVII. Optimus Philoſophus eſt, non qui ſemper vere (quod ſperari non poteſt) ſed qui veriſimillime in omnibus ra-

tiociṅatur. Hinc optima quoque eſt Philoſophia Eclectica.

XVIII. Non ſufficit Philoſopho cognoſcere ea, quæ ſupra ſe, infra ſe, & circum ſe ſunt, ſeu Megacoſmum; ſed debet etiam cognoſcere, quæ intra ſe ſunt, ſeu Microcoſmum, id eſt, ſe ipſum. Hinc opus eſt præter Philoſophiam naturalem etiam morali ſeu Ethica: illa enim eſt ars ratiocinandi: hæc vivendi teſte Tullio, & irformat animum ac mores, docetque regere ſe ipſum & alios, atque ad felicitatis veræ apicem ducere.

Regulæ de Hiſtoria ſacra & profana.

I. Expendendum eſt, num Hiſtoricus ea probitate atque integritate præditus ſit, ut hominibus imponere velle nequiverit, dum aliqua vel ipſe ſe vidiſſe, vel ab aliis, qui viderunt, accepiſſe teſtatur.

II. Reliquis ii Hiſtorici ſunt anteſeferendi, qui ingenii ſeveritati prudentiam adjunxerunt ad eligendum & judicandum.

III. Ante omnia quum quis ad Hiſtoricos legendos accedet, qui primi rem vel factum aliquod prodiderunt, de illorum in-

ngenio, facultate, religione & moribus, c negotiis inveſtigabit.

IV. Examinandum eſt, quam hic vel ſte in rebus, quas narrat, partem habue- it; quo ſeculo, qua ratione, quo animo cripſerit: num iis aut perſonis aut rebus, e quibus agit, ſynchronus fuerit.

V. Intereſt noſſe, an Auctor fons ierit, e quo alii narrationem hauſerunt; n vero ipſe ab aliis eam mutuatus ſit: um privatus ſcripſerit, vel in officio onſtitutus, & quidem tali, ubi ad tabu- ria & Acta publica acceſſus ei patuit.

VI. Videndum, an opiniones amet ngulares, vel potius in vulgaribus ac- uieſcat: an a nominis celebritate & a ma publica ſuffragium ferat, nec ne.

VII. Merito fides adhibetur ſcripto- , cujus narratio convenit cum pluribus, axime ejusdem ævi, niſi gravis ſuſpi- o ſit, eam a pluribus ex eodem fon- minus ſincero hauſtam, deſcriptamque iſſe.

VIII. Si in plerisque aliis, quæ narrat uctor fide dignus, verax eſſe deprehen- itur, judicari poteſt, eum in recenſen- hoc vel iſto facto, licet prima fronte

admiratione potius quam fide dignum videatur, fallere non voluiſſe, ac hominis veritatem amantis famam periculo exponere.

IX. Attendendum ſedulo in ſcriptoribus, qui facta, quæ narrant, ex aliorum libris vel teſtimoniis depromunt, attendendum inquit, quales teſtes adducant: Auctoritas teſtis oculati plerumque præferenda eſt teſtimonio auriti: poſſunt tamen quandoque eandem mereri fidem. Teſtes coævi præhabeantur non coævis; immo unus coævus pluribus, qui multo poſt vixerunt, potior eſt.

X. Teſtis, qui vel ſemel malitioſe mendax deprehenditur, in cæteris etiam fidem non meretur: & quamvis iccirco omnia, quæ narrat, abſolute rejici non debeant, ſuſpicionis tamen notam, ne fallat, perpetuo ſecum circumfert.

XI. Factum non ideo ſtatim reprobandum, quod moribus & opinionibus præſentibus adverſetur, aut contineat id, cujus cauſſa nos latet, aut ab aliis contrarium adſtruatur, ſed majore ſolertia eſt examinandum.

XIII. Mo-

XII. Modus narrandi oratorius, & inflatus, ac nimia ſtili cura fidem hiſtorici ſuſpectam reddere poteſt.

XIII. Si cui hiſtorico auctoritatem tribuit Eccleſia, hic procul dubio dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus: contra vero, cui Eccleſia derogat fidem (quemadmodum Auctoribus in Gelaſii decreto enumeratis) ei quoque nos fidem jure ac merito denegamus. (y)

§. IV.

Regulæ Criticæ circa Theologiam, Patres & Concilia.

XXIII.

Regulæ de Theologia.

I. Abſit, ut animo nimium curioſo, ac ingenii inſolentia inflato ad hoc ſtudium, & arcana fidei rimanda introſpiciendaque accedatur.

II. In ipſo limine de ſubſidiis ad Theologiam neceſſariis ſibi mature proſpiciat ſa-

(y) *Melch. Canus de loc. Theol. L.* XI. *Cap.* 6.

ſacræ hujus ſcientiæ Alumnus, videlicet informando animum locis Theologicis, & notitia ſufficiente Conciliorum, Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

III. Theologi eſt, ut placita doctrinæ ſuæ probet atque confirmet inprimis auctoritate S. Scripturæ ac Traditionum, tum etiam Conciliorum & Patrum.

IV. Nulla opinio velut fidei caput adſtruatur, de qua minime pronunciavit Eccleſia. Quando autem in varias ſcholæ opiniones Theologi ſcinduntur in rebus, quæ nec Scriptura, nec Eccleſia, nec Patrum conſenſus, aut manifeſta ratio nobis patefacit, magna quidem ſentiendi libertas conceditur, nec in unius Magiſtri verba jurare opus eſt.

V. Ne autem libertas hæc noxia evadat, inter diverſas & contrarias ſcholæ opiniones Theologus eam ſeligat atque ſequatur, quæ magis ad fidei placita, & ad normam loquendi, qua Patres & Doctores utuntur, quæque in ſcholis recepta eſt, accedere videbitur.

VI. Ratio neutiquam excludenda eſt a Theologia, ſed potius in auxilium vocanda, his tamen legibus: 1. Ne auctoritati præferatur, hac paſſim neglecta: ne-

neve plus illi tribuatur, quantumvis firma adpareat, ſi obſiſtere videatur auctoritas non ſolum Scripturæ ac Conciliorum, ſed etiam partis longe majoris Patrum. 2. Ne nimis curioſe ac temere in divinitatis ſecreta penetrare conetur, ſed foris exſpectet quieta, ubi de profundiſſimis agitur fidei myſteriis. 3. Ut muneris ſui partes diligenter impleat, comitando ſanctam fidem, eam tuendo adverſus hoſtes ſeu hæreticos, amicis vero ſeu Catholicis demonſtrando, fidem rationi convenientiſſimam eſſe. 4. Ne licentius vagetur, & in quæſtiones inanes, argumenta frivola, & quod pejus eſt, in ſophiſticas artes abeat.

VII. Oportet diſſenſiones fugere, ac impetus animi frenare, quibus nimium ſtudioſe inter diſputandum eminere nitimur. Hinc in tam ſacro limine arcendi clamores a Doctorum conſeſſu, & a diſceptationibus etiam neceſſariis lites, quarum tota difficultas in dubiis ſæpe vocibus ſita eſt: multo magis omnis quoque verborum contumelia & vana oſtentatio qua voce qua calamo procul abſit.

VIII. A novis vocabulis & opinionibus heteroclitis in Theologia maxime cavendum eſt, iisque duntaxat utendum,

quæ Eccleſia Dei, Patres, & Theologi Catholici longa conſuetudine quaſi conſecrarunt: potius connitendum, ut quæ hactenus ob ſublimitatem ſuam obſcurius tradita fuerunt, clarius explicentur, & captu faciliora reddantur.

IX. In diſputationibus ſyllogiſtica argumentandi forma neutiquam prætermittatur, utpote omnium optima ad rite concludendum, & ſine qua plurima dici ſolent, quæ non ſunt ad rem, ac diſputationes abeunt in conciones & cathedræ ſcholarum in exedras templi.

X. Tametſi jucundior, minusque ſenticoſa, & merito colenda ſit diſciplina dogmatica, ſcholaſticam tamen præire ante ſe poſtulat. Oportet enim Theologum in ſcholarum acuminibus bene verſatum eſſe, atque illa funditus percipere, ſi ad aliquod dogma ponderibus ſuis examinandum accedat, & artes verſutiasque hæreticorum deprehendere, easque impugnare atque refellere velit.

Regulæ de legendis ac intelligendis Patribus.

I. Priusquam Patris alicujus lectioni opera detur, multum proderit, ejus ingenium

nium, mores, geſta, & tempus, quo vixit, noſſe: item indagare, quænam ipſius opera genuina ſint, quænam ſuppoſititia, ne ſcoria auri loco obveniat.

II. Patres, etiam quum ſingulares ſunt in aliqua opinione, non facile damnandi ſunt erroris, ſed eorum dicta meliorem in partem cum reverentia exponere, & reliquis recte aut melius ſentientibus conciliare oportet.

III. Obſervandum eſt, quo ſeculo, quave occaſione ſcripſerint, quoniam res nonnullæ in Eccleſia tunc nondum erant definitæ, uti nunc eſſe videmus.

IV. Illud quoque attendendum, quo loco quædam protulerint, quæve ſcribentis ætas fuerit. Alium enim ſenſum & vim habent ipſorum verba ad populum dicta, aliud in rigore ſcholæ accepta.

V. Animadvertere oportet, contra quos egerint Patres: aliter enim contra Arianos, aliter contra Neſtorianos, contra Pelagianos aliter loquendum ipſis, pugnandumque fuit.

VI. Patres non eadem, ſed diverſa ſcripſere lingua: aliud autem ſæpe verba græce, aliud latine ſonant.

VII. Si quæ apud Patres dubia vel obſcura occurrunt, interpretanda ſunt ex iis, quæ certa ſunt & clariora: ſi quis vero e Patribus diſſimiliter de eadem re locutus eſt, poſtremæ citius, quam priori ſententiæ ſubſcribendum erit.

VIII. Ille, qui Patribus legendis operam dat, ſimul præ oculis habeat Eccleſiæ ac Pontificum definitiones, nec has, quæ clariſſimæ ſunt, & falli neſciam habent auctoritatem, ex illis, ſed illos ex iſtis explicet, ac in meliorem partem interpretetur.

IX. Invidioſa eſt Patrum comparatio, qua unum ſupra alterum ita extollas, ut illi adhæreas cum reliquorum quaſi contemptu.

X. De doctrina Patris alicujus ſententia ferenda eſt ex illis locis, in quibus data opera rem examinavit.

XI. Quoties doctrinæ caput in quæſtionem vocatur, audiendi præ aliis ſunt illi Patres, qui magis Theologos, quam Philoſophos aut Oratores egerunt.

XII. Auctoritas unius, aut etiam aliquorum Patrum ſubminiſtrat quidem argumentum magni ponderis, dignumque attentione: verumtamen nonniſi probabile,

bile, quod quidem deſpicere & pro nihilo habere impudentis eſt, id vero habere pro certo omnino, imprudentis.

XIII. Omnium etiam Patrum auctoritas in eo genere quæſtionum, quæ dogmata fidei non ſunt, neque ex illis derivantur, fidem quidem omnino probabilem faciunt, non tamen certam.

XIV. Unanimis SS. Patrum conſenſus, ſi de ſacrarum Literarum expoſitione, aut de re ad fidem & bonos mores pertinente agatur, argumentum præbet Theologo ad aſſertiones ſuas corroborandas omnino certum & falli neſcium.

XV. Unanimem autem conſenſum non ea, qua Mathematici ſolent, accuratione debemus æſtimare, ſed eo, qui in rebus moralibus uſuvenit, modo, ſcilicet ut ſit conſenſus omnium, vel fere omnium.

Regulæ de Conciliis.

I. Oportet informare animum generali quadam idea eorum, quæ occurrunt in Conciliis animadverſione digna, uti ſunt origo, utilitas, & finis Conciliorum; locus, tempus, numerus & dotes præſentium: cauſſæ convocati Concilii, & illius exitus, ac canones & decreta.

II. Ju-

II. Juvat cognoſcere ordinem & formam Conciliorum, atque diverſitatem, quæ inter *Oecumenica* & *non Oecumenica*, inter *Generalia* & *Particularia*, inter *Nationalia* & *Provincialia*, *Legitima* & *Reprobata* intercedit.

III. Auctoritatem & poteſtatem Conciliorum tria ſunt, quæ ſtabiliunt, ſcilicet denunciatio & convocatio a Pontifice facta, vel certe hujus confirmatio: Patrum cura & induſtria in definiendo: confirmatio Papæ.

IV. Diſtinguendum eſt diligenter inter decreta fidei, & morum. Fidei decreta revocari nequeunt: nam *fides irreformabilis eſt*, ut ait Tertullianus. Morum decreta revocari poſſunt, & aliquando revocantur: *Plenaria etiam Concilia emendari priora poſterioribus* effatum eſt D. Auguſtini. (z)

V. Porro regulæ, quibus ea, quæ tanquam res fidei a Conciliis ſtatuuntur, a reliquis dignoſcantur, quæ ſunt extra fidei ſphæram, quatuor ſunt: 1. Si hæretici eſſe declarentur, qui contrariam opinionem tueri auſint. 2. Quando ſynodus hac loquendi præcipiendique formu-

la

(z) *Lib.* 2. *de Bapt. C.* 3.

la utitur: ſi quis hoc aut illud ſenſerit, *anathema* ſit. 3. Si in eos, qui contradixerint, ſententia ipſo jure fertur, qua fidelium cœtu excluduntur. 4. Si non opinando duntaxat, ſed certo firmoque decreto, ac verbis diſertis aliquid tanquam fidei dogma tenendum fidelibus proponatur, aut ſimili modo Evangelio doctrinæque Apoſtolorum eſſe contrarium declaretur.

VI. Quodſi vero in Conciliorum ac Pontificum decretis quædam reperiantur, quæ vel rei explicandæ gratia adjiciuntur, vel ut adverſariorum reſponſis obviam eatur, vel præter inſtitutum inſtar epiſodii addantur, ea non pertinere ad fidem, nec Eccleſiæ Catholicæ judicia eſſe cenſet communis Theologorum ſententia.

VII. In morum doctrina, eorum ſcilicet, qui ad ſalutem neceſſarii ſunt, vel ad univerſæ Eccleſiæ diſciplinam ſpectant, Conciliorum decreta ab omni erroris ſuſpicione abſolvenda ſunt. Nam inſtar principii tenendum eſt, Deum non deficere in neceſſariis; quod ſane fieret, ſi Judices ac Doctores Eccleſiæ in rebus ad ſalutem neceſſariis errori paterent.

VIII. In

VIII. In doctrina morum, qui ad pietatem & ſalutem neceſſarii non ſunt, nec toti Eccleſiæ communes, ſed ad homines privatos vel Eccleſias referuntur, Concilia ab omni errandi periculo exemta non cenſentur.

§. V.

Regulæ Criticæ de Actis Sanctorum, Traditionibus, & S. Scriptura.

XXIV.

Regulæ de Actis Martyrum, aliorumque Sanctorum.

Quum acta Sanctorum vel tradita ſint a Majoribus, & in poſteritatis memoria & corde conſervata, vel ab auctoribus deſcripta ad nos pervenerint, conſtentque potiſſimum factis mirandis, aut omnino ſupra naturæ vires poſitis, de his omnibus regulæ quædam ſunt ſtatuendæ.

I. *De Traditionibus & Scriptoribus.* Id, quod in traditione poſitum eſſe dicitur, diverſis temporibus & locis proditum ſit oportet, & a pluribus exploratæ fidei Viris, qui producantur in teſtes.

II. Scri-

II. Scriptores ſi non verbis, certe ſenſu convenire debent in teſtimonio, quod perhibent de re, quæ per traditionem tradita eſt.

III. Hi Scriptores ad rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur.

IV *De factis & miraculis.* Si factum, licet mirum, narret ſcriptor coævus (præſertim ſi vidiſſe ſe vel audiviſſe a fide dignis teſtetur) de cujus ſinceritate & auctoritate aliunde ſatis conſtat: vel ſi plures non multum ætate remoti in ejus narratione conveniant, fides merito illi adſtruitur, ſi non abſurdi quid aut ſuperſtitioſi contineat.

V. Facta mira & miracula talia ſint oportet, quæ ſenſibus patere, & de quibus oculi ipſi judicium ferre potuerint, aut, ut in præſagitionibus occultis contingit, proprio ſenſu experimentum capiatur, & eventus reſpondens palam fiat.

VI. Exſtent eorum monumenta publica, vel ceremoniæ ad poſteritatis memoriam inſtitutæ, uti ſunt feſti dies & ludi, columnæ, tabellæ pictæ, marmora cum inſcriptionibus, templa, aræ, &c.

quæ

quæ omnia vel ipſum factum repræſentent, vel ejus memoriam celebrent.

VII. Hæc monumenta atque has ceremonias ortum duxiſſe oſtendi debet vel eo tempore, vel non procul ab illo, quo res ipſa ſeu factum aut miraculum contigit.

Regulæ de Traditionibus, & S. Scriptura.

I. *De Traditionibus.* Ne Phariſæorum inſtar traditiones noſtras quaſi divinas & Apoſtolicas promiſcue venditemus, ſed ut veras a falſis, ita ab humanis divinas ſecernamus, ſtatuendum eſt cum Auguſtino: (a)

Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Tale eſt conſuetum per quadraginta dies Chriſti exemplo jejunium.

II. Si quod fidei dogma Patres ab initio ſecundum ſuorum temporum ſucceſſionem ſumma concordia tenuerunt, & quod huic contrarium eſt, damnarunt, quin illius teſtimonium in S. Scriptu-

(a) *Lib. 7. contra Donatiſtas. C. 24.*

ptura reperire ſit, id nimirum per Apoſtolicam traditionem haberi ab Eccleſia cenſendum eſt, quemadmodum perpetua Deiparæ virginitas, & deſcenſus Chriſti ad inferos.

III. Si traditio ſit talis, ut ejus materia Eccleſiæ auctoritatem ſive poteſtatem excedat, ſicuti quod aqua miſcenda ſit in calicis conſecratione, dubium non eſt, quin hæc traditio originem divinam habeat.

IV. Si de communi Patrum conſenſu circa traditionem aliquam, num divina ſit, nec ne, nondum conſtet, prout contigit circa doctrinam de baptiſmo hæreticorum iterando, quem impugnabat S. Cyprianus, confugiendum eſt ad Eccleſiæ judicium, tenendumque pro traditione divina, quod in S. Literis non quidem expreſſum, tamen ut fidei dogma ab Eccleſia recipitur.

V. *De S. Scriptura legenda & intelligenda.* Ad ſacrarum Literarum lectionem non adferatur animus curioſus, criticus, & ſuperbus: nam *qui vanus eſt ſcrutator majeſtatis, opprimetur a gloria.* (b) ſed docilis & religioſus, qui &

(b) *Prov. C.* 25.

& veritatis percipiendæ, & profectus in virtute hauriendi ſtudium utrumque conjungat.

VI. Quo facilius eruatur genuinus ſcripturæ ſenſus, omnium prima ſit cura, ut loci cum locis, vetus teſtamentum cum novo, dubia cum certis, obſcura cum manifeſtis conferantur.

VII. Diligenter obſervare oportet, a quibus, quomodo & in quibus circumſtantiis ea proferantur, quorum difficilior eſt intelligentia.

VIII. Si quid vero velut abſurdum moverit Scriptura, inquit D. Auguſtinus, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, ſed aut Codex mendoſus eſt, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.

IX. Advertendum, quædam in Scriptura ordine præpoſtero recenſeri; quandoque ſcilicet poſteriora prius, quandoque priora poſterius. Frequens quoque de futuris tanquam de præteritis & præſentibus loquendi modus in Prophetis occurrit.

X. Sæpe Scriptura numerum certum pro incerto ponit, aut vice verſa: non enim intelligit ſingulos, ſed aliquos, &

ex

ex omnium numero plures, dum omnes in populo malos dicit.

XI. Attendendum eſt ad interpunctа verborum, quibus interjectis vel ſublatis mirum in modum propoſitionis ſenſus variari ſolet. Ita Ariani verba D. Joannis Evangeliſtæ puncto perperam interjecto corruperunt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum:* loco *Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Hoc erat, &c.* ut ſcilicet Chriſto, tanquam æterni Patris Verbo, divinitatem negarent.

XII. Noſſe ac diſtinguere oportet formulas apud Hebræos uſitatas ſeu Hebraiſmos, ut vocant, quibus uſi fuerunt S. Scriptores, quorum omnes, ſi S. Lucam forte excipias, Hebræi fuerunt. Sic *Fratres* Chriſto tribuuntur in Evangelio, quum *Conſanguinei* duntaxat fuerint.

XIII. Obſervanda religioſe duo capita ſunt, quæ Synodus Tridentina (e) præſcribit: Primo, ex Communi SS. PP. ſenſu ſcripturam eſſe interpretandam: ſecun-

(e) *Seſſ.* 4.

cundo, peſſimum ſcripturæ verborum ſententiarumque abuſum eſſe tollendum, quem his verbis deteſtatur: *Reprimendam illorum temeritatem, qua ad profana quoque convertuntur & torquentur verba & ſententiæ S. Scripturæ, ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos.*

Appendix ad Regulas Criticas.

Si qua in re alia Critices conſilio, ductu & magiſterio opus eſt, id certe accidit in negotio ſcribendorum librorum, & ferenda de illis ſententia. Juvat igitur producere quasdam leges a Viris ſapientibus, & in hac re multum exercitatis latas, nimirum e Poſſevino, Mabillonio, Vives, ex arte Cogitandi, ex Ephemeridibus ſapientum, e monumentis Trevoltienſibus, &c.

I. Quando is, qui eruditionem eſt nactus, non præſentibus tantummodo, nec iis, quibuscum vivit, prodeſſe volet, verum abſentibus quoque, ac poſteris: principio noſcat ſe, & vires ſuas expendat, quibus polleat dotibus, quibus ſcribendis ſit idoneus.

II. Aptiſ-

II. Aptiſſimi omnium ſunt, qui judicio præditi vegeto & acri, ad conjectandum ſunt dexterrimi. Qui vero diligentia ſolum valent, non item ingenio, ea ſibi deſumant, in quibus non eſt opus acumine apis, ſed ſola mellis colligendi ſolertia.

III. Antequam ſcribendi conſilium ineatur, plurima pro rebus in univerſum, tum quoque pro peculiaribus, quæ deſignantur, materies congerenda eſt, ne a cœpto ſemel ædificio ob inopiam adparatus deſiſtere debeat ſcriptor.

IV. Scripturo multum eſt legendum, meditandum, ſcribendum, emendandum. Harum actionum ſit hæc proportio: lectio ſit ut quinque, meditatio ut quatuor, ſcriptio ut tria, emendatio redigat illa ad duo: ex his duobus unum proferendum, in apertum; Horatio monente, ne præcipitetur editio:

Nonumque prematur in annum.

V. Præ oculis ſtatuendum eſt exemplar Auctoris cujusdam in re ſimili, de qua ſcribendum eſt, eximium, quod ingenium in officio contineat, ejusdem regat motus, mentisque impetus moderetur atque cohibeat.

ductæ. Quæ licet utiliſſimæ ſint, ut opinor, quum egregias tot artium & ſcientiarum ideas ſuppeditent, illarumque proprios characteres palam faciant, arcana multa in ſingulis detegant, & nobiles de univerſis cogitationes ac ſenſa excitare valeant, fateri tamen oportet, eas non ad certi omnino ac immutabilis judicii gradum aſcendere, præſertim ubi ſingulæ ac ſeparatæ accipiuntur. In prima ſtatim, at præcipua, quam ſtatuunt recentiores Critici, regula generali: *nonniſi maturo conſilio, probe perſpectis utriusque partis fundamentis, nova veteribus, vetera novis rite prius comparando, & quænam horum plus valeant, diſcutiendo ferendam eſſe criſin ac cenſuram*, in hac inquam prima & præcipua generali regula multis ſtatim hærere aqua videtur. Omnes eam ſibi vendicant, omnes in ſuis lucubrationibus adhibere ſe, religioſiſſimeque obſervare profitentur. Sed Deus bone! quot non ſunt, præſertim hiſtoriæ ſeu profanæ ſeu Eccleſiaſticæ ſcriptores, cætera ſumme induſtrii ac præſtantes, qui de eadem re, de eodem facto, de eodem opere, de Auctorum fide, de ſcientiarum methodo judicia penitus diſcrepantia pronunciant? Dum hi factum aliquod in veritatis apice collocant,

nt, alii ad fabulas id ablegant, produ-
is utrinque teſtibus ac tabulis. Non
ıuci ſatis claro, & ut ipſis ſaltem vi-
:tur, invicto antiquorum teſtimonio du-
i legitimum omnino cenſent opus id
ſum, quod ab aliis inter apocrypha vel
ppoſititia reponitur. Idem non raro
riptor antiqui Auctoris exiſtimatione
›inionem hanc ſuam fortiſſime tuetur,
alia vero, ubi minus ſibi faventem il-
m reperit, omni fide privat, & nihili
ıcendum eſſe contendit. Ex iisdem pe-
: legibus unus narrationem hanc ve-
m eſſe demonſtrare nititur, alter vero
lſam, aut commentitiam. Heic loci
›njecturis agitur prudentibus, firmis, ſi-
que bene cohærentibus: alibi longe pe-
tis, futilibus, & parum circumſpectis.
odo dum auctoritas & ratio deficit,
aditiones unde unde conquiſitæ in ſub-
lium vocantur; modo traditiones om-
:s in falſi ſuſpicionem adducuntur, &
nquam ſuperſtitioſæ antiquitatis nœniæ
dentur. Scientiæ alicujus tradendæ di-
endæque methodum longo ſæculorum
u civitate donatam dum iſte adductis
aviſſimis rationibus e prudentiæ præ-
ripto depromtis tueri in poſſeſſione ſa-
git, ille novæ ac inſolentis Criticæ le-
bus everſum it totis viribus, aliamque

 in

in cerebro ſuo fabricatam ſubſtituit, qua meliorem inveniri poſſe non credit. Sed fortaſſis diverſa hæc judicia, & Criticorum etiam non mediocrium diſſenſiones non artis ipſius, ſed uſus ſibi non conſtantis vitia ſunt, de qua re mox plura. Illud interea facile intelligitur, eximiam hanc artem eo æquitatis & accurationis regularum ſuarum ope necdum perveniſſe, quo illam ætate hac evectam fuiſſe nonnulli blandiuntur ſibi, aliis gratulantur.

CAPUT V.

ABUSUS CRITICÆ, SEU CRITICA PERVERSA.

§. I.

Cauſæ hujus abuſus.

XXVI.

Nemini, ut opinor, ex iis, quæ huc-uſque in medium protuli, dubium eſſe poteſt, artem Criticam, etſi necdum perfectam, nec forte unquam numeris omnibus perficiendam, incompara-

rabile bonum eſſe humani generis, maxime vero Reipublicæ Literariæ: huic certe licitum eſt, honeſtum eſt, utiliſſimum eſt, alienos ſive in doctrina errores acute inveſtigare, ac deprehenſos cenſoria virgula percutere. Nam unde tot errores ac fabulæ, tot dogmata inepta, niſi ex Criticæ inopia? unde recti judicii, meliorisque eruditionis inſtauratio, niſi e Critica inſtaurata? Verum uti nulla medicina eſt tam ſalubris, aptaque ſeu morbis pellendis, ſeu valetudini tuendæ, ut non eadem malo uſu in venenum tranſeat, ita & ars hæc tum emendandis, quæ in ſcientias & artes irrepſerunt, erroribus, tum judiciis perficiendis inventa ſi male adhibeatur, in magnam perniciem & ſtragem ingeniorum atque morum non raro cedit, uti triſtis experientia docet, etiam hiſce quæ vivimus maxime criticis temporibus. Quippe quum una ex parte homines ad invidiam natura ipſa velut compoſiti ad reprehendendum aliena citius, quam ad approbandum perverſo quodam ingenii mentisque ſtimulo incitentur, ex altera vero in tanta & propemodum immenſa ſcribentium & ſcriptorum copia ſemper plura, quæ cenſuram, quam quæ encomium mereantur, opera occurrant, iccirco

„ cum vix eorum quemquam inven
„ qui in aliquo, ſi non ad fidem, ſal
„ ad rerum geſtarum hiſtoriam perti
„ te, non erraverit. „ Sunt autem
ſcriptores ferula ſane digni. Qui
quantum ingenio deficiunt, tantum
ſpe nominis alicujus inter literarum
ceres obtinendi intumeſcunt, aut luc
ſcribendo quærunt, adoptantes ſibi
bolum ſordidi Imperatoris Veſpaſi
Lucri bonus odor, undecunque adve
Hi non expendentes ingenii ſui vi
quid poſſint ferre, quid recuſent, a
gunt in auſus, quibus pares non ſ
nec niſi magna & admiranda ſine
cio, ſine veritatis criterio in mediun
ferunt; vel ſcribunt de rebus, qu
nunquam, aut duntaxat ſuperficie t
ſtuduerunt, volentes haberi pro Phi
phis, pro Theologis, pro Politices
giſtris, quum tamen e Grammatico
ſubſelliis ægre eluctentur: vel novas
thodos & ſyſtemata proponunt in
bro heri nata, totiusque Antiquitatis
ribus in meliorem, ut ajunt, forman
digendis adlaborant. Alii vero par
ſtudio abrepti, vel adulandi arte quæ
facturi laudant, quæ vituperio digna
aut vituperant, quæ laudare deber
pro arbitrio ſuo palmas & lauros,

bus volunt, diſtribuunt, ſine fide ſine fronte res geſtas narrant e fontibus minime ſinceris, ac Heroes creant, qui non ſunt, ſed quos eſſe optarent. Alii demum & ſibi perſuadent, & aliis perſuaſum cupiunt, quod nihil ipſos lateat, quod omnia ſciant, quamvis conſcientiæ propriæ teſtimonium repugnet. Unde Seneca recte dicit: *Multos ad ſapientiam potuiſſe pervenire, niſi ſe jam crederent perveniſſe.* Atque hi tyrannidem quandam in aliorum dicta & ſcripta exercent, quisquis opinionibus eorum refragatur, huic crucem figunt, & velut pro tribunali ſedentes condemnant. Omnes iſti merito Criticorum ingenia & calamos adverſus ſe provocant, ut illorum inſcitia, graves errores, fraudes, fabulæ, mendacia palam fiant, & in Acta referantur, ne orbis literatus adulterinis ejusmodi mercibus compleatur.

XXVII.

Verum iſtis prætermiſſis ad ipſos Cenſores nos conferamus. Quidam munus hoc ſibi arrogant quaſi privilegio nobilis cujusdam libertatis muniti, quo licitum eſſe cuiquam credunt in Republica Literaria, aliorum ſcripta & ingenii monumenta in jus vocare, notare, abſolvere

vel

vel condemnare. Nihil oculorum ſuorum & calamorum aciem effugere patiuntur, ſemper ad cavillandum parati: hujus Auctoris dictio non placet tanquam minus latina, quia aureo ſeculo & Ciceroni ignota: illius ſcriptiones ſcholam olere queruntur: alium in hiſtoria Eccleſiaſtica, in ſcriptis Patrum, in re Antiquaria peregrinum, aut nimis credulum pronunciant: alterum malæ fidei vel plagii inſimulant: vix quisquam ſcriptorum eſt tam eruditione præſtans, tam fama celebris, tam antiquitate venerandus, tam probus, in quo non velut in ſole maculas & multa, quæ liberrime carpant, Cenſores iſti inveniant, ingenio ſuo atque judicio ſingulari plus quam decet fidentes. Non equidem inficias eo id, quod ex omnium ſapientum conſenſu exploratum eſt, uti in quærenda ac diſcenda veritate, ita etiam in proferenda atque prodenda ampliſſimum jus patere ingeniis humanis. Sed non minus pro comperto eſt, aliud eſſe jus æque vel magis forte, certum ac ſanctum, quod leges juſtitiæ, charitatis, prudentiæ ac moderationis tranſgredi vetat: nullum in iſta jus prætenſo juri libertatis eſſe poteſt. Quotusquisque autem cenſorum iſtorum eſt, qui non hodie Criticam

cam ſuam ad omnes æquitatis ac temperantiæ regulas compoſitam eſſe, ſoloque boni publici zelo negotium ſe hoc ſuſcepiſſe in Procemio quam largiſſime profiteatur, ſed in ſermonis contextu quamprimum & æquitatis & moderationis, & ſui ipſius obliviſcatur? Alii cenſorum ſunt, quos urit famæ ac gloriolæ cupido inſtar urticæ, & ſæpius mature nimis; quique nonniſi ſuper dirutas aliorum ſcriptorum aras trophæa ſua erigere ſtatuunt. Hi dum alienis inſiſtere veſtigiis, & cum aliis loqui indecorum ſibi credunt: interea novum aliquid ſupra cæteros adferre ſe poſſe deſperant, eorum opiniones quacunque via refellere, teſtimonia in dubium vocare, hiſtorias ſubleſtæ fidei arguere, omnique adprobatione auctores cæteroqui probatos exuere non verentur, ut nominis ſui famam ſpoliis alienis exornent: quin eo temeritatis quosdam progreſſos eſſe vidimus hoc ſeculo, ut promiſcue Sanctorum Veterum apotheoſes, etiam illas, de quibus vix prudens dubium eſſe poteſt, impugnare, ab antiquiſſimi cultus poſſeſſione illos dejicere, atque ab aris & focis, quantum in ipſis erat, removere conarentur. Poſtremum denique Cenſorum genus eſt, qui eo minus fidem meren-

tur, quo eam unicam, per quam ad æternæ ſalutis portum aditus patet, licet a Majoribus ſuis perpetua ſucceſſione acceptam veram fidem pridem abjecerunt ac ejurarunt. His nihil antiquius, nihil ſolemnius, quam conquiſitis undique argumentis male criticis ſanctorum Patrum ſcripta, & Conciliorum acta depravare, traditiones omnes etiam antiquiſſimas, & Eccleſiæ ritus tanquam ſuperſtitione plenos rejicere, Sanctorum res geſtas fabulis Æſopicis adnumerare, hiſtoricos ſacros mendaciorum ac fraudum poſtulare, ſummis Pontificibus & Eccleſiaſtico Ordini quævis crimina & nefandos abuſus adfingere, S. Scripturam ipſam ſiniſtris, quas ex hebraicis primis fontibus hauſiſſe ſe jactitant, interpretationibus corrumpere, ac falſiſſima dogmata ſua quæſitis coloribus obducta pro veris paſſim obtrudere: atque hi quidem venia digni non ſunt. Quamvis enim alii, quos non perverſus animus, ſed humani intellectus & mentis infirmitas a bono & vero abduxit, leni manu tangendi ſint, & errorum ſuorum ſecundum leges charitatis admonendi caſtigandique, iſti tamen quos malitia excœcat, quique oblata quavis occaſione, quin & quæſita nocere ac perdere ſtudent, acri ſtilo & aperto mar-

te,

te, utpote conclamati, aut Religionis veræ, aut veritatis & virtutis hoſtes impugnandi ſunt, ac debellandi.

§. II.

Damna, quæ parit abuſus Criticæ.

XXVIII.

Nunc ad graviſſima, triſtiſſimaque damna, quæ perverſa Critice non ſolum Reipublicæ literariæ, verum etiam Chriſtianæ infert, propius accedamus. Et *primo* quidem loco ars hæc male uſurpata (ſi tamen ars dici queat) & eos qui ſcribunt, & eos qui legunt, dum doctos & eruditos facturam ſe pollicetur, nonniſi ſcepticos facit, quales fuerunt veteres quidam Philoſophi Duce Pyrrhone, qui omnia contemplantes & examini ſubjicientes nullam de quacunque re certam ſententiam tulere, ſed de cunctis dubitarunt. Huc ſane tendit principium illud, quo Pſeudo-Critici iſti plerumque nituntur, ſcilicet *argumentum* quod vocant *negativum*, e ſilentio Antiquorum petitum, dum ex eo ad fabulas amandant omnia facta & eventa quælibet, præſertim communem rerum ordinem ſuperantia, quorum unus ſolum vel

alter Scriptorum meminit, aliis ſilentibus. Hoc argumentum male adhibitum aptiſſimum eſt ad negandas antiquiſſimas traditiones, miracula, & facta illuſtria ab inſignibus Auctoribus & SS. Patribus poſteritati commendata, vel certe ad omnia hæc in dubium vocanda. Unde ſapienter monet Mabillonius: (e) *Permagni rem eſſe momenti, ut nonniſi cautiſſima circumſpectione argumento pure negativo utamur. . . . quando nihil adeo pronum eſt, quam ex immoderata ſuimet fiducia ſibi imponere, dum obvius quisque ſibi blanditur, omnia ſe legiſſe, omnia obſervaſſe.* Triſtia exſtant hujus rei veſtigia apud Dupinum, Dallæum, Launoium de libro Judith a Synodo Nicæna in numerum Canonicorum relato, de epiſtolis S. Ignatii Martyris, &c. *Secundo*, ſanum judicium aufert, dum illud ſtabilire contendit. Pro ſumma Critices regula ſtatuit Dupinus (f) *judicium æquitatis & prudentiæ, ad quod utrinque rationes & conjecturæ trutinantur.* Sed quis non videt, auctoritate ſani judicii Criticam ſæpiſſime abuti, ut ſpeciem quandam tyrannidis in opiniones aliorum exerceat. Nam ubi quis ſyſtema ſuum ſu-

(e) *De ſtud. Monaſt. C.* 13.
(f) *Præf. Tom.* 1. *Bibl. Eccleſ.*

ſuper ruinas antiquitatis formavit, tum quidquid ei adverſum videbitur, per familiarem ſibi regulam ſani judicii damnabit. Huic cedere debent Patrum interpretationes, Eccleſiæ traditiones, conciliorum decreta : ipſa Scriptura uti loquitur Abbas Trapenſis (g) Critico videri deſinit emendata : opus eſt ſine intermiſſione Textum Græcum, Hebraicum & Syriacum adire. Ita ſanum, quod prætexunt, judicium inſanire facit homines quosdam, in cenſuris ferendis intemperantes. *Tertio*, Criticæ ſtudium ſine conſilio ſuſceptum non paucos ab aliis avocat ſtudiis, in quibus operam Reipublicæ Chriſtianæ longe utiliorem collocarent, & tempus ſurripit, quod occupationibus vi numeris ſui ſuſtinendis impendere deberent cum non modico hujus & conſcientiæ detrimento. Legunt hi ac relegunt ejusmodi libros Criticos, qui omnia in dubium trahunt, omnia carpunt ſine diſcrimine ſacra & profana, ubique rejectis veterum placitis nova cudunt pro arbitrio : & quoniam legunt abſque ulteriori examine ac diſquiſitione, credunt & adorant, atque in circulis & con-

(g) *In Reſponſ. ad Tract. de Stud. Monaſt.*

congreſſibus mirifice extollunt hæc male feriatorum Criticorum oracula, imbibuntque & ipſi & alii non raro ſenſa homini prudenti & catholico parum decora. Interea muneris concrediti partes non implentur, negotia domeſtica & publica negliguntur, cauſſæ prorogantur, dum in manibus, & ſub oculis continuo verſantur libri aliqui, qui magno hiatu neſcio quæ ſtatus Politici arcana arcaniſſima profitentur, quæ tamen miſere concamerata eo duntaxat tendunt, ut incautis ſumme noxiam in religionis negotio libertatem, Eccleſiaſtici Ordinis ac poteſtatis contemptum, invidentiam piarum largitionum, quævis in Republica novandi libidinem, & audendi ferociam, verbo, principia & dogmata Machiavello familiaria inſpirent. *Quarto*, mala Critice aliorum exiſtimationem imminuit, charitatem lædit, & famam lacerat. Sunt enim, qui Critices artificium fere totum in eo ponunt, ſi omnibus contradicere, irridere Veterum mores & doctrinam, alios errorum aut malæ fidei arguere, quos adverſari anticipatis opinionibus ſuis credunt, contemptim tractare, & aculeatis ſalſisque dictis liberaliter perſtringere valeant. Sed noverint iſti, latrare ac mordere canum eſſe, & qui his affines

ſunt,

nt, Cynicorum, non illuſtrium Critico-
m. Res certe deploranda, videre hu-
s etiam temporis Criticos non paucos,
ıi ſemel orta eſt inter eos controver-
. quæpiam, non ſolum argumentis &
njecturis, ſed etiam convitiis qua te-
s qua apertis ſe invicem impetentes
luti infeſtis armis, cum tædis ac faci-
s concurrere, ut unus alterius ædes
:endat. *Quinto*, denique abuſus Criti-
: magnos in Religionis negotio tumul-
s excitare ſolet. Nam ii, qui ſeſe a
mmunione Eccleſiæ Romanæ ſeparа-
nt, quum a ſchiſmate ſuo nihil reperi-
poſſent, quo inquietem animi ſui ſi-
rent, Rempublicam literariam velut
uvio criticorum operum inundarunt,
ibus aperta fronte fidei dogmata, &
. Patrum ac Eccleſiæ auctoritatem con-
llere ac conculcare nituntur: Alii ve-
, & pro dolor! etiam Catholici vel
ſere a prioribus decepti, vel ingenii,
næque gloriæ ſtimulis incitati non qui-
n ipſam fidem, ſed quæ illam inſtar
is circumſtant & tuentur, nempe ri-
, mores, traditiones antiquas & Pa-
m effata licentius, quam par eſt, im-
gnant, & minus quam decet verecun-
ſuggillant. Quanta res hæc mala &
ndala in populo Chriſtiano ſuſcitarit,

quum talia vulgari etiam & patrio ſermone in lucem edantur, non vacat heic pluribus commemorare. Laubruſſelus S. J. Vir religioſiſſimus, & ſcriptor Gallicus (h) „ Compertum eſſe, ait, quin- „ gentis retro ſeculis innumeram barba- „ rorum multitudinem Occidentem uni- „ verſum occupaſſe, ſecumque barbariem „ induxiſſe, quin ullum inde fides cape- „ ret detrimentum: Vidimus autem rur- „ ſus literas floruiſſe, ſtatimque Criticen „ & hæreſin ſocias fideles æquo greſſu „ remotas ſemitas perſequi, pari audacia „ eosdem fines prætergredi, easdemque „ Eccleſiæ leges poterere. „

XXIX.

Non poſſum hoc in loco præterire ſilentio eå quoque damna ingentia, quæ invehunt libri quidam, qui paſſim per manus etiam Juvenum & fœminarum ambulant, ſeu Critici ſeu ad artis Criticæ methodum conformati, & vulgari, ut dicebam, lingua conſcripti, Gallica, Italica, vel Germanica. Eorum materies & argumentum eſt aut bonarum artium & literarum idea, aut morum & politices doctrina, aut temporum noſtrorum Cri-

(h) *Tom.* 1. *Tract. de malo uſu Critices in negot Relig.*

Critica. In his ore latiſſimo præfatur Auctor, inveniſſe ſe modum & viam perveniendi ad ſublimem ſcientiæ ac eruditionis gradum, quin opus ſit inviſa ſcholarum limina ſalutare : non aliud requiri, quam ſedulam ejusmodi librorum lectionem, utpote temporis ac ætatis genio accommodatorum : repertum iri in illis tres maximas dotes, quibus abſque difficultate in omni eruditionis genere exiſtimatio quantocyus comparari poſſit. Harum prima eſt elegantia & nitor linguæ; ſiquidem hoc tempore tam concinne texuntur ſermones, verbis tam idoneis, tam bene collocatis, tam fluidis, tamque blandis, ut ſive verum ſive falſum dicas (quod parum ſolicitos habet hoſce ſcriptores) animus non mediocri oblectatione deliniatur. Altera, quod ſine ulla fere moleſtia, quæ in enodandis ſcholarum difficultatibus eſt abſorbenda, & ſine profunda illa quæſtionum ſpinoſarum diſquiſitione, quam *ſpeculationem* vocant, invenire quis poſſit omnes abunde jam explanatas in libris his novis, una cum methodo de iis loquendi more non triviali & qui ſcholam oleat, ſed nobili ac libero homine digno. Tertia, & quæ præcipua eſt, quod res addiſcantur eo, qui hodie apud viros prudentes vi-

get, modo, quin Veterum opinionibus ſerviliter adhærere cogamur, uti faciunt ingenia mediocria: quodque novorum omnium dogmatum notitia inde hauriatur, ita ut in Nobilium & Eruditorum conventibus ſcite proponi, feſtive ſuſtineri ac propugnari queant, & paratragædiare liceat, id quod non levem ſapientiæ notam parere, ac eruditionis characterem imprimere ſolet. His aliisque tam ſuaviter, quam leviter in libri limine pronunciatis ineſcantur lectores incauti quam plurimi, præcipue juvenes ac fœminæ naſutulæ, ut aliorum librorum quantumcunque utilium nauſeam concipiant, illos ſolos deprædicent tanquam oraculorum ſacraria, & arcanorum omnium compendia; commiſeratione que dignos proclament, qui alios legendi, quin & aſpiciendi laborem ſibi ſumunt. In his libris opinione ſua adeo cultis ornatisque plurimas invenire veritates atque doctrinas ſibi videntur, olim prorſus inuſitatas, & ambabus manibus velut cœlo delapſas excipiunt: diſcunt contemnere multa, quæ plurimi faciebat Antiquitas, & in dubium vocare veritates, quibus olim velut certiſſimis adhibebatur fides. Gratulantur ſibi, & plaudunt, quod neſcio quo Superum favore tandem

dem animum tot ſubmiſſionibus, & intellectum tot ſervitutibus exolverint, quibus alias prudentiſſimi quique cogebantur ſe ſubjicere, atque captivos dare, dum modo perruptis repente obſtaculis omnibus ad id ſapientiæ culmen, quemadmodum ſibi blandiuntur, ſunt eluctati, ut tuto conſtituere ſe ipſos poſſint judices vel illius, quod adprobari, vel ejus quod repudiari meretur. Ita quævis ad tribunal judicii ſui vocant, & plurima rejiciunt eorum, quæ adpellari ſolent opiniones piæ, plurimasque conſuetudines, ritus, & ceremonias totius Antiquitatis ſuffragio conſecratas, tanquam res, quibus homines ſimplices, nimiumque religioſi hucuſque inutiliter ſe occupaſſent. Inde ſenſim naſcitur contemptus Ordinis & neglectus Juris Eccleſiaſtici, circa quæ plures excitantur quæſtiones invidia plenæ: irridetur ſimplicitas Majorum, qui in monaſteria, templa, & noſocomia ædificanda dotandaque proventus ſuos ampliſſimos profuderunt: attrectatur profanis manibus poteſtas in res & perſonas ſacras: nihili penduntur decreta & ſanctiones SS. Conciliorum: impune leges Eccleſiæ violantur, & nova Religionis cujusdam heteroclitæ ſyſtemata cuduntur, & quod ore creditur, vita & moribus

bus negatur. Atque hic fructus eſt, quem ex ejusmodi libris decerpunt velʼuti ex arbore *ſcientiæ boni & mali* cum primis parentibus quandam divinitatem ſibi arrogantes: *eritis ſicut Dii*, (i) ſed fato ipſis & toti poſteritati lugendo.

§. III.

Exempla perverſæ Criticæ.

XXX.

Ne autem malum Critices uſum temere perſtrinxiſſe cuiquam videar, nonnulla hujus rei exempla prodere conſultum duxi, quorum aliqua illos tangunt, qui ſtimulante vel invidia vel malitia in tranſverſum acti, alia eos, qui nimia ingenii libertate hoc in negotio lubrico hallucinati ſunt, ubi tamen non tam mea, quam aliorum judicia in medium proferam. Gaſpar Scioppius, Neagoræ oppido Palatinatus Superioris natus an. 1576. vivax & acre ingenium nactus eſt, multaque eruditione grammatica politum. Omne fere tempus & animum ad Criticam adplicavit, qua latinos Auctores & Grammaticos bene multos gravium errorum arguit, propria præter modum

(i) *Geneſ. C.* 1.

dum extollens, & aliena ultra omnes honeſtatis & prudentiæ limites arrodens: ipſum adeo Ciceronem barbariſmi reum agit, & Julium Cæſarem Scaligerum quingentorum mendaciorum conviciſſe ſe gloriatus eſt. Neque ſolum ſcriptores antiquos & probatiſſimos momordit, ſed etiam Gymnaſia, Literas, Politicam, Eccleſiam, & quidquid obvium erat, contumelioſe calamo ſuo aggreſſus eſt, dictus propterea *Grammaticus Canis*. Scaliger, de quo primum dixi, Criticæ artis peritiſſimus, neque ipſe notam intemperantiæ potuit effugere. Nam in Eraſmum, qui ſuperſtitioſos Ciceronis imitatores reprehendit, tanta mordacitate ac vehementia invectus eſt, ut paraſitum, ebrioſum, indoctum, ſtultum, ſcopulum religionis, eloquentiæ maculam & generis humani viperam nuncupare non erubuerit. (k) Non pauci Scaligero addicti furentem ejus Criticen cohibere ſtudebant, ſed ubique dominantem ſiſtere nequiverunt. Non minus Deſiderius Eraſmus, Roterodamus, Grammaticorum ſui ævi facile princeps, qui plurima SS. Patrum ſcripta e tenebris & pulvere reducta primus typis excudi fecerat, Theologica ſcientia ferme deſtitutus in iis cenſen-

(k) *Orat. in Eraſm.*

mittit occaſionem Clericus, qua in dentis Criticæ ſuæ regulas ad religion Catholicam exagitandam & contem habendam adplicet.

XXXI.

Veniamus modo ad eos, qui & i nio & judicio præſtantes, ac orthod fidei addicti inſignem operibus ſuis c cis, præſertim in hiſtoria Eccleſiaſtica mam adepti ſunt, quosque Libri hu Capite II. §. II. num. X. ad finem ſine encomio recenſui. Suos tamen hi manes paſſi ſunt, ac nævos non dicos nec paucos in illorum lucubra nibus graves, qui poſt ipſos ſcripſeru Cenſores notarunt. Dupinus non reverentiæ Patribus, eorumque ſcri debitæ penitus obliviſcitur: Merum judice figmentum eſt, & futilis med tio, ſentire cum D. Hieronymo, Siby a Deo vaticinandi donum recepiſſe virginitatis ſuæ præmium: factum id nimia Patrum credulitate ſuper h oraculis (nempe Sibyllarum) nim evidens eſſe, quam ut aperta hæc V rum oſcitantia ulla ratione purgari ſit: rurſus, S. Epiphanium, dum Se rum ante Tatianum fuiſſe aſſerit, erraſſe via: plura facta a Patribus

poſita tanquam genuina inter fabulas recenſenda eſſe pronunciat. Alibi perſuadere ſibi non poteſt, Symbolum Apoſtolorum ab ipſis revera digeſtum eſſe, quod tamen tradunt Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, &c. Ludovicus Danes (n) de Auctore iſto, ſcilicet Dupino, ſic loquitur, „ Ludovicus Ellies Dupin, Doctor Pari-
„ ſienſis, Vir plurimæ lectionis & ſcriptio-
„ nis, ſed novitati, immodicæ criſi, &
„ Janſenianis Queſnellianisque partibus ad-
„ dictus, ideoque non ſemel atro carbone
„ notatus, &c. „ Tillemontius in ſuis opinionibus & criticis animadverſionibus admodum inconſtans eſt, & a ſe ipſo in pluribus locis diſſidet: ſæpe probat & improbat eodem calamo eosdem Auctores, & multa opera dubiæ fidei in teſtimonium ſententiæ ſuæ pluribus locis adducit, uti Chronicon Paſchale ſeu Alexandrinum, quod tamen alibi ſupinis erroribus ſcatere aſſerit: S. Aldhelmum quamplurimis hiſtoriis incertis & palam fabuloſis redundare: V. Bedam non paucas corruptas hiſtorias in ſuum cenſum tranſtuliſſe aſſeverat, quin ullum validum de his erroribus objectis argumentum adferat: Euſebium memoria lapſum, & minus accuratum

(n) *In general. temp. notitia.*

tum fuiſſe: S. Clementem Alexandrinum manifeſte deceptum eſſe inquit: vocem *Trinitatis* tribus primis ſeculis in uſu haud fuiſſe audacter memorat, quum tamen conſtet, Tertullianum & Cyprianum crebro illam adhibuiſſe, & Novatianus ingens *de Trinitate* volumen conſcripſerit. Mirum ſane! hic ipſe Tillemontius de Criticorum a Patribus diſceſſu, his verbis contra Lamium conqueritur: „ Novi equidem, ſentire præſtantes ingenio „ atque eruditione Viros, alteram tui „ operis partem anſam præbere poſſe ad „ reverentiam Patribus debitam immi„ nuendam, quod perincommode accide„ ret ſeculo noſtro, quo calamitoſa pa„ tet hominibus celebriores Eccleſiæ Pa„ tres in contemtum adducendi licentia, „ & quo religione nulla a fidei noſtræ „ Patribus, Deique amicis non pauci „ transfugiunt, ut haud rato ad utriuſ„ que hoſtes infenſiſſimos devolent. „ (o) Bailletus quantum ſuam in arte Critica peritiam extollit, tantum deprimit aliorum hac in re doctos labores, ac ſi nemo præter ipſum de Actis Martyrum, & Sanctorum hiſtoriis fide dignum quid protuliſſet: perſuadere nobis conatur, (p) ab

(o) *Tom. 2. Epiſt. ad P. Lamium O. S. B.*
(p) *Tom. 1. Orat. ad vitas Sanctorum.*

ab Eccleſiæ exordio uſque ad elapſum ſeculum nihil in hanc rem numeris omnibus abſolutum in lucem prodiiſſe, neque ullum, qui de hiſtoriis Sanctorum ſcripſit, ſi Euſebium excipias, reliquiſſe nobis aliquid, quod eruditis auribus & oculis tolerabile foret: Fundamenta non raro evertit, ſuper quæ Criticam ſuam extruxit, & ſiniſtra fert judicia de iis, e quibus ipſis multa pro ſuis lucubrationibus depromſit, præſertim de Metaphraſte, quem alibi dicit, *nimium exquiſite mentiendi artem tenere.* Illa veriſſima, quam neſcio an de aliis, an de ſe ipſo protulit criſis, quando ait: *Criticos propenſionem animi in ſe ipſos, æque ac reliquos homines, nonniſi cum corpore deponere.* Simonius eodem quo prior morbo, quin etiam graviore laborat, jactantia ſcilicet, & Patrum contemptu. Perſpectum tandem habui, ait in ipſo operis ſui limine, neminem ad hanc diem ſacrarum Literarum Criticen penitus introſpexiſſe: Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium & Baſilium præcipitis judicii, linguarum ignorantiæ, levitatis, & plagii reos agit: certe Hieronymo objicit, quod non ſatis, quæ ſcripturus erat, perpenderit, neque ſemper qua par erat moderatione criticam ſuam cohibuerit, & *vul-*

gatam quam dicunt *verſionem* multis
vis conſperſerit: Auguſtinum carpit, c
in hoc ſtudiorum genere ſuperficie t
ſit verſatus, quodque linguæ græcæ
ſatis gnarus, & hebraicæ prorſus e
iis, quæ Manichæi objecerant, minu
portuna reddiderit reſponſa: de Am
ſio inquit, eum ferme nihil aliud p
tiſſe, quam quod Origenis libros &
ſilii homilias inverſo verborum o
tranſcripſerit: miraculi famam de u
Loth in ſtatuam ſalis converſa, &
linguis ad turrim Babel confuſis elev
evertit: conjecturis duntaxat innixus
tateuchum Moſi eripit, cui tamen A
ri librum hunc tota ſane Antiquita
judicat. Mirum proinde, non eſt,
Simonii Critica non ſolum apud C
licos, ſed etiam apud Acatholicos v
menter vapulet, ac impudentis cer
arguatur. Alexandro Natali vitio
tunt recentiores Critici, quod non f
in teſtes vocet opera tum dubia,
ſpuria, quæ modo a Viris eruditis
riſque univerſe exploduntur: quo
ſuis regulis ſibimet ipſi contradicat:
erga Patres quandoque parum rev
tem ſe exhibeat, dum formulis u
minus civilibus: *Epiphanius deceptus*
Severo Sulpitio non eſt fides adhibe

Gregorius Turonenſis erravit: S. Ephrem, Damaſcenus, Evagrius minus expenderunt, decepti ſunt in cenſura ſua, &c. quod Pontificum poteſtati auctoritatique minus æquum ſe præbeat.

Neque Launoius & Ruinartius adeo felices fuerunt, ut virgulam cenſoriam aliorum Criticorum evaſerint: Primo objiciunt, quod duo Oroſii loca vitiaverit, plus in multiplicandis antiquorum teſtimoniis, quam in ſtabiliendis deſudaverit, & celebratiſſimam translationem Domus Lauretanæ argumento negante, quo perpetuo utitur, convellere conatus fuerit, cujus tamen levitatem ſolide oſtendit Theophylus Raynaudus, ac invictis rationibus & teſtimoniis ipſam translationem defendit: in Altero monumenta, quæ adfert, ſatis multi non probant, utpote eorum judicio minus rata firmaque, quemadmodum hiſtoriam S. Jacobi, Acta S. Juſtini, S. Vincentii M. SS. Luciani & Martiniani MM. &c. Adverſarios quoque ſuos nactus eſt Fleurius, quorum unus ejus hiſtoriam reprehendit, eo quod facta quædam ſatis certa de B. V. & SS. Apoſtolis ſtudioſo ſilentio prætererierit: alter principia meliora de jurisdictione Eccleſiaſtica in eo deſiderat: alius rigidior forte

quam par eſt cenſor malam ei fidem objicit. Illud ſatis certum eſt, nimia Fleurium libertate in ſcribendo uſum eſſe, plurimaque protuliſſe, quæ a vulgo legi nequaquam expedit. Hiſtoria vero ipſius a quodam Acatholicorum in linguam Germanicam translata, fœdeque corrupta omnino eſt rejicienda.

XXXII.

Jam ſatis de abuſu Critices, ejuſque triſtibus exemplis dixiſſe mihi videor; qui plura deſiderat, conſulere poterit Animadverſiones in regulas & uſum hujus artis doctiſſimi ac integerrimi Critici, quem ſæpius memorabam, P. Honorati, in quibus inveniet præcipuarum inter Criticos poſtremi ævi controverſiarum illuſtria exempla quamplurima in utramque partem accurato examini ſubjecta. Ex his autem, quæ breviter pro inſtituti mei ratione hoc capite recenſui, documenta quædam deduco magni momenti, ad quæ Lectorem animum diligenter advertere velim. Primo quidem facile intelliget, quantis difficultatibus obnoxia res ſit vera Critice: opus eſt enim cognitione plurimorum & præſtantiſſimorum Scriptorum, veterum & recentiorum: teſtimoniorum & conjecturarum ſedula

a comparatione: judicio probe limato veritatem eruendam, ſerendamque tentiam. Opus eſt deponere omnes eceptas opiniones, & ſiniſtris adfectio- us vanæ gloriæ, æmulationis, & invi- , pertinaciæ in ſentiendo, ac nimiæ ertatis in judicando mentem expurga- Opus eſt moderatione ingenii ſane xima, qua intra limites honeſtatis, identiæ ac gravitatis animus & cala- s ſcribentis perpetuo cohibeatur, qua re plus vel minus magni etiam nomi- Criticos peccaſſe vidimus. Porro, amvis hi ipſi ſaluberrimas artis iſtius re- ias conſtituerint, ac rationibus & exem- illuſtraverint, non raro tamen vel ſui memores, vel novitatis cupiditate vi- s eas fuiſſe transgreſſos deprehende- s, ſupremos credo Principes imitari vo- tes, qui aliis leges condunt, ipſi vero ibus vinciri renuunt. Dein obſervare t, excellentes hos Criticos ſæpius non um inter ſe diſcordare; quod unus lto labore ædificat, alter levi velut chio deſtruit: quod hic ex Auctoris usdam antiqui fonte aſſerit, ille ex eo- n negat: quod iſte tanquam rem certiſ- iam profert, alius omnino in dubium cat. Ita mutuis cladibus inclareſcere dent, unusque ſuper alterius ruinas tro-

phæum erigere conatur. Demum pleri- que nimio Critices ſtudio & libertatis aura abrepti, quo altius provehuntur in hoc pelago, eo magis ultra columnas debitæ vetuſtis Traditionibus & Patribus reverentiæ feruntur, & dum in omnia criſin ſuam expediunt, de omnibus denique lectorem dubitare docent, fructu tot vigiliis & voluminibus certe non emendo.

APPENDIX.

CRITICA SUPER CRITICAM.

§. I.

Epicriſis Sectaniana.

XXXIII.

Ea felicitas eſt temporum noſtrorum, ut artium & ſcientiarum florente ſtudio omnium præteritorum ſeculorum memoriam longe ſuperare: ea ſoli fertilitas, ut ingenia quocunque literarum genere ornatiſſima non tam excoli, quam naſci videantur. Perſpicuum id eſt tres potiſſimum literariæ Reipublicæ epochas conſideranti. Græcia quidem bonarum ar-

artium parens vulgo habetur; ſed ut nihil dicam, eas a Platone & Lycurgo poſt ſuſceptam ad Ægyptios & Chaldæos, Hebræos & Phœnices peregrinationem illuc delatas eſſe, non ſecus ac olim Prometheus ignem a ſole furatus eſſe perhibetur: ut nihil inquam de hoc dicam, omnis Græcorum ſapientia duobus quaſi regionis hujus angulis concludebatur, Athenis ſcilicet & Corintho: ultra has urbes vix eſt egreſſa. Novimus enim Bœotos & Ætolos, magnam Græciæ partem, homines ſtupidos fuiſſe; Spartanos quoque & Thebanos ferreos, utpote armis tractandis continuo occupatos. Tum vero ad Romanos e Græcia migrarunt Muſæ; non tamen ampliores, quam ipſa Roma, fines nactæ ſunt, cujus mœnibus totum agmen Sapientum circumſcribebatur. Quin paucis admodum ſcientiis portæ patebant. Nam præter Oratoriam, Poeticam, & Hiſtoricam vix aliæ fuerunt civitate donatæ: Medica ſervilis erat, & quumprimum inſolens eſſe cœpit, ultra tertium ab Urbe lapidem, immo tota ex Italia fuit proſcripta: Philoſophiæ naturali nullum pene pretium erat; ægre nec niſi inter probra ſe ſuſtentabat: Matheſis tota in horiolandi arte ponebatur, & inde turpem quæſtum Haruſpices, Augures,

& Sacrificuli faciebant. At noſtro ævo non una ſolum civitas, aut una regio ſapit, ſed omnis Europa liberaliſſimis ſtudiis fervet, totus Septentrio philoſophatur: Literatorum numerus fere tantus, quantus civium: nulla ars, nulla ſcientia, quæ non immenſis ſumtibus & indefeſſis laboribus non dicam exculta, ſed ad ſummum apicem perducta fuit: reconditas quasque diſciplinas, quæ Veteribus ne de nomine notæ, nedum de facie, in plenam meridiem protractas modo videmus & obſtupeſcimus. Atque hunc bonarum artium ſplendorem, abundantiam, varietatem, & magnificentiam potiſſimum arti Criticæ debemus, quemadmodum primis tribus libri hujus Capitibus demonſtravi: Ipſa hæc ars, ſeu Critice, tot clariſſimorum Virorum aſſiduitate, tot ingeniorum acumine ad ſupremum nunc faſtigium evecta eſt, nec ullus Manuſcriptorum & librorum angulus reperitur, quem non excutiant Critici, & monumenta inde eruta palam circumferant. Et quis eſt vel modice literis tinctus hoc tempore, qui non Critici nomen & partes ſibi vendicat? Verum hæc ipſa immenſa ſciendi & inclareſcendi cupiditas (quam non inſcite cum Chymicis *Fermentationem* dixeris) hæc inquam cupiditas facit, ut nobiliſſima Cri-

ticæ

ticæ ars, & cum ipſa reliquæ in præcipiti ſtare, ac ſub mole ſua fatiſcere videantur. Quum enim non pauci ſint, quos cum aliis ſentire, aliorumque ingeniorum veſtigia terere pudeat, ſed mirum quantum corrigendi, mutandi, poliendi, antiqua rejiciendi, & nova in theatrum producendi ardore flagrent, & gloriolæ cujusdam ambitione vix non crepent, gaudentes

Digito monſtrari, & dicier: Hic eſt,

pededentim pro ſummis tantæ artis virtutibus non minora, illisque finitima vitia ſubrepſerunt: animi levitas, præceps judicium, novandi libido, faſtus & veterum contemtus, atque omnia carpendi libertas, quæ in maximum ſane diſcrimen adducunt Rempublicam literariam, ejusque non ſecus ac Imperii inclinationem promovent. Nolim ego hac in re quid ſentiam proferre, meoque unius judicio ſtare: alieno potius ore loquar, atque ideo ab invidia remotior; quumque non ita pridem in manus meas pervenerint quatuor inſignes Satyræ Lucii Sectani, ex iis quæ ad rem præſentem præ reliquis faciunt, collegi atque in ordinem aliquem redacta heic exhibere conſtitui. Latet ſub nomine ficto verus Auctor Italus, in hoc carminum genere celebris, nec impar

Ju-

Juvenali & Horatio; quumque admodum rara ſint, nec niſi Eruditis nota Satyrarum iſtarum exemplaria, obſequium me Lectori præſtiturum arbitratus ſum, ſi ſelecta quædam & interpolata fragmenta huic libro insererem.

L. Sectanus. Q. Fil

De tota Græculorum hujus ætatis literatura. Sermones Quatuor ad Gaium Salomonium.

Hagæ Vulpiæ.

1738.

Sermone ſecundo inducit Auctor Græculum aliquem, quem Rullum vocat, reconditæ eruditionis exiſtimatione propria tumentem, qui primo omnium ſuadet contemnere methodum diſcendi, docendique hactenus in ſcholis uſitatam:

Sic igitur ſtatuas, Salomoni; ex omnibus eſſe hoc
Grande rudimentum, ut vetus & laudata tot annis
Diſcendi ratio nigro carbone notetur,

Nul-

Nullaque Gymnaſii ſit jam reverentia cani.
Hoc recitat teneris ante Alpha & Beta puellis
Orbilius, mire juvenes formare protervos
Doctus, idem & poſcit jurari a ſimplice turba:
Hoc demum quicunque placet ſibi nomine docti,
Poſtulat, atque inter fatalia ducit habendum.
Sic eſt: emeritos contra ferat arma Magiſtros,
Qui modo vult dici ſapiens . . . . .
. . . .
. . . . . Hoc multis aditum patefecit ad aſtra.
Quidni etiam facias? pronum eſt everſa crepare
Jura, dolo abreptos juvenes, fractam gravitatem
Eloquii, fatuis ſpurcata elementa rubricis,

Et

Et totum innumeris vitiatum peſtibus ævum.

Hæc quantum potes, ut clamoſum ſtentora vincas,

Teſtare intredidus.

Tum laudibus ad cœlum uſque extollere jubet recentes quosdam ejusdem ſecum farinæ Scriptores:

Hos ſolos ſapere; huic auro decedere dices

Scriptorum quæ mox ſucceſſit ahenea proles:

Hos uſque obtrudes laudans per fasque nefasque.

Hoc bene ſi præſtas, & frons tibi ſufficit, & vox;

Monſtrari digito multa inter millia tento

Paullatim incipies, tantam & mercabere famam

Exiguo hoc pretio, quantam Culicanus abactis

Jam ſæpe Odryſiis, & tandis mille ſuperbus.

Jactat

ſtat ſe Rullus, quod abſque præcepto-
ſcholæ uſu omnia didicerit. Sermone
mo:

Jamne vides, quanta ſe majeſtate vetuſtas
Explicet illa nitens; quæ ſit conſtantia dictis,
Quam comtæ Veneres, ſeu Roſtra Orator inundem,
Et torrens rapido volvatur flumine ſermo:
Ludere ſeu malim numeris, graciliquè ſonare
Pectine, & epotas ructare Aganippidos undas?
Hujus ego laudis ſoli mihi debitor, & Dis:
Nam quod jurato vix poſſes credere teſti,
Ipſe mihi Dux, ipſe viæ comes unus: egomet
Me caſtigabam interdum, mihi ſæpius aurem

Pel-

Vellebam, reus idem, ultor, præceptor,
alumnus.
Quid non ingenio ſperandum, & Nu-
mine dextro !

Pergit grandi ſupercilio ſuggillare ac perſtringere Auctores, qui ſolent explicari in claſſibus ſcholarum. Sermone eodem.

Da Tiberi propere aut flammis, quoſ-
cunque ſolebas
Suſpenſa ex humeris pera geſtare li-
bellos,
Alvum cum trepido tibi nola inviſa
cieret
In mediis audita jocis. Etiamne na-
tabit
Tullius, aut triſti crepitabit Horatius
igne ?
Ardebitque iterum cum grandi Troja
Marone ?
Nec pius Æneas, nec flammam eva-
det Julus ?
Alvarus hoc pereat fato.

Jam vero Auctor Satyræ irridet magnum hunc, ſi Superis placet, thraſonem : in-
pri-

primis ejus, quam jactat clamoſam & inanem eloquentiam. Sermone ſecundo.

Sic jam res agitur, ſententia cognita lippis,
E medio conlecta foro, madidave taberna,
Ducitur in gyrum, quantum vix porticus ambit;
Pro Vaticano quæ curvat brachia Petro.
Hinc atque hinc longo carioſa vocabula textu,
Particulis multis conſuta, & nexibus uncis.
. . . . Quid denique? poſt tot
Circuitus exit? quod ROMA EST TIBURE MAJOR.
Quippe novum atque ingens, tanto & conamine dignum!
Volvitur inde parem ſimilis veſica per orbem
Poſt alia; extremo donec concludit hiatu,

DICEBAM. Superi! grates: ſed de aggere tanto
Verborum, quota particula eſt, quam tollere velles?

Irridet non minus miſeram Græculi poeſin, quam græcis quibusdam vocibus conſpergit ad oſtentationem, adplaudentibus ſociis & paraſitis. Sermone eodem.

. . . . *Fortaſſe & Graculus audax*
Quem male vexat honor, famaque urtica perurit,
Diſſrupto jecore innatam egereret caprificum.
Nunc autem Kappas aliquod ſi forte, & Jotas
Struxerit, Auſonio damnatas nubere metro;
Semimaresque ſonent, quod vix intelligit ipſe
Qui recitat, verſus, Bene, nequiter, Euge, beate!
Ob amor Adonidum! ob rebus decus addite noſtris!

Fer-

Ferte citi lauros, lauris innectite flores;
Huc pueri violas, huc plenis lilia ciſtis
Fundite: nulla Venuſini jam gloria: ſordet
Naſo, & in exſilium tantum non mittitur: ipſi,
Ipſi adeo ſacræ nutant in fronte corollæ
Virgilio, atque aliquis divinam Æneida culpat.

Perſtringit poſtea Scioli hujus Philoſophiam geometrica methodo, & ad mechanicas leges conſcriptam, ſed ſolidæ ratiocinationis, & artis ſyllogiſticæ penitus expertem. Sermone eodem.

Jura Stagiritæ, longum inviolata per ævum
Ipſe palam damnat, dicique Geometra mavult,
Quam Logicus, quom ſit caudex in utroque. Lycæum
Cur tamen adcuſat? quæ odii ſcintilla? quid eſt, quod

Tortilibus ſyllogiſmos magis auribus horret,
Semper & argutis commiſſa triangula quadris
Oſtentat? non eſt res ardua nempe, docente
Tacquet, lineolas rectas & ducere curvas,
Multiplici & flexu ſtruere ancipites labyrinthos;
At fugere incurſans lunata fronte dilemma,
Admotumque gulæ, & ſtringentem in BARBARA nodum
Solvere difficile eſt. Adde huc, quod myſtica ſigla;
Et magicas illas pueri indoctique figuras
Non capiunt, laudantque tamen, majoraque credunt
Prodigia, ardentes quam quom vomit ore favillas
Ludius . . . .
. . . . . .

Sa-

. . . . Satis eſt, ſi magna vocabula diſcas;
Et diagonales, tangentes, atque ſecantes,
Priſma, parallelas, rhombos, polygona, cylindros
Uſque crepes. Si te piget hujus, diſce papyrum
(Momenti exigui res eſt) variare figuris,
(Quas modo ſi demas, nemo Sophus audiet unquam)
Pnevmaticum & calamo, Boyle quem condidit olim,
Pinge tholum: rapidis nec diſſocianda caballis
Æra cava, inter quæ medius non permeat aer.
Deſcribes & inæqualem ſiphona, tubosque
Multiplices, cluſo doctos ſignare liquore
Temperiem, ætatisque vices, ſummumque Decembrem.

Quæ tu cuncta notis paſſim diſtincta, bacillo
Monſtrabis longo, cauſſasque & nomina dices,
Blandimentum ingens bibulis facturus ephebis.
Materiam vero, ac formam, ramosque comantes
Porphyrii, Veterum canones quoque Stoicidarum,
Socraticamque vetuſtatem majore cachino
Excipies . . . .
. . . .
Quid facias? jubet hoc ætas & Gallia victrix.

Transgreditur Auctor ad notandam vanam Græculi jactantiam de peritia (quantumvis tenuiſſima) in re Numaria, & Antiquaria, ac ſi nemo doctus eſſe queat, qui harum rerum gnarus non eſt. Sermone tertio:

Quis mihi nunc autem tinnitus percutit aures?

Fal-

Fallor? an eſt, qui me ſonitu interpellat acuto?
Denuo Rullus adeſt; & tintinnabula forte
Obtinuit, miſero jam pridem debita collo.
Papæ! centenis ſtrident marſupia nummis.
Unde hæc ubertas? Nec enim patrimonia tota
Diſtrahere optanti tantum daret Haſta peculi.
Sis ſalvus, Rulle, & proſit, nummatus abunde
Quod venis. At non, ille refert, vulgaria ſunt hæc
Publicaque, & noto percuſſa numiſmata prælo,
Quod tu rere. Habeat ſibi talia dives avarus,
Et cui ſorte datum eſt. Nobis virtutis amica
Æra placent, & quæ doctrinæ fida miniſtrent.

Mirum eſt, quod narras; adcendis
illa videre
Ut cupiam: profer, ſodes. F
imo libenter.
Nec mora: bis centum exeſi fragm
ta metalli
Pellicula inverſa depromit, & inci
Hæc eſt
Aurelii facies: procurrens adj
mentum,
Horrentemque pilis barbam. Heic
leata ſuperbit
Roma: vides prælongam haſtam,
ſtasque minaces?
Quæ tamen hæc, nudas monſtrat
turgida mammas?
Auguſti Neptem agnoſco, matrem
Neronis.
Infelix Mater! ſua quem male ſu
volentem
Perdidit ambitio, & regnandi a
cupido.
En tibi cum Nato ſculptus nitet
*ptor Olynthi, **

Q

* Philippus pater Alexandri M.

Quid melius Superi! nullas huic comparo gemmas,
Oſculor, & Graia contuſam incude monetam
. . . .
Oh! ætas miſeranda patrum! quom talia ſoli
Curabant monumenta fabri, tantoque metallo
Vaſcula fiebant, pelves, craſſique lebetes,
Plurimus & tumidas migrabat Cæſar in ollas.
. . . .
Hæc tu non pereant, cave; ſed nec ſperne lucernas,
Fictilia & vaſa, & ſacras Dis manibus urnas,
Poculaque & patinas, muſcoſa & fragmina Trullæ,
Conſule quæ ſcripto ſemuit, gypſoque notata.

Quid plura? Antiqui nec Conſulis excrementum
Abjicies, vitrea ſed tantum pyxide ſtercus
Servabis caute, laſano quod putruit olim
Forte Corinthiaco: & certe veſtigia odoris
Magni ſervat adhuc, ſolerti judice naſo.
Denique quidquid erit defoſſis forte ſepulchris
Inventum; ſaxa inprimis, quæ in funere acerbo
Natorum mæſti tumulo impoſuere Parentes;
Et quæ Libertis Libertabusque Latinus
Rite inſcripſit Eques privati in ceſpite fundi;
Accipies veluti ſimulacrum Palladis axe
Demiſſum, inque domus adyto interiore locabis.

Tum

Tum ſuper his quæcunque voles, narrare licebit :
Vera an falſa, reus nullo ſub Judice fies :
Dum rigeat vultus, dum vox non hæreat unquam,
Fingere & intrepide diſcas, Frontone Magiſtro.

Porro vanitatem accuſat Græculi, & huic affinium, qui ſplendidas inſtruunt bibliothecas, non tam ut docti ſint, quàm ut videantur eſſe; plus ſoliciti de numero, cortice, ac nitido involucro librorum, quam de illorum doctrina & uſu. Sermone tertio.

Quin age, & hoc etiam tot demum fraudibus adde,
Ut tibi ſcriptorum pateat longiſſimus ordo.
Utile & hoc multis; ſed enim delectus habendus,
Curandumque prius, ne cui pittacia deſint
Aurata, ut minio niteant hinc inde rubello

Char-

Chartarum limbi, nullusque ex ordine peccet,
Et ſerie in tota menſura ſit omnibus una.
Nec minimum intererit, quo tempore prodierint, quo
Impreſſore: Unum renues mutare trecentis,
Pagina ſi Junctam referat tibi prima vel Aldum, *
Fumida ſit quamquam, & tineis eroſa papyrus.
. . . . Nunc venantur priſca exemplaria docti,
Et potiora typis ducunt chirographa, quorum
Vix longo exprimitur tormento ſyllaba verax.
Quot modo Calliphanes video, queis magna librorum
Congeries praſtat tantum hoc, ut Bardocucullis
Imponant pulchre, & vana ambitione ferantur!

Mul-

* Celebres Typographi ſeculo XVI.

Multos Rullus habet, conquiſitosque libellos.
Quid tum, ſi totos dormire jubentur in annos
Pulvere conſperſi, & præbent convivia blattis;
Ipſe autem præter titulos nil adtigit unquam?
Attamen, ut facile indocti capiuntur, Olympo
Copia librorum, tegumentaque Gallica Rullum
Impoſuere. Putat tam ſtultum nemo, coemta
Cui fuerit magno nil profectura ſupellex:
Et vero prodeſt, dum veram excuſat inani
Cortice doctrinam, tantundem & gignit honoris.

Exagitat quoque Græculum ob adfectatam Criticam, qua in ſacris & profanis omnia miſcentur, ac in dubium vocantur antiquiſſimæ traditiones: immo ſæpe audacter negantur. Sermone eodem:

. . . . primum quæ ſit magis apta placere,
Materiam ſume, & pauliſper temporis hujus
Ingenio indulge: certa erit fiducia plauſus,
Si Critices aliquid promas. Tam mellea Siren
Nulla modo eſt, velut hiſtoriæ cenſura prioris,
Omnia quæ miſcet, tenebriſque involvit opacis.
Immane eſt, quantum campo ſe jactet in iſto,
Cui cor dulciculæ prurit tentigine laudis:
*Volvitur huc illuc, ut ſetas quærat in ovo, **
Lictorum ſimilis, dubiam dum forte tabernam
Certatim excutiunt, & tela Liguſtica quærunt,
Furtivumque ſalem, aut vetita de incude Philippos.
Nec

* Idem eſt, ac nodum in ſcirpo quærere.

Nec ſi longa fides, multos ſervata per annos
Commendet quiddam, & velut inter ſacra reponat,
Abſtinet: annorum nulla eſt reverentia centum,
Quamquam Pragmatici læſo de jure querantur;
Factaque conſenſu Majorum hucuſque probata
Inter fabellas tamen adnumerantur aniles.
Tene o ſancte Faber, prima vernaſſe juventa,
Quom Jeſſæa tibi ſeſe Virguncula junxit? *
Omnes reclamant Tabulæ: Vetulum mihi nutrix
Deſcripſit puero, ſi rite audita recordor:
Omnibus eſt eadem vox, & ſententia concors.

Nil

* Sunt qui negant S. Joſephum fuiſſe ...ite profectum, quum illi nupſit B. Virgo:

Nil refert: totum hoc non pendit Gallius hilum,
Si deſint monumenta oculo ſubjecta fideli,
Et palpanda manu. Communis opinio tanti
Non eſt, ut fatuo quæ conjectura cerebro
Naſcitur. Hoc tu jure ullum adventaſſe negabis
Heſperium ad Bætim Zebedæo de patre natum, **
Ut multum obſiſtant, atque indignentur Iberi.
Nec Conſtantini ſcabiem luſtralibus undis
Deterſam, & ſacris permiſſam Regibus urbem,
Monſtratumque polo vexillum, impune relinques.
Cerdones iſthæc credant, puerique fabrorum,

Qui-

** Item adventum S. Jacobi in Hiſpanias, & Baptiſmum Conſtantini ac ſanitatem ipſi reſtitutam, & oſtenſum in cœlis labarum Crucis, &c.

Quique locant humeros; omnis muliercula demum,
Quæ neſcit legere, & nulli eſt addicta Togato.
Te ridere decet, quidquid ſibi finxit Avorum
Credula ſimplicitas. Hoc eſt modo ſcire aliquid plus
Quam vulgus, ſupraque aſſurgere vertice toto.

Dicam ſcribit Auctor libris Græculorum, quos onerant parergis ad rem non pertinentibus, ſæpe etiam alienis, quibusque titulos præfigunt magna & nova inventa necquidquam promittentes. Sermone tertio:

Unde tamen tam multa ſimul deliria poſſum
Conſuere, ut non exiguus liber exeat? Audi;
Sunt hodie libri, ut muliebria corpora, quæ dum
Conclavi neglecta ſuo, atque inculta morantur,

Macra videbuntur, brevibusque ſimillima ſardis.
Fac tectis prodire eadem, ſpectanda per urbem,
Non eadem forma eſt: nam quom peronibus altis
Incubuere pedes; quom tot redimicula frontem
Ædificant, circum & veſtis ſinuoſa tumeſcit,
Protinus augetur ſpecies, majorque videri,
Atque alia: Ingentes una implet fœmina poſtes,
Anguſtatque viam, magnos imitata elephantos,
Aut Orcam, per aquas vaſta ſe mole ferentem.
Non quidquid libro adgeritur, liber eſt . . . .
. . . . nimia farragine demta
Deſectisque ſupervacuis pars prima libelli,

Ma-

Magnaque agens claro cum Mæcenate, peribit,
Cujus in egregias laudes, atque inclyta eundum
Facta patrum plenis velis: Tum Lector amicis
Interpellandus verbis.: Extorſit Opellam
Vir Princeps, & Amicorum mihi Maximus: Ægre
Invitusque fero donari luce: volentem
Perficere inceptum, limaque diutius uti,
Defecit tempus: graviores otia curæ
Invidere: Piget properanti falce dolatum
Edere opus, ſubſecivis quæ ſcripſimus horis
Ceſſantes, tantum ut privata in ſorte lateret:

Plu-

Plura tamen ſunt, quæ nulli ex-
plorata Priorum,
Necquidquam tentata, & adhuc
incognita, primus
Expedio dictis: In publica com-
moda nemo
Dexterius rem tractavit. *Sic &*
inde ſequere,
Grandia poſthabito adſpergens promiſ-
ſa pudore.
Hæc dum præfaris multus, jam pa-
gina fluxit
Plurima per digitos: quid poſtea
. . . .
. . . . . *Anne tibi nolent impendere*
paucos
Verſiculos, qui nil renuunt laudare
Poetæ,
Dummodo clareſcant, & libro legan-
tur in omni?
Hoc ergo ſpatium teneant . . . . .
. . .
. . . . *Myopum genus*
& venalia corda;

On

Omnes ingenium Auctoris mirentur & artem.
Nec tibi non aliquot pagellas auferat Index,
Qui citet emptorum nomen patriamque bonorum,
Queis ſua cudendo conlata eſt ſymbola libro.
Sic ſenſim tibi creſcet opus, totoque libello
Appendix jam major erit.

Invehitur Sectanus in morem hujus ſeculi, quo Græculi aliorum laudes emendicare ſtudent, ita ut unus alterum eruditionis & doctrinæ encomio ſuper aſtra adtollere ſtudeat, famamque publicam ſibi mutuis obſequiis mercentur. Sermone tertio:

Nam modo cui tantum eſt animi? Per mutua certant
Officia, inque vicem laudant, laudantur & Idem
Inter ſe tacito conjuncti fœdere multi,

Alterius faciem quamvis non viderit alter.
Sic aſinis videas coſtis conjungere coſtas,
Officioque pari ſe ultro citroque fricare,
Quod neuter faceret, fieri niſi poſſet utrinque.
Ulterius ventum eſt. Tacitum ſub laudibus uncum
Litera adulatrix quondam geſtare ſolebat:
Captabat timide tunc laus meritoria laudem,
Quosque dabat plauſus, ſponte excipiebat eosdem.
At nunc incepit non diſſimulanter agi res:
Hoc unum per amicitiæ venerabile nomen
Poſtulat a magno ambitioſus ſcriptor amico
Laudari: excluſus pudor eſt: it crebra reditque,

Sem-

Semper & immeritas mendicat epiſtola laudes.
Quid faciat populus, qui neſcit talia? credit
More ſuo, magnumque nefas & morte piandum
Eſſe putat, ſi forte horum neglexeris unum,
Quem magni facit, & ſtellis pæne inſerit alter.
Quod ſi aliquis, ſola qui ſe virtute tuetur,
Qui neque mentiri vult, nec mendacia ferre,
Paullum intercedat, fædaque ad ſcamna latrinæ
Laudatum pariter, Laudatoremque releget,
Provocat utrumque, & populares neſcius iras
In caput ipſe ſuum arceſſit.

onchudere juvat cum Auctore, poſtquam leraque recentiorum ſtudiorum genera itico pede, eoque ligato percurrit, hiſ-

ce verſibus, quos tum ſermone ſecundo, tum quarto ad finem adfert:

Quorſum hæc? non ut propoſito moveare, ſed artem
Ut teneas, cujus ſumma eſt imponere; nec jam
Virtutem quæras, vanam virtutis at umbram.
Nam qua religio, quom fallere gaudeat ætas,
Et pretium referat magni impoſtura laboris?

. . . .

Videbis
Hunc pene exanimem ſurda pendere feneſtra,
Illum, cui fulget modio ſaturata farina
Cæſaries, multo & naſos invitat amomo,
Ire redire viam ſubluſtri veſpere eandem,
Omnes nil agere. Inde dies labuntur inertes;

Nec

Nec melius noctes; inolevit publica quando
Conſuetudo vices invertere, luce cubare
Mollibus in ſtratis, luna impendente beatos
Congreſſus colere, & luſus producere, donec
Humida ſubducat tardus ſarraca Bootes.
Publica quom ſint hæc, tamen aurea volvitur ætas;
Quique eadem faciunt, hedera donantur amica,
Inflatiſque crepant buccis, & pulpita frangunt.
Quid facit hos animos? ſcio, tres quatuorve libelli
Perlecti ructus inter poſt prandia curſim.
Tam parvis proſtat noſtris doctrina Calendis.
Sed tu, cui læva ſub mamma nobile quiddam

Palpitat, hæc vilis quam ſit ſapientia ſentis,
Et mecum perges alio decurrere campo.
Orbita te ducat, quam ſignavere Priores.
Nec tibi tam prudens quisquam perſuadeat Auctor,
Linquere iter notum, & compendia cæca viarum
Quærere: Feſtinans ad metam ſerius ibis.

§. II.

Epicriſis Lipſiana.

XXXIV.

Quis Juſtus Lipſius fuerit, nemo literatorum ignorare poteſt, qui vel obiter ejus opera percurrit. Inter alia Criticam quoque exercuit decem libris luce donatis, quorum quinque antiquas lectiones illuſtrant, alii quæſtiones epiſtolis contentas enodant. Quod ad inſtitutum noſtrum pertinet, eſt Satyra Menippæa, adverſus illos cenſores & correctores conſcripta, qui in aliorum libros & lucubra-

brationes impotentem Criticam exercent, & quidquid ipſis non placet, adlatrant, atque aliis quoque diſplicere volunt. Hac Satyra adhortatur omnes literarum Præſides, ne iſtud Cenſorum genus, veluti Tarquinios aliquos, graſſari impune patiantur: ubi etiam plura vulnera commemorat, quæ iſti variis ſcriptis & ſcriptoribus intemperantiore calamo intulerunt. Demum certam formulam in ferendis judiciis obſervandam præſcribit. Exſtat autem memorata Satyra ad finem Tomi I. Operum Lipſii, cujus hoc in loco ſynopſin exhibeo, non ingratam ut ſpero Lectori futuram, tum quia non pauci legendo Lipſium eam prætereunt, tum quia ad finem libro huic imponendum ſervit.

J u ſ t i L i p ſ i i

Satyra Menippæa.

S o m n i u m.

Ad Joſephum Scaligerum Julii Cæſaris Filium.

Somnium tale erat, uti narrat Lipſius; Viſus ſum mihi Romæ eſſe in foro ad ra-

radices montis Palatini. Solitudo primo circa me: inde ut fluctus e mari paullatim ſurgere viſa eſt ingens multitudo pallentium, exſangium, macilentorum, & a quibus Cæſar jure timuiſſet. Si recte notavi in crepera adhuc luce, partim e Bibliotheca Tiberina veniebant, partim ab Ulpia, ubi lintei & Elephantini libri. Recta illis iter ad templum Apollinis Palatini. Senatus heic Literatorum congregatus erat, inter quos pauculi ſenes, pauculi Viri, plerique juvenes, & quidam imberbes adoleſcentes: alii ſemibarbari, ſemigræci, ſemilatini. Sparſim adhuc ſtabant Patres, muginanteſque & murmurantes: quum e curuli ſua ſurgens Cicero ſilentium manu popoſcit & impetravit. Ille vultu manuque formatus in habitum Oratorum ſic cœpit:

Oratio Ciceronis in Correctores.

Etſi meæ partes ſunt P. C. magis exquirendæ ſententiæ, quam dicendæ: tamen in hac tanta Republica quæ agitur, neceſſario prædicenda quædam videntur. *Me-*

Memoria tenetis, quod gaudium omnium noſtrum fuerit, cum ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen literarum. Legebamus, colebamur, a ſitu & tenebris eruebamur, adnitente in Italia Leone, in Galliis Franciſco, divina quadam virtute Viris. Quid multis? in ſpem, immo fiduciam ingreſſi eramus recuperandæ priſtinæ dignitatis. Cum ecce exortum eſt genus hominum audax, inquies, ambitioſum, qui Correctores ſe dicunt. Incredibile eſt P. C. quam ſtragem, & quam late dederit iſta lues. Philoſophi Rhetoresque olim a Majoribus noſtris urbe pulſi ſunt ob ſuſpicionem non maleficæ, ſed novitiæ doctrinæ: nos Tarquinios iſtos impune graſſari patiemur? At enim ne quid præter legem, inquiunt, & clementiam Majorum. Habemus vero P. C. habemus ejusmodi legem; ſed tanquam gladium in vagina reconditum, cujus aciem patimur hebeſcere. An non lex Cornelia de Sicariis eſt? Non Sicarii iſti? Quoties ergo prehenſi cum ſtylo & telo ſunt vocis jugulandæ cauſſa? Sedete & exſpectate exemplum Caligulæ, ut graphiis in Curia diſcerpant unum aliquem Senatorem. Augeo hæc ſcilicet, & invidiæ flammam ſubjicicio viris bonis. Utinam! ſed

ſed quis ex iſtis nos adit, nos legit, niſi urendi ſecandique cauſſa? id enim vocant corrigere. Hoc rectum eſt, hoc non rectum. hoc non implet aures meas. hoc non latinum, etiamſi Cicero ita locutus ſit. Stigmatias hic locus, hic mutilus. *Bene & in tempore acclamaſtis P. C. crucem illis. Poſtremi hominum! vos Conſularibus viris, claris per tot imagines majorum, frontem faciemque ſignetis per ludum & jocum? Nos ipſi P. C. quoties iſtorum telis & inſidiis appetiti ſumus? A viginti jam annis Correctorum notis diſtrahor, laceror: & minutis ictibus cottidie ferior, ut ſentiam me mori. Nam illud miſerrimum eſt, quod honeſte ſaltem occumbere non licet, & defungi una plaga. Thuſcus aliquis in me ſæviit: Thuſco ſucceſſit Venetus; illi Gallus; Gallo neſcio quis e Friſiis & Thuringis. Et tamen hi hoſtes noſtri inter nos vivunt. Vivunt? immo etiam in Senatum veniunt: notant & deſignant oculis ad lanienam unumquemque noſtrum. O Dii immortales, in qua urbe vivimus? Hic, hic ſunt, in hoc ipſo conſeſſu noſtro, qui de meo veſtrumque omnium exitio cogitarunt. Et tamen, o patientiam! Hoſce ego Conſul video, & quos jam diu ferro ul-*

ulciſci oportuit, voce nondum vulnero. Sed deſino, ne longior oratio mea pro præiudicio fuiſſe videatur, aut ſententiæ veſtræ præiviſſe. Te Apollo Palatine, in cujus ſanctiſſimo templo nunc convenimus, præſidem præſtitemque Muſarum, cujus auxilium nobis literisque in rebus incertis certum ſæpe fuit, quæſo veneror que, uti pacem nobis ab iſtis propitius duis, & Senatui mentem, quod maxime e Republica erit, ſentiendi, & libertatem id ipſum cenſendi.

Finierat cum adclamatione varia Cicero. Surrexit interea Criſpus Salluſtius, Criſpus ille, qui *Romana primus in hiſtoria;* cui caput pileolo tectum, focale circa collum, & ipſe, novo more, palliolatus, atque infit:

Oratio Criſpi Salluſtii contra Correctores.

Clementia & lenitas veſtra P. C. magnum mihi metum faciunt de Correctoribus dicendi, ne aut vobis parum animi adverſus eos ſit & illis præſidium novum in au-

da-

dacia ſua pariter, & pudore veſtro. S tellites quidem eorum defenſoresque, hom nes clari nominis & doctrinæ, nequeo tis mirari. Conſilia nefaria in nos co ſunt; de vita cernimus, aut libertate: ea proditum perditumque eunt iſti Corn liorum & Varronum ſcilicet præcla proles. Pro, di boni! Ubi Porciæ Semproniæ leges? Illis lictor, & virg & ſecuris defenſa a tergo noſtro ſunt, nos flagris notisque ſervilibus obnoxii a mus adoleſcentum, aut vix virorum. Ha in ſpem clariſſimorum ingeniorum mon menta publicata ſunt? hæc præmia pro bore, & noctibus toties vigilatis? Qu rum eos adeo non pænitet, ut facta in g riam numerent: novi Romuli ſcilicet terarum & Camilli. Quin ſoli omni poſt genitas leges ſententiam ferunt e c jecturis. Divinos ſe dicunt. En, cui dibrio canities noſtra ſervata eſt? Di ne vertant. Cenſeo antiquemus collegi Augurum præ iſtis, & Quindecimvi fatalium librorum. Peſſimi mortaliu Ita vobis mala noſtra irriſui ſunt? merito, quoniam mollitia decretorum i metum, nobis dignitatem ademimus: pacem libertatemque etiam nunc optam magis, quam defendimus. Quin agam

atque obviam eamus P. C. nihil prolatantes: neu ſpolia noſtra diutius penes ignavos indignosque ſint. Ego ita cenſeo, per Prætorem urbanum in Comitio comburendos eorum libros: ipſos in vinculis habendos: neu quis de ſolvendis ad Senatum populumve referat. Qui aliter faxit, tum contra Rempublicam facturum.

Abſcedente Criſpo (neque enim aut mos, aut valetudo ejus ad longam orationem erant) capita inter ſe paullisper contulerunt Poetæ, gens præ reliquis infeſtior Correctoribus, & delectus eſt, qui omnium nomine diceret P. Ovidius. hic ergo ſurrexit minax vultu & oculis:

Oratio P. Ovidii adverſus Correctores.

Patres Conſcripti, inquit, *vetus exilium meum Tomos me referte, ubi iſta non videam, non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mores iſtos? aut quæ vita nobis in hac colluvie Correctorum? Periit nativa illa & germana Poeſis, poſtquam hoc peſtilens ſidus ingenia adflavit. Videte, quis adoleſcentium hodie Phœbi laurum, ut noſtro more loquar, mordere audet? aut ſi quis audet, quis lucidos &*

ſluentes verſus ſcribere? Quis carmen mihi dat ingenui & ſani coloris? Pigmenta nimirum quærunt, & adſcititios fucos, & ab Ennio uſque Pacuvioque demortua verba. Ex qua farragine ſi quid poſſunt adſuere, ne illi gemmam id cenſent, & quaſi in prætexta purpuræ clavum. Itaque redeunt iterum Saturninæ lemæ, & fiunt

Verſus, quos olim Fauni Vatesque canebant.

Stomacbor. quis me meosque numeros? quis Statium, Lucanum, Silium audet exprimere, ut non ſtatim audiat. Odi profanum vulgus & arceo? *Eo enim ventum eſt. numerus cenſemur, & plebs poetarum. Ite boni patres, & retinete, cenſeo, iſtos Lucumones. Quanquam utinam ſtultitia tantum peccarent: ſævitia eſt. Non enim contemnunt ſolum nos; etiam lædunt. Quæ ſtigmata impoſita nobis ab illis? quæ lentæ vibices? . . . . Nudate corpora noſtra, mentiar, ſi non plures cicatrices nobis, quam verſus. . . . Quid noſter*

Romanæ fidicen Lyræ?

ille

ille quidem ſemiuſtulatus lentiſſimo igne. Faces illi Lampadius quidam admovit: reſtinxit alius ingeſta hydriæ ſuæ aqua. Quid Catullum loquar, & Propertium & Tibullum? Prometheus non ultra fabula eſt. Ecce nos, quorum viſcera nova fame cottidie rimantur, & ſcindunt infauſtæ aves. Vellem Martialis adeſſe poſſet miſerrimus Poetarum, quem ajunt, nimis Romane ſcripſiſſe. Itaque inventus eſt neſcio quis popa, qui non vitia ejus, ſed ipſum excidit; & virum bonum, de quo nec virgo nec fœmina queſta eſſet, fecit inteſtabilem. Nec alia re abeſt novus Thuſcus iſte aruſpex, quam quia ſciebat, mutilos & debiles curia arceri ex lege priſca. O fas, o fides! Hæc fieri bonis, bono ſemine natis? Vos Medici ferte opem, Æſculapia proles. Exurge tu, cui brachium truncatum; tu, cui crus fractum: tu, cui excuſſi oculi. Miſeremini o Patres, & iſtos nefarios condignis pœnis & ultione mactate. Ego ſic cenſeo. Quandoquidem Correctores calamo, ſtylo, ferro rem gerunt, nec finem ullum faciunt graſſandi; ſitque e Republica judicia & leges exerceri: eos omnes lege Cornelia, quæ de ſicariis eſt, accuſandos. Si quis ſeveriorem ſententiam attulerit, ſen-

ten-

tentia mea nulla eſto : illius' rata eſto. Hæc cenſeo.

Dixerat ardens incitatusque Ovidius, nimium vel ingenio vel adfectui ſuo, ut ſolet, indulgens.

Cunctique fremebant

Aſſenſu vario Patres.

Itaque clamor jam, & confuſæ voces. Tribonianus inter Juriſconſultos audiebatur :

Ecce me infelicem ! & o vanos labores meos ! Non corrigunt me ſolum, ſed corripiunt : quaſi mala, immo nulla fide in exſcribendis legibus verſatum. Quod ſanctum, quod immotum eſt, tangunt violatores majeſtatis, & ultore gladio puniendi. Clamabat e Philoſophorum ſubſelliis Plinius : *Demite mihi has notas, has literas, quas Barbarus inuſſit. Ne ultra imperitus, ne fur, ne plagiarius audiam, Vir illuſtris, & Principum amicitia notus. Ante omnes pœnas mihi det ille, qui in me unice conſpiravit Pœnus.*

Plures erant ejuſmodi voces, & me judice Correctorum res in extrema tegula ſtabant : Cum ecce Aſconius Pædianus, & Verrius Flaccus, & A. Gellius, pluresque

que quorum ferrum in igne erat, huc illuc concurſabant, prenſantes Patres, orantesque ut cauſſam cognoſcerent, nec totam gentem damnatam vellent ob noxam paucorum. Interea Marcus Tullius circumibat ad placandos animos, ſedandumque tumultum, & cum eo ſevero vultu Prætor Cato. *Patres Conſcripti,* inquiunt, *ſervemus diſciplinam Curiæ. Quæ res hæc? Vos mera ovilia feciſtis. ita balatis. ſedete, quieſcite, & ſententias perrogemus. Dic tu M. Varro.* Ad Varronis nomen ſubitum ſilentium fuit. Erat admiratio viri magni, docti, & quod inter omnes conſtabat, partium nullarum. Surgit Varro, & infit:

Oratio M. Varronis pro Correctoribus.

Studiis adhuc P. C. certamus, non ſententiis. Vulnera quæ quisque a Correctoribus acceperit, commemorat: medicinam quam acceperit, tacet. Adeo lubentius homines injurias, quam beneficia meminimus: & ultioni, quam gratiæ parati ſumus. Mi P. C. alia mens eſt, ſine ſtudio, ſine odio rem exſequi: & ſententiam non ex ambitione mea, ſed uſu publico dicere . . . . Typographia hac ætate in-

venta eſt, dono Deorum quidem : non dubio tamen exitio noſtro, ni iſti obſtitiſſent, qui adminiſtrant in libris corrigendis. Ii veterum librorum ope, partim ingenii fiducia, Di magni, quot vulnera noſtra, quod cicatrices ſanarunt! Tu M. Tulli, tu C. Criſpe, horum opem non ſenſiſti? Non tu Ovidi? impius es, ſi negas, ſtultus ſi non fateris. Ego ipſe non Joſepho Scaligero civicam de me coronam dedi? dedi libens meritoque. Magna enim hæc res P. C. mihi credite, magna & non unius e plebe doctorum. Si quis agrum noſtrum ſtantem ſentibus deruncinet, beneficium conferre cenſebitur : non conferent ii, qui a vitiis monumenta noſtra purgant, quibus ſolis vivimus? Et tamen modus quidam, & ars ejus rei eſt, fateor, ne fiat quod in veteri fabula eſt, Thracius ruſticus, qui cum vicinum putantem vites oleasque vidiſſet, ipſe a ſtirpe omnes incidit. At enim peccant ſæpius Correctores, & vulnus faciunt, dum medentur. Hic tu te Ovidi jactas; laudo, nec unquam gratiam tibi referet Criſpus. Sicarios appellas, & lege Cornelia damnandos. Cur tandem? Patrem aliquis in acie ſervare voluit, & dum hoſtem petit, gladio aberrante occidit. dic tu Ser. Sulpici, parricida eſt? Negabis, voluntas enim eſt

eſt peccandi, quam leges puniunt, non eventus. Simile in iſtis ſit, qui cum voluntatem attulerint juvandi, interdum tamen aberrant & lædunt. Bivium enim ad corrigendum, Libri, & Conjectura. Prima via ſatis certa & tuta eſt: lubrica altera, præſertim cum in eam audaces & temerarii adoleſcentes inciderint, aut adoleſcentum ſimiles ſenes, quos non eo deſenſum. Veros quidem germanosque Criticos magno opere ſuadeo ut retineatis. Magnorum arborum umbræ nos & altitudo delectant, radices ſtirpesque non item: ſimile in Correctoribus eſt, quorum opera incorrupta hæc pulchritudo artium manet, quas miramur, manebitque in æternum, liceat modo per ignavos & inficientes iſtos, qui alienam operam invident, parci ipſi ſua. Ego P. C. ſic cenſeo.

Hæc quum dixiſſet Varro, incredibile eſt, quantum animi mutarint. Illi ipſi inter Patres, qui infenſi antea infeſtique Correctoribus, ſucclamarunt illud tritum in adſenſu OMNES, OMNES. Correctores diſcurrebant læti, hilares, & tanquam abſoluti. Varro recenti inclinatione animorum utendum ratus, Conſulem admonuit, uti diſceſſionem permitteret, fieretque S. C. Permiſit (Criſpo

tamen prius in adverſa ſubſellia tranſire juſſo) in hæc verba; QUI HÆC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QUI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QUA SENTITIS. Pedibus plerique ierunt in ſententiam Varronis. Diſceſſione facta Conſul dicis morisque cauſſa addidit HÆC PARS MAJOR ESSE VIDETVR. Itaque mittens Senatum, ſolemni verbo dixit NIHIL MORAMUR VOS P. C.

Sequitur Senatus Conſultum poſt majoris partis vota formatum, ac publice promulgatum in hæc verba;

FORMA SC. TI.

M. TVLLIO. M. F. CICERONE. M. ATTIO PLAVTO COS. PRID. KAL. OCTOB. IN ÆDE APOLLINIS PALATINI, SCRIBVNDO ADFVERVNT. M. TERENTIVS VARRO. P. NIGIDIVS FIGVLVS. VERRIVS FLACCVS. C. CORNELIVS TACITVS.

Quod

Quod M. Tullius COS. V. F. * de Correctoribus, D. E. R. S. ** ita cenſuit.

Correctores hoc difficillimo rei literariæ tempore utibiles neceſſariosque eſſe.

Non eos tamen promiſcuos; non indoctos, rupices, petrones, ſed qui conſilio, reque apte juvare ſcriptores priſcos poſſint.

Ea re Senatui placere, uti lex Annaria ſervetur: neu quis minor XXV. annis Correcturam petere, gerere poſſit; quique aliter petierit, geſſerit, vitio creatum videri, & correctiones ejus in acta non mitti.

In ſenibus depontanis, quique majores annis LX. Sirempſe legem eſſe.

Utque Cenſores M. Fabius, Pomponius Atticus, alter ambove, de doctrina deque moribus petitorum cognoſcant, judicent. Quos hiſce admiſerint, probos eſſe: quos rejecerint, repulſos & rejiculos.

Si

* Verba fecit. ** De ea re Senatus.

Si quis e libris bonis fidiſque correxerit, laudi ſemper eſſe, ſi quis e conjecturis, noxæ, niſi eæ claræ, liquidæ, certæ ſint.

Qui aliter cumque divinationibus uſus; in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleroſque teneat, Litigium & Prurigo: utrique rei Senatum proſpectum præcautumque velle.

De Litigatoribus uti quicunque poſt hunc diem cum altero velitari, præliari, verbis ſcriptisve auſus fuerit: eum eosve in ludi gladium damnari; uti proximo munere, conligati inter ſe, pugnent ſine miſſione.

De Pruriginoſis, quos manum ſtilumque abſtinere a nullo loco audiant, ſano ſive inſano: uti Cornelius Celſus Ædilis diſpiciat, qui ex iis ſanari poſſint, quique non poſſint.

Qui poſſe videbuntur; eos deponi in templo Æſculapii, quod in inſula eſt, ibique

que ellebori bibere quantum ſatis eſt: Qui non poſſint, eos in exilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant & libros non legant.

Si quis ambiguæ valetudinis erit, eum ad tempus relegari in Atlantidem inſulam, ubi memorantur ſomnia non videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine pulſatos acceptosque indigne ſe a Correctoribus querantur; placere univerſis conſcriptis eam injuriam contumeliamve impunem non eſſe, in vivis mortuisque.

In vivis placere, uti L. Caſſius Prætor de cauſſa eorum cognoſcat, quosque noxæ ejus compererit, eos melle & ſeſamo oblitos, diem unum deſtitui ad caldum ſolem ſtilis veſparum & muſcarum.

In mortuis, uti Menippus Philoſophus, qui viam novit, ad inferos proficiſcatur, & cum Æaco de pœnis eorum agat.

Hæc

Hæc ita cenſuerunt. Si quis huic S. C. interceſſiſſet, placere auctoritatem perſcribi, deque ea re ad Senatum populumque referri.

Finis Somnii Lipſiani, & hujus Libri.

INDEX

RUM ET VERBORUM
LIBRI XIII.

.. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

uſus Criticæ ſtepticiſmum inducit : aufert ſanum judicium: avocat a ſtu- 's neceſſariis. L. 13. N. 28.

us Criticæ famam & charitatem pro- mi lædit : in Religionis negotio tur- t excitat. L. 13. N. 28.

Eruditorum Lipſiæ. L. 13. N. 13.

Acta

Catalogum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum quinam ediderint. L. 13. N. 18.

Cenſorum malorum notæ. L. 13. N. 27.

Centuriatores, ſeu ſcriptores centuriarum Magdeburgenſium. L. 13. N. 30.

Chronologia emendata per Criticos. L. 13. N. 13.

Codicum antiquorum errores, & vitia. L. 13. N. 7.

Codicum corruptorum cauſſæ. L 13. N. 11.

Comparatio Critici cum Architecto. L. 13. N. 5.

Contemtus pernicioſus Auctorum Claſſicorum. L. 13. N. 33.

Credulitas nimia Veterum multis figmentis locum præbuit. L. 13. N. 7.

Criticæ natales, & materia, circa quam verſatur. L. 13. N. 1.

Criticam eſſe veram artem oſtenditur. L. 13. N. 1.

Criticam artem inſtituendi cauſſæ. L. 13. N. 2.

Criticæ finis duplex, ſcilicet quædam emendare, & quædam illuſtrare. L. 13. N. 2.

Critici munus & officium. L. 13. N. 2.

Cri-

Critica in omnas fere artes & ſcientias dominatur. L. 13. N. 3.

Critices forma ſunt regulæ ac leges, quibus recte judicandi facultas inſtruitur. L. 13. N. 4.

Criticæ artis principia potiſſimum duo: auctoritas & conjectura. L. 13. N. 5.

Criticæ dotes geminæ. L. 13. N. 5.

Critica quædam viguit omni tempore, & apud omnes nationes. L. 13. N. 6.

Critica ars Imperio Occidentali inclinante cum reliquis artibus dilapſa eſt. L. 13. N. 7.

Critica inſtaurata in literis humanioribus ſeculo XIII. & XIV. L. 13. N. 8.

Critica circa ſcientias ſublimiores. L. 13. N. 9.

Critica circa ſacros Codices & Hiſtoriam Eccleſiaſticam. L. 13. N. 9. & 10.

Critica circa artes liberales. L. 13. N. 12.

Critica circa Codices & MSSta vitiata. L. 13. N. 11.

Critica circa Philologiam. L. 13. N. 13.

Critica circa hiſtoriam ſacram & proſanam. L. 13. N. 14.

Critica circa Theologiam. L. 13. N. 15.
Purgavit eam a Philoſophicis ſubtilitatibus & tricis inutilibus. L. 13. N. 15.

Critica circa Concilia : procuravit editiones genuinas & ſplendidas qua Generalium, qua Singularium. L. 13. N. 16.
Critica circa Acta Martyrum & Sanctorum. L. 13. N. 17.
Reſtituit deperdita Sanctorum Acta. L. 13. N. 17.
Critica circa Opera Patrum, & S. Scripturæ. L. 13. N. 18.
Criticæ alia duo principia, ſcilicet Traditio, & conſuetudo ſeu uſus univerſalis. L. 13. N. 19.
Criticæ abuſus. L. 13. N. 26.
Criticæ perverſæ cauſſæ, partim invidia, partim intemperantia ingeniorum. L. 13. N. 26.
Critica vera incomparabile bonum generis humani. L. 13. N. 26.
Primis diſciplinarum parentibus gratiæ habendæ, etiam dum hinc inde errarunt. L. 13. N. 26.
Criticæ perverſæ exempla. L. 13. N. 30.
Criticorum ingens numerus, ſed pauci genuini. L. 13. N. 4.
Criticorum Veterum conventus celebrati. L. 13. N. 4.
Critici Veteres recenſentur. L. 13. N. 6.

Cri-

Critici Recentiores enumerantur. L. 10. N. 8.
Critici circa ſacros Codices. L. 13. N. 9.
Critici in vario ſublimiorum ſcientiarum genere. L. 13. N. 10.
Critici circa Grammaticam, Poeſin, & Rhetoricam. L. 13. N. 12.
Critici circa Veterum Scriptorum proſanorum opera in humanioribus literis. L. 13. N. 12.
Critici circa diſciplinas Philoſophicas. L. 13. N. 13.
Critici circa Chronologiam & Geographiam. L. 13. N. 13.
Critici circa rem Numariam, Diplomaticam, & Inſcriptiones. L. 13. N. 13.
Critici circa hiſtoriam Eccleſiaſticam. L. 13. N. 14.
Critici circa Theologicam ſcientiam. L. 13. N. 15.
Critici circa Concilia. L. 13. N. 16.
Critici circa Acta Sanctorum. L. 13. N. 17.
Critici circa Patrum Opera. L. 10. N. 18.
Ctiticorum quorundam Acatholicorum inſolentia, L. 10. N. 27.

D.

D.

Damna, quæ libri Critici non pauci, vulgari lingua conſcripti, inferunt juventuti. L. 16. N. 29.

Damna quæ parit abuſus Criticæ. L. 13. N. 28.

Dictionariorum hiſtoria, qua ratione confecta fuerint. L. 13. N. 12.

Diplomaticæ rei cultura ope Criticorum. L. 13. N. 13.

Diocletiani Imp. juſſu S. Scripturæ Codices, & Acta Sanctorum combuſta fuerunt. L. 13. N. 17.

E.

Eloquentia clamoſa & inanis perſtringitur. L. 13. N. 33.

Ephemerides ſapientum. L. 13. N. 13.

Ephemerides Philoſophicarum Tractationum, quas ediderunt Angli. L. 13. N. 13.

Ephemerides Patrum Societatis Trevoltienſium ſub Ducis Cenomanenſis auſpicio. L. 13. N. 13.

Primi ſcriptores Ephemeridum Trevoltienſium. L. 13. N. 13.

Fa-

Epochæ tres literariæ Reipublicæ : in Græcia, in Italia, in Europa tota. L. 13. N. 33.

F.

Facies miſera Grammaticæ, Poeticæ, & Rhetoricæ medio ævo. L. 13. N. 12.
Facies triſtis Hiſtoriæ ſacræ & profanæ ante Criticam. L. 13. N. 14.

G.

Galloiſius (Joannes) Abbas continuat ephemerides ſapientum. L. 13. N. 13.
Geometria emendata per Criticos. L. 13. N. 13.
Gloſſaria diverſa medio ævo conſcripta. L. 13. N. 12.
Grammatici primi fuerunt, qui artem Criticam exercuere. L. 13. N. 6.
Grammaticorum ſeu Criticorum fata. L. 13. N. 7.

H.

Hiſtoria quomodo corrupta fuerit. L. 13. N. 14.
Ab hiſtoria duplex hominum genus eſt arcendum. L. 13. N. 14.

Traditionibus hiſtoricis quandonam fides adhibenda ſit. L. 13. N. 14.
Hiſtoriæ obeſt & nimia credulitas, & incredulitas nimia. L. 13. N. 14.
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Auctores veteres & recentiores. L. 13. N. 14.
Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum charactères & notæ. L. 13. N. 14.
Hiſtoria editionum Conciliorum: quinam eas curaverint. L. 13. N. 16.

I.

Incrementum Criticæ ſeculo XV. & ſeq. L. 13. N. 8.
Inſcriptionum theſaurus a Criticis adornatus. L. 13. N. 13.

L.

A Lapide (Cornelius) S. J. Inſignis interpres S. Scripturæ. L. 13. N. 18.
Libri ſuppoſititii. L. 13. N. 7.
Librorum a Criticis quibusdam conſcriptorum artes occultæ ac fraudulentæ. L. 13. N. 29.
Libri cum plauſu editi, in quibus vix doctrinæ aut eruditionis aliquid eſt reperire. L. 13. N. 33.

Li-

rariorum ignorantiæ ac fraudes.
L. 13. N. 7.
ſii (Juſti) ſymbolum. L. 13. N. 8.
iusdem Satyra Menippæa, ſeu ſomum & luſus ævi noſtri in Criticos.
L. 13. N. 24.
raria res modo omnium fœcundiſſima, ingeniis & artibus. L. 14. N. 33.
ratura ad ſummum apicem evecta ha- t, quod timeat caſum. L. 13. N. 33.

M.

nuſcripta, quorum catalogum edidernt Poſſevinus, Labbeus, Lambeccius, &c.
L. 13. N. 11.
beſeos diſciplina ultimis bis temporis in meliorem formam redacta.
L. 13. N. 13.
hodus diſcendi docendique in ſcholis itata non eſt contemnenda vel everten-
L. 13. N. 33.
hodus geometrica tradendi Philoſophiam oſcripta arte ſyllogiſtica reprobatur.
L. 13. N. 33.
achi ante inventam typographiam liis deſcribendis plurimum intenti erant.
L. 13. N. 11.

Monumenta ad hiſtoriam ſcientiarum & bonarum artium, ſeu Trevoltienſia. L. 13. N. 13.

N.

Numariæ rei cultura per Criticos. L. 13. N. 13.

O.

Occaſio inſtauratæ Criticæ poſt captam Conſtantinopolin, & inventam typographiam. L. 13. N. 8.

Oeconomia artis Criticæ. L. 10. N. 11.

Opus Regium ad uſum Delphini *50. voluminum ſub auſpiciis Ludovici XIV. Gal. Reg. ejus deſcriptio.* L. 13. N. 12. *Recenſentur Viri Clariſſimi, qui ad illud concinnandum adhibiti fuerunt.* L. 13. N. 12.

Oratio Ciceronis, Salluſtii, Ovidii contra Correctores. L. 10. N. 34.

Oratio M. Varri pro Correctoribus. Compoſitio litis. L. 13. N. 34.

P.

Patrum Opera collecta & correcta. L. 13. N. 18.

Pa-

Patrum Bibliotheca magna, & maxima. L. 13. N. 18.
Philippus I. Galliarum Rex inſtaurandis artibus & ſcientiis initium dedit. L. 13. N. 12.
Philoſophia vetus ſimplex & recta fuit. L. 13. N. 13.
Multa dogmata philoſophica, quæ nunc nova videntur, jam tradita fuerunt à veteribus Sophis. L. 13. N. 13.
Philoſophia corrupta fuit nimiis ſubtilitatibus & altercationibus: ſed reſtituta per Criticos. L. 13. N. 13.
Philoſophia quamplurimis inventis, experimentis, & machinis locupletata his ultimis ſeculis. L. 13. N. 13.
Philologia emendata per Criticam. L. 13. N. 13.
Poeſis ad oſtentationem. L. 13. N. 33.
Pſeudocritica notatur, quæ omnia in dubium vocantur. L. 13. N. 33.

Q.

Quæſtio, num Recentiores Critici præferendi ſint Veteribus. L. 13. N. 4.
Querela Triboniani & Plinii contra Correctores. L. 13. N. 34.

R.

Regularum Criticarum neceſſitas. L. 13. N. 19.

Regulæ de Auctorum teſtimonio: de conjectura: de Traditione ac conſuetudine. L. 13. N. 20.

Regulæ de MSSis & antiquitate Codicum: de Grammatica, Poeſi, de Rhetorica. L. 13. N. 21.

Regulæ de re Numaria, de Diplomatica, de Philoſophia, de Hiſtoria. L. 13 N. 22.

Regulæ de Theologia, de legendis & intelligendis Patribus, de Conciliis. L. 13. N. 23.

Regulæ de Actis Martyrum, aliorumque Sanctorum: de Traditionibus, de S. Scriptura legenda & intelligenda L. 13. N. 24.

Appendix ad Regulas Criticas, ſeu de ſcribendis libris, & ferenda de illis ſententia. L. 13. N. 24.

Regularum Criticarum uſus: difficultas in iis ſtatuendis. L. 13. N. 25.

S.

S.

Sallo (Dionyſius) conditor ephemeri-
lum ſapientum. L. 13. N. 13.
olorum avi hujus mores perſtringuntur.
L. 13. N. 33.
iptor nullus a criſi immunis eſt.
L. 13. N. 5.
iptores quinam cenſura digni ſint.
L. 13. N. 26.
Sectani Satyræ de ſciolis hujus ætatis.
L. 13. N. 33.
atus Conſultum de formula in ferendis
udiciis obſervanda. L. 13. N. 34.
ecæ dictum de ſciolis. L. 13. N. 26.

T.

eologiæ tres epochæ. L. 13. N. 15.
eologia Patrum, Scholiaſtum, & Scho-
iaſticorum. L. 13. N. 15.
eologia per Criticam emendata.
L. 13. N. 15.

V.

na jactantia, literas diſci poſſe absque
ræceptoribus, absque ſcholis.
L. 13. N. 33.

Va-

Vana jactantia de peritia in re Numaria & Antiquaria. L. 13. N. 33.

Veſpaſiani Imperatoris Symbolum. L. 13. N. 26.

Viciſſitudines artium liberalium in Græcia, in Romana Republica, & in reliqua Europa. L. 13. N. 12.

Vulgatæ correctio juſſu Sixti V. & Clementis VIII, ſuſcepta. L. 13. N. 11.

LIBER XIV.

DE

RE ANTIQUARIA.

EPITOME
LIBRI XIV.
DE
ANTIQUITATIBUS
HEBRÆORUM, GRÆCORUM, ROMANORUM, ET GERMANORUM.

PRÆFATIO.

Rei Antiquariæ ſtudium commendatur: variæ viæ, quas in hoc ſtudio ineunt ſcriptores. Ordo qui ſervatur hoc in libro, & diviſio materiæ in certa Capita. Scriptores Antiquitatum Hebraicarum, Græcarum, Romanarum & Germanicarum.

CAPUT I.

ANTIQUITATES HEBRÆORUM.

I.

Triplex populi a Deo electi nomenclatura: prima Hebræorum, altera Iſraelitarum, tertia Judæorum: origo hujus triplicis nomenclaturæ.

§. I.

Regimen Hebræorum.

II.

Oeconomicum.

Ante Moſen viguit inter Hebræos Theocratia, ſeu regimen Dei: Patriarchæ tamen œconomicum regimen exercuere: iidem ſupremam poteſtatem habuerunt tum in liberos, tum in ſervos. Duplex ſervorum claſſis: captorum in bello, & tribulium: diſpar utrorumque ſors.

III.

III.

Ariſtocraticum.

Fundamenta hujus regiminis poſuit Moſes in deſerto: Joſue ſtabilivit in terra Chanaan. Septuaginta virorum Senatus Moſi adtributus: ejus monita extrema de regimine Ariſtocratico ſervando: Joſue rerum potitus ſtrenue illud promovet. Hebræorum populus bifariam diviſus: Reſpublica vero tripartita. De Judicibus ſedentibus ad portam civitatis: forma judicii.

IV.

Monarchicum.

Hebræi a Deo Regem petunt & obtinent. Ritus creandi Reges: eorum ampla poteſtas, etiam in vitam & bona ſubditorum. Non obſtante populi libertate hic tributum pendere Regibus debuit. Salomonis, ejusque Aulæ ſplendor & opulentia. Regimen Hebræorum cum regnis Juda & Iſrael ex-

extinctum, poſtquam ſtetit annis circiter 1068. *Prodigia excidium Hieroſolymæ antecedentia.*

V.

Leges Hebræorum & pœna.

Leges apud Hebræos triplicis generis: Morales, Ceremoniales & Judiciales. Prodigia in monte Sinai, quando Decalogus Moſi datus eſt. Breve compendium legum triplicis generis. Regibus præcipitur, ut aſſiduo volvant librum legum: Pontifex ſingulis annis in feſto Tabernaculorum leges has publice recitare debebat coram omni populo: Phariſæorum ſuperſtitio in legum obſervantia.

VI.

Pœnæ ſtatutæ in illos, qui leges violabant: Multa, Talio, Flagellatio, Venditio, Exilium, Combuſtio, Crucifixio, Lapidatio. explicantur ſingulæ. Urbes refugii.

§. II.

§. II.

Magiſtratus Hebræorum.

VII.

Judices.

Magiſtratus ſupremus apud Hebræos fuerunt Judices: modus adminiſtrandi judicia exemplo Samuelis & Deboræ: poteſtas convocandi populum & Senatum: belli gerendi munus. Judices ut plurimum a Deo deſignati: aliquando a populo.

VIII.

Principes.

Triplex horum claſſis. Aliqui fuerunt Principes Tribuum, aliqui Principes familiarum, alii Principes civitatum: ſingulorum munia & poteſtas.

IX.

Concio & Senatus.

Quid apud Hebræos Concio fuerit, quid Senatus. Modus & ratio convocandi Concionem tubarum clangore: cauſſæ convocandi, vel ad audienda mandata, vel ad orandum, vel ad creandum magiſtratum, atque ad bellum gerendum. Senatum univerſi populi conſtituerunt Viri LXX. Senatorum dignitas & officium.

X.

Judicium & Concilium.

Diſcrimen inter Judicium & Concilium. Deſcribitur forma & ordo judicii: e reliquis judiciis eminuit Hieroſolymitanum. Concilium ſupremum Sanhedrin. ejus origo & munus: locus Concilii hujus, & tempus quo celebrari ſolebat, ac ordo, qui in reis condemnandis vel abſolvendis obſervabatur. Illu-

ſtre

ſtre exemplum hujus conſeſſus e Joſepho. Tres tribunalium ordines.

§. III.

Religio Hebræorum.

XI.

Sacrificia.

Nulla religio ſine ſacris & aris. Primis mundi temporibus, & ante Moſen nullæ certæ erant victimæ, aut ritus ſacrificiorum. Frequenter ignis de cœlo lapſus hoſtias conſumpſit. Humanarum victimarum exempla in SS. Literis.

XII.

Varia Sacrificiorum genera.

Primum genus holocauſtum: hujus offerendi ritus: altare holocauſti: ignis holocaſti perpetuus. Alterum genus libamen: ejus pars Sacerdoti relicta. Tertium genus Pacificum, unum voti, alterum laudis. Quartum genus ſacrificium pro

peccatis ex ignorantia commiſſis. Quintum genus ſacrificium pro delictis a ſciente perpetratis.

XIII.

Oblationes, Primitiæ, Decimæ, aliaque.

Oblationum varia genera: frumenti, ſimilæ, incenſi, &c. Thymiama, ejusque compoſitio. Primitiæ tum ex hominibus, tum ex animalibus, tum e frugibus perſolvendæ: deſcriptio ſolemnitatis in oblationibus inſtitutæ. Decimas ſolvendi conſuetudo jam ante legem Moſaicam in uſu erat: varia decimarum genera. Pecunia ſacra: Gazophilacium, Corbona, Ærarium.

XIV.

Summus Pontifex & Sacerdotes.

Perſonæ ſacræ triplicis generis. Summi Sacerdotis veſtitus: femoralia, tunica linea, tunica talaris cum tintin-

nabulis, baltheus, Ephod, Rationale cum duodecim lapidibus, tiara. De Urim & Thummim. Summi Sacerdotis poteſtas, & dotes corporis requiſitæ.

XV.

Reliquorum Sacerdotum veſtitus: illorum officia tum quæ ad templi miniſteria, tum quæ ad populi obſequia pertinebant. Primi Sacerdotes quatuor filii Aaronis, e quibus reliqui omnes deſcenderunt. A Davide Rege in viginti quatuor claſſes diviſi fuerunt. Quinam Principes Sacerdotum.

XVI.

Levitæ, Cantores, &c.

Quinam proprie Levitæ dicti fuerint: ritus quo initiabantur eorum miniſteria ſacra. Duplex Levitarum ordo, unus a Moſe, alter a Davide inſtitutus. Cantores diverſæ ſortis: horum muſicus Concentus in omni muſicorum genere. Janitorum officium. Quinam Nathinæi, & eorum munus.

XVII.

XVII.

Nazaræi, Prophetæ, & Scribæ.

Nazaræorum conditio reliquis perfectior: a quibus abſtinere debuerint: ritus Nazaræos voto ſolvendi. Prophetæ ſeu Videntes quinam fuerint: eorum veſtitus, paupertas, & vitæ ratio. Duplex prophetandi modus per oraculum, vel per ſomnia, & imagines. Quinam fuerint Scribæ: eorum munus, quod ſingulis Sabbatis in Synagoga, & feſtis ſolemnioribus in templo obibant.

§. IV.

Res Militaris Hebræorum.

XVIII.

Militiæ Hebraicæ præſtantia.

Bella Hebræorum & multitudine ac virtute militum, & ducum fortitu-

di-

dine, hoſtium devictorum copia, & victoriarum magnitudine præ cæteris inclyta fuerunt. Duo bellorum genera, unum deo jubente, alterum arbitrio Regum vel populi voluntate ſuſceptum. Bellorum ab Hebræis geſtorum catalogus. Clades Hebræorum, quas a Romanis paſſi ſunt.

XIX.

Milites & Duces.

Delectus militum: quomodo convocati fuerint. Exercitus copioſiſſimi ſub Regibus. Dux ſupremus Hebræorum fuit Dominus Exercituum. *Vicarii Duces eligebantur vel a Deo per oſtentum, vel a populo. Regis munus proprium fuit egredi ad pugnas. De Principibus militiæ, Chiliarchis, Centurionibus, &c. De Præſidibus templi.*

XX.

Arma & Signa militaria.

Primis ſtatim temporibus armorum uſus fuit apud Hebræos. Sub Regibus

bus arma fuerunt: arcus & fundæ, gladii, haſtæ, ſpicula & lanceæ, ſcuta, clypei, galea & lorica. Armamentaria a Regibus exſtrui cœpta: ſigna militaria ſingularum tribuum.

XXI.

Caſtra & Diſciplina militaris.

Caſtrorum ordo mirabilis a Deo præſcriptus: ejus deſcriptio: Tribuum diviſio: ingens numerus bellatorum: Tentoria e pellibus: itineris militaris ordo: ſignum tubis datum.

XXII.

Diſciplina militaris, ſeu leges exercitui præſcriptæ recenſentur: religionis obſervantia etiam in caſtris & pugnis.

XXIII.

Prælia, Obſidiones, & Victoriæ.

Bellum a Feciali indici debuit hoſtibus, præterquam illis, qui ſimul Dei

ho-

hoſtes erant. Exempla hujus rei. Ordo pugnæ: cunei & cornua. Signum clangore tubarum dabatur a Sacerdotibus, a Ducibus cornu. Præda poſt victoriam æqua portione in omnes diviſa.

XXIV.

Obſidionum forma antiqua tempore Moſis: recentior tempore Regum. Variæ machinæ aries, teſtudo e clypeis, vineæ, turres, baliſtæ, &c. Machabæi ſtrenue defendunt Hieroſolymam adverſus Antiochum.

XXV.

Hebræis triumphorum modica cura: Saul poſt victos Amalecitas arcum triumphalem erexit, ſed propterea reprehenſus. Triumphi alicujus ſpeciem præbuit reditus Davidis a devicto Goliath. Aram poſt victorias Deo Domino exercituum exſtruxit Moſes: Cantica in Dei laudem compoſita: ſpolia Tabernaculo vel Templo illata, & arma ibidem ſuſpenſa.

§. V.

§. V.

Feſta Hebræorum.

XXVI.

Feſta Paſchatis, Pentecoſtes, Tabernaculorum.

Paſcha quo tempore celebratum ab Hebræis: ante Moſen initium anni ducebant ab Æquinoctio autumnali: poſt exitum ex Ægypto autem ab Æquinoctio verno: deſcribuntur ceremoniæ Paſchales. Pentecoſtes feſtum, ejusque celebrandi cauſſæ ac ritus. Feſtum Tabernaculorum quale fuerit.

XXVII.

Sabbatum, Annus Sabbaticus, & Jubilæus.

Sabbati feſtum omnium primum & antiquiſſimum: ejus obſervandi præceptum: qui hoc violabat, morte plectebatur. Iter Sabbati quale fuerit.

Quid

Quid annus Sabbaticus: immunitates hujus anni. Quid annus Jubilæus: hujus ritus, &c.

XXVIII.

Feſtum Tubarum, Expiationum, & Encœniorum, &c.

Feſtum Tubarum ob quas cauſſas ſit inſtitutum. Feſtum Expiationum, ejusque celebrandi ritus. De hirco & capro emiſſario in deſertum dimiſſo. Encœnia templi Salomonici. Alii dies feſti cum Neomeniis.

§. VI.

Artes & Studia Hebræorum.

XXIX.

Agricultura, & vita Paſtoritia.

Hebræi omnes agriculturæ & vitæ paſtoritiæ dediti fuerunt jam à mundi

exordio : etiam Duces ac Reges. Commendatur utriusque ſtudium, quod Græci quoque ac Romani florente republica coluerunt.

XXX.

Linguæ patriæ Studium, Sculptura, Pictura.

Hebræi peregrinarum linguarum & literarum ſtudio nullo tenebantur : ſuam linguam magni fecerunt : hujus commendatio. Artes communi uſui neceſſarias a primis temporibus coluerunt. Egregii artifices & Opifices tempore Regum Davidis & Salomonis : artis tamen pictoriæ vix ullum apud Hebræos veſtigium adparet.

XXXI.

Poeſis, & Muſica.

Poeſin hebraicam quidam Veteres ſcriptores magni nominis in Cantico Moſis, in libro Job, in Pſalterio, & Prophetis reperiri docent : Recentiores communius negant : utraque auctoritas ex-

expenditur, & adſtruitur poeſis quædam minus perfecta. Muſicam multum amarunt & coluerunt Hebræi, maxime Davit Rex: deſcribuntur inſtrumenta Muſica, & ſymphoniæ mira virtus.

XXXII.

Theologiæ Poſitivæ Studium.

Præcipuum ſtudium in S. Scriptura poſuerunt. ex hac hauriebant hiſtoriam temporum, doctrinam moralem, & religionis myſteria. Traditiones patrum ſtudioſe conſervarunt: multum tribuebant parabolis, proverbiis, & ſimilitudinibus. Sacrorum librorum grandes ac mirabiles characteres exponuntur.

§. VII.

Mores Hebræorum.

XXXIII.

Nomina, Tituli, ac Nobilitas.

In nominibus Hebræorum plerumque vel aliquid myſterii, vel præſagii la-

latuit: ſæpe Patris, quin & Avi & Proavi nomen adjiciebatur. Nobilitatis conſervandæ magna apud Hebræos cura.

XXXIV.

Potentia & Divitiæ.

Patriarchæ erant inſtar Regum: Magnæ illorum divitiæ, quas in gregibus & ſervis collocatas habebant: nec defuit aurum & argentum. Quomodo poſſeſſiones & facultates in familiis ſuis conſervarint.

XXXV.

Res Veſtiaria.

Veſtitus Hebræorum: toga & pallium virorum: velamen mulierum. materia veſtium, & forma ſimplex, ac eadem plerumque. An tecto vel nudo capite, item pedibus inceſſerint? comam & barbam aluerunt: lavandi corporis erant ſtudioſiſſimi.

XXXVI.

Veſtitus Prophetarum : tunicæ inconſutiles. Mos ſcindendi veſtes: mulierum in ornando corpore ſtudium, & denique luxus.

XXXVII.

Habitatio, Menſa.

Patriarcharum domus erant tentoria : occupata terra promiſſa in ædibus habitarunt : Tecta, cœnacula, & reliqua ſupellex domeſtica quandoque ſplendida.

XXXVIII.

Frugalitas in cibo & potu : varia ciborum genera. Quinam cibi vetiti : potus Hebræorum : ritus in diſcumbendo : Convivia.

XXXIX.

Nuptiæ, Divortium.

Sponſæ quaſi pretio emptæ fuerunt. Ornatus ſponſi & ſponſæ : feſtivitas & for-

formulæ benedicendi nuptiis. ſterilitas probro fuit : divortium permiſſum Hebræis : ſublatum poſtea a Chriſto in lege gratiæ.

§. VIII.

Funera & Sepultura Hebræorum.

XL.

Labes in funere contracta : quomodo hæc fuerit expiata. Apparatus cadaverum. Luctus propinquorum qualis fuerit : hunc inſtituere non licuit Sacerdotibus. Deſcribitur pompa funebris : Exequiæ. Oratio vel carmen funebre. Cadavera non cremarunt Hebræi, ſed terræ mandarunt.

XLI.

Sepulchra : eorum locus, forma, & ornatus : ſepultura carere ſpecies anathematis fuit.

CAPUT II.

ANTIQUITATES GRÆCORUM.

XLII.

Græcia aliarum gentium famam ſuperavit & vaſtitate dominationis, & cultu artium & ſcientiarum. Præcipuæ duæ Urbes & Respublicæ Græcorum: Athenæ, & Lacedæmon ſeu Spartha. Deſcriptio utriusque ac encomium. Hecatombe quid?

§. I.

Regimen Athenienſium.

XLIII.

Theſeus rempublicam Athenienſium in tres Ordines redegit: primum Patriciis, alterum Agricolis, tertium Opificibus adſignavit. Idem Oſtraciſmi legem induxit: primus numum cudit, bove ſignatum.

XLIV.

Archontes introducti: factionibus exortis Soloni regimen commiſſum fuit: hic civitatem omnem in tres claſſes diſtribuit æſtimatione cenſus majoris. Pericles rempublicam ſtabilivit & exornavit publicis & magnificis operibus exſtructis.

XLV.

Regimen Lacedæmoniorum.

Lycurgus reipublicæ huic formandæ manum admovit, priſcis vivendi moribus abrogatis: multitudinem diviſit in cives natos & adſcititios: nulli civium licuit opificio vacare: ſervorum ingens multitudo & dura conditio. Modus ſervos liberos declarandi.

XLVI.

Duo Reges Lacedæmoniorum, quibus additum Conſilium e viginti quatuor Senioribus: Ephori conſtituti. Modus in Comitiis & dandis ſuffragiis obſervari ſolitus.

XLVII.

Ad luxum & invidiam tollendam omne ſolum Laconicum æquis in ſingulos portionibus diviſum: auri & argenti uſus proſcriptus: ferreus numus ſubſtitutus: civibus omnis peregrinatio in exteras regiones prohibita.

XLVIII.

Leges Athenienſium.

Cecropis primi conditoris Attici regni leges, quæ ſuperſunt; tres contra fœminas latæ: Draco ſcripſiſſe leges dictus eſt non atramento, ſed ſanguine: omnibus criminibus minimis & maximis æqualem mortis pœnam ſtatuit. Solon abrogatis Draconis legibus alias tulit circa mores, circa pœnas, circa præmia: leges ſuas ligneis tabulis inſcribi, & juramento ad centum uſque annos firmari curavit: easdem expetierunt Romani ad ſuam Rempublicam ſtabiliendam.

XLIX.

Leges Lacedæmoniorum.

Lycurgus duo fundamenta ſuæ reipublicæ poſuit, ſcilicet bonam prolium educationem, & vitam civium communem. Leges illius circa utrumque: inſigne ſpectaculum, quod coram populo dedit ad confirmandas leges ſuas.

L.

Artificium, quo idem uſus eſt ad leges ſuas perpetuo ſervandas. Collapſa republica Græci a Romanis leges petere coacti ſunt.

§. II.

Magiſtratus Athenienſium & Lacedæmoniorum.

LI.

Areopagitæ, Judices, Pritani, &c.

Tres claſſes Magiſtratuum Athenienſium. Areopagus ad quid fuerit in-

inſtitutus. Areopagitarum character: Areopagi origo: judicii locus, judicum numerus: alius Magiſtratus e quingentis Viris. Pritanorum Magiſtratus.

LII.

Archontes, Arbitri, Epiſcopi, &c.

Archontes novem: eorum princeps & caput, ab his Athenienſes numerabant annos. Alii inferiores Magiſtratus.

LIII.

Reges Lacedæmoniorum, Ephori, Harmoſtæ, &c.

Regum jura & prærogativæ. Senatus viginti octo Seniorum. Ephori quinque: eorum ampliſſima poteſtas: etiam in Reges. Ab his Lacedæmonii annos notarunt. Harmoſtæ & Polemarchi officium. Syſſitia ſeu Phiditia fuerunt conventus plurium ad communem

nem menſam: horum deſcriptio. Alii Magiſtratus minores.

§. III.

Religio Græcorum.

LIV.

Templa Dianæ, Apollinis, Cereris, &c.

Templorum origo a ſepulchris: ſtructura eorum varia pro varietate Deorum Dearumve: forma illorum ut plurimum quadrata: ſupellex. Templum Dianæ Epheſinæ deſcribitur, cujus mentio quoque fit in Actis Apoſtolorum.

LV.

Templum Apollinis Delphici: illius origo. de Tripode Delphico celebratiſſimo per totam Aſiam: Pythiæ oracula ex eo fuſa. tempore Auguſti ſiluit hoc oraculum, & cur? Templum Ce-

Cereris in Eleuſia: ſacra Eleuſina deſcribuntur.

LVI.

Athenæ fuerunt quaſi domicilium omnium Deorum. de Ara IGNOTO DEO ſacra, cujus occaſione D. Paullus Athenienſibus Deum verum annunciavit. D. Hieronymi obſervatio circa aram Ignoti Dei. Inſtrumenta & ornamenta Templorum. Coloſſus Rhodius: ejus deſcriptio.

LVII.

Sacerdotes, Victimæ, & Sacrificia.

Sacerdos ſupremus apud Athenienſes dictus Daduchus. Delphis Pontifices quinque: methodus præparandi Sacerdotes & ſacrificia: eorum veſtitus. Augures qua ratione auguria ceperint. Choragi.

LVIII.

Priſcis temporibus ſacrificia erant ſine ſanguine: offerebantur ſolum farina

&

tum terreſtris, tum navalis. Mode
Victorum apud Græcos: vivis n
niſi baltheus obtigit, ſed mortuis
tuæ erigebantur, & Divini *titu*
adpoſitus.

§. V.

Ludi & Feſta.

LXV.

Iſthmia & Pythia.

Unde dicti ſint ludi: quibus riti
celebrati. Quatuor præcipui Græ
ludi. Iſthmicorum origo: inſtaura
Theſeo: a Romanis quoque civitate
nati. Pythicorum origo: in his
tio ſolum Muſici certabant citharis
tibiis: poſtmodum in equeſtres tra
ierunt.

LXVI.

Nemea & Olympia.

Ludorum Nemeicorum origo.
lympicorum origo: quid ſit Olympi

Ol

Epitome Libri XIV.

Olympiades numerandi origo: ingens honor eorum, qui in hoc ludo victores evaſerunt. Olympiades mutati ab Auguſto Cæſare in Indictiones.

LXVII.

Bacchanalia & Saturnalia.

Bacchanaliorum feſtum ab Athenienſibus inſtitutum: quomodo in omnem terram fuerit propagatum: alio nomine dicebantur Orgia, & Trieterica. Bacchi ſimulacrum: ritus celebrandi bacchanalia, Saturnalia celebrabantur conviviis, feriis, & munuſculis ultro citroque miſſis.

LXVIII.

Athletæ in Ludis.

Athletarum varia genera: dotes in Athletis requiſitæ: eorum examen. Deſcribuntur pugnæ Athletarum, & victorum præmia.

§. VI.

§. VI.

Artes & Scientiæ Græcorum.

LXIX.

Oratores, Poetæ, Pictores, Sculptores, Hiſtorici.

Encomium Græciæ ob artium liberalium & ſcientiarum ſtudium. Juventus inſtituta in optimo ſermonis genere. Eloquentiæ Magiſtri Iſocrates & Demoſthenes. Auctores præcipui in omni carminum genere. Præclari Pictores & Sculptores cum ſuis artefactis. Hiſtoriæ profanæ Conditores.

LXX.

Sophi, & Philoſophi.

Septem Græciæ ſapientes palam facti per tripodem aureum. Philoſophi diverſi generis: Phyſici, Ethici, Dialectici: item Socratici, Platonici,

Pe-

Epitome Libri XIV.

Peripatetici, &c. Philoſophis Græciæ plurima ſcientiarum monumenta & opera debentur.

§. VII.

Mores Græcorum.

LXXI.

Educatio & Veſtitus.

Spartanorum tres chori ad virtutis ſtudium ſe excitantes. Athenienſes juventutem ſuam aſſueſecerunt literis & arti natandi: Lacedæmonii vero duris patienter ferendis. Palæſtra Gymnica. Laconum ſermo: veneratio erga ſenes. Veſtitus Græcorum ſimplex: mollior poſtea factus.

LXXII.

Convivia, eorundemque ritus.

Triplex claſſis Conviviorum. Communes epulæ, ad quas quivis ſymbolam ſuam conferre debuit. Convivia agricolarum & ſervorum. Convivarum

numerus. Accubuerunt ad menſam. Epulis Dii credebantur intereſſe. Dona convivis abituris data. Quid ſit Græcari.

LXXIII.

Nuptiæ, earumque Ceremoniæ.

Non licuit promiſcue nubere: tempus nuptiis deſtinatum, ſcilicet nundinarum & lunæ plenæ: matrimonia fractis tabulis ſolvebantur: a ſecundis nuptiis ut plurimum abſtinuerunt.

LXXIV.

Ceremoniæ nuptiarum mirabiles recenſentur. Veſtitus ſponſæ: munera nuptialia: introductio in domum ſponſi: epithalamium.

§. VIII.

Funebria.

LXXV.

Sepultura.

Sepulturæ jus ſanctum apud omnes gentes. Quid ſit funus facere, juſta fa-

facere, exequi funus, locare funus. Quinam a ſepultura excluſi. Initio Græci cadavera cremarunt; poſtea humarunt.

LXXVI.

Ritus Funebres.

Græci oculos clauſerunt defuncti: veſtibus induerunt cadavera: pro viatico addiderunt polentam, obolum, & coronam. Cadaver expoſuerunt in domus veſtibulo facie ac pedibus ad limen ædium converſis, & cur? mortuum ter nomine ſuo inclamarunt: funeris pompa deſcribitur. Oratio funebris: tumulus, exequiæ, & luctus.

LXXVII.

Mos ſepeliendi occiſos in bello. Regum mortuorum funebris ſolemnitas, & ſepulchra ſumtuoſa. Mauſoleum ab Artemiſia marito Regi ſtructum.

CA-

CAPUT III.

ANTIQUITATES ROMANORUM.

LXXVIII.

Romanæ gentis origo e Græcia: Romuli & Remi natales. Roma quadrata. Incrementum Urbis ſub Regibus & Imperatoribus. Romani Romam ut Deam coluerunt ſtructis in ejus honorem templis.

§. I.

Regimen Romanorum.

LXXIX.

Diviſio Reipublicæ in Tribus & Curias.

Prima diviſio Romuli in tres Tribus: altera in triginta Curias. Romuli artes in amplificanda civitate. Tertia diviſio Servii Tulli in quatuor Tri-

*'ribus: urbanis tribubus additæ ruſti-
ınæ.*

LXXX.

Diviſio in Ordines.

*Triplex ordo: Senatorius ſeu Pa-
'icius: Equeſtris, & Plebejus. Qui-
ım Patres & Patricii: Patres Con-
ripti. Quid ceræ Majorum? Qui-
ım Equites Romani. Quinam e ple-
' ad tribus urbanas, qui ad ruſticas
rtinebant. Patrum potentia immi-
ıta: Duæ leges Valerii Conſulis in
vorem plebis.*

LXXXI.

*Servorum & mancipiorum diſpar
nditio apud Romanos. Ritus, quo
pti in bello ſub jugum miſſi, ſunt.
uid vendere mancipia ſub corona?
riæ claſſes ſervorum. Manumiſſio
r cenſum, & per vindictam: For-
ıla manumiſſionis.*

LXXXII.

Sex civium claſſes ſecundum facultates cujusque. Quare Servius Tullus hanc diviſionem induxerit? Quid cives perfecti, quid honorarii? Civis Romani grande nomen: huic licuit provocare ad populum contra cujuscunque Magiſtratus fatalem ſententiam conſuetis verbis: Civis Romanus ſum.

LXXXIII.

Quid Comitia: alia Centuriata, alia Tributa. Quid Comitia Auſpicata. Forma, ordo, locus Comitiorum. Antiquæ formulæ in accuſando, damnando, &c. Quid prærogativa, quid Diremptio. Candidati pro officiis.

LXXXIV.

Judicia diverſi generis. Privati judicii cauſſæ, modus, & locus. Quid fuerit planus locus, ſeu de plano cognoſcere. Publici judicii forma. Inqui-

quiſitores ſeu Quæſitores parricidii. Judicium populare, & crimina ad hoc delata.

LXXXV.

Leges & Pœnæ.

Prima Epocha legum Romanarum: Leges Regiæ. Secunda: Conſulares, & Tribunitiæ. Tertia: duodecim Tabularum. Quarta: leges quædam aliæ, ante & poſt XII. Tabulas latæ. Quinta: Edicta Prætorum, Senatus, Conſulta, Plebisſcita, Placita & Conſtitutiones Principum.

LXXXVI.

Conditiones, quibus opus erat, ut leges rite ferrentur. Quid ſit Trinundinum. quid legem Rogare, Abrogare, Derogare, Obrogare, Interrogare. Qualia legibus nomina fuerint impoſita. Locus & tempus ferendi leges.

XCI.

Cenſores undè dicti. Quid luſtrum. Auctoritas Cenſorum: Nota cenſoria. Exemplum integerrimi Cenſoris. Prætorum origo: horum officium, & dignitatis inſignia. Tres Prætorum claſſes.

XCII.

Tribuni, Ædiles, Quæſtores.

Tribunorum origo ex ſeditione plebis. Unde Plebiſcita. Inſolenter uſi ſunt poteſtate ſua. Ædilium munus, dignitas & prærogativæ. Ædiles Cereales. Quæſtorum origo antiquiſſima. Duplicis generis Quæſtores, Urbani ac Provinciales: utrorumque officium.

XCIII.

Interrex, Dictator, Decemviri, Magiſtratus Provinciales.

Interrex quando conſtitutus fuerit. Dictator deſignatus in maxima reipubli-

bli-

blicæ neceſſitate. Ampliſſima hujus poteſtas in totam rempublicam. Munus hoc cum Cæſare expiravit, qui perpetuum Dictatorem ſe fecit. Decemviri quando creati: illorum munus. Quid municipia, quid præfecturæ, quid fora? Pro-Conſules, Pro-Prætores, Pro-Quæſtores.

§. III.

Religio Romanorum.

XCIV.

Numina.

Unde varietas Deorum orta. Tota Roma Diis Deorumque templis plena, Tres claſſes Deorum Dearumque: prima, Dii majorum gentium. Quid Dii Conſentes. Altera: Dii minorum gentium, ſeu Indigites & Semidei. Tertia: virtutes ſub nomine & figura Dearum. Alia triplex claſſis Deorum: Superum, Inferum, & Medioxumorum.

Quid

Quid Dii Averrunci? Numina ædibus, collibus, vallibus, & hominum ætati præpoſita.

XCV.

Templa.

Templa primus in Italia Janus ſtruxiſſe fertur. Eorum forma ex Vitruvio. Templa fuerunt aſyla eo confugientium. Templorum reverentia, dedicatio, & multitudo. Deſcribitur templum Jovis Capitolini: ejus divitiæ.

XCVI.

Deſcribitur templum Jani. Ejus Sacellum totum ex ære conſtructum: illud aperiendi & claudendi mos a Numa inſtitutus. Pantheon: ejus origo & deſcriptio. Æris ſtupenda in eo copia. Templum Pacis a Veſpaſiano erectum: ejus deſcriptio. Cauſſa, cur tot templa Romæ Veteris fuerint diruta.

XCVII.

Sacerdotes & Augures.

Romulus primum duos e ſingulis curiis elegit: Numa vero ſingulis Diis & aris ſingulos. Supremus omnium dicebatur Pontifex: ejus Sella Laureata. Quid Rex ſacrificiorum. Quid Pater Patratus. Inter fœminas Sacerdotes præcipuæ fuerunt Veſtales Virgines: harum inſtitutum, functiones, dignitas, veſtitus, & læſæ Virginitatis pœna.

XCVIII.

Sacerdotibus proximi Augures & Aruſpices. Quinque modis auguria capiebant: e cœleſtibus phœnomenis, ex avibus, e pullis gallinaceis, e quadrupedibus, ex inſolitis caſibus. Aruſpices prædictiones ſuas ab inſpectione victimarum & extorum petebant.

XCIX.

In ſacrificiis primum offerebantur ſolæ fruges terræ: tum etiam cæſa

ani-

animalia : Qualia diverſis Diis fuerint immolata. Ritus ſacrificandi late deſcribitur. Varia ſacrificia : Anniverſaria, Pandicularia, Gentilitia, Solemnia, Stata, &c.

§. IV.

Res Militaris Romanorum.

C.

Exercitus, ejusque Duces.

Ætas militiæ opportuna quænam fuerit. Equitibus ante decimum, Peditibus ante viceſimum annum in militia exactum ſignis valedicere nefas erat. Peditum quatuor claſſes : Velites, Haſtati, Principes, Triarii. Arma ſingulorum. Equitatus ordo triplex : Gravis armaturæ, Levis, & Equitum proprie Romanorum. Horum publica pompa, quam Transvectionem vocabant. Quid equus publicus ? Aliæ militum turmæ : ſocii & auxilia.

CI.

CI.

Legionis Romanæ deſcriptio. Earum diverſa nomina, & numerus. Quid cohors, quid manipulus, quid turma? Cohors prætoriana. De Ducibus militum: de Legatis & Imperatore exercitus. Augurum & Aruſpicum auſpicia ante obſidionem & prælium.

CII.

Varium genus armorum: eorumdem deſcriptio. Signorum militarium quadruplex claſſis. Vexillum apud pedites, Labarum apud equites: Aquila apud totam legionem.

CIII.

Diſciplina bellica admodum ſevera: ejus leges recenſentur. Quid fuerit miſſio? ſtipendiorum ratio.

CIV.

Caſtra, Acies, Obſidio.

Caſtrorum Romanorum deſcriptio & forma e Lipſio. Aciei deſcriptio

e Livio. Tres ejusdem ſeries: Haſtatorum, Principum, & Triariorum. Quid cuneus, quid globus, forceps, turris, ſerra? Obſidendi ratio duplex, prima per coronam, altera per machinas.

CV.

Pugna, Victoria, Triumphus.

Adhortatio ad pugnam: claſſicum ad certamen: ipſius pugnæ facies e Livio. Præmia poſt victoriam militibus diſtributa. Quid corona civilis, obſidionalis, muralis, caſtrenſis, navalis, roſtrata.

CVI.

Allato Romam de victoria nuncio primum inſtituta eſt ſupplicatio publica: tum triumphus decretus. Hujus deſcriptio & magnificentia. Quid fuerit Ovatio. Romuli triumphus: alii ſingulares triumphi.

§. V.

Ludi & Feſta.

CVII.

Feſta Janualia, Terminalia, & Laralia.

Quid apud Romanos dies ſacri, dies communes, dies interciſi? Feſta fuere triplicia: Stativa, Conceptiva, Imperativa. Varia alia commemorantur. Quid Faſti Romani? Janualia Kalendis Januarii, & Terminalia menſe Februario celebrata. Quid Laralia. De bullis puerorum.

CVIII.

Ludi Seculares, & Circenſes.

Ludorum inventores Lydii. Magna ludorum apud Romanos frequentia. Seculares peſte Romam vaſtante introducti: eorum deſcriptio cum ritibus.

Cir-

Epitome Libri XIV.

Circenſes e Græcia Romam translati a Romulo. Ab Auguſtis celebrati certis annis: horum deſcriptio, & ſumtus immenſi. Ludi gladiatorum crudeles. Miſſilia & ſparſiones.

§. VI.

Artes & Scientiæ.

CIX.

Artes Politicæ.

Romuli politia adhuc ruſtica: liberalior fuit Servi Tulli, artibus politicis optime inſtructi. Ex his præcipua fuit coloniarum ducendarum cura. Per hanc potentia Romana in omnes orbis partes ſe propagavit. Illarum deſcriptio & numerus.

CX.

Artes liberales, & Opera publica.

Romani quidquid artis & ſplendoris erat apud exteras nationes, in ur-

urbem ſuam invexere, præſertim Architectonicæ monumenta. Amplitudo & multitudo palatiorum. Domus aurea Neronis: Amphitheatra & Circi: Thermæ, viæ publicæ: Fontes & Aquæ ductus: Cloacæ: ſtatuæ & columnæ.

CXI.

Literæ ac Scientiæ.

Serius Romæ ſedem fixerunt, & cur? Magiſtri literarum ac Præceptores civitate donati, & ſtipendiis aucti. Gymnaſia, Academiæ, Athenæa, Pergulæ. Viri egregii in omni literarum genere. Mecœnas quis fuerit?

§. VII.

Mores Romanorum.

CXII.

Interior animi cultus.

Romanorum teſſera: Fortia agere & pati. *Eorundem virtutes: fideli-*

tas, frugalitas, magnitudo animi, juſtitia: illuſtrantur exemplis. Eorundem vitia: avaritia, ambitio, & dominandi libido: demonſtrantur exemplis. Quam concordes fuerunt in ſubjugandis exteris nationibus, tam erant diſcordes inter ſe, excitatis pluribus bellis civilibus. Poſt exciſam Carthaginem diſciplina juventutis & morum probitas exulare cœpit, quæ res rempublicam in præceps egit.

CXIII.

Exterior habitus corporis.

Quid ſagum, quid toga, quid prætexta? Factum lepidum Papyrii prætextati. Quid toga latus clavus *dicta? Toga Candidati: toga palmata. Quid trabea? Aliæ veſtes Romanorum: Paludamentum, Chlamys, Apex, Vittæ, Stola, Cothurnus, Soccus, Lacerna, Petaſus. Sericum unde? Soleæ, Annuli. Querelæ utriusque Senecæ de veſtium luxu introducto.*

CXIV.

CXIV.

Convivia, Nuptiæ.

Ter de die priſci Romani cibum capiebant, ſed omnino frugaliter. Lex Fannia de moderandis epulis. Quid genius menſæ? Modimperator epularum. Tres miſſus Convivii: Antecœna, cœna, & menſa ſecunda. Quid promulſis? Convivia ſacra ſeu Lectiſternia. Convivia ſervorum, quibus Heri miniſtrabant. Convivia tempeſtiva & intempeſtiva.

CXV.

Nuptiarum tempus ſuperſtitioſe obſervatum. Matrimonium Romani tribus modis contraxerunt: primum farre: dein coemptione: tertio uſu. Singula explicantur. Tribus etiam modis diſſoluta fuerunt, ſcilicet: diffareatione: remancipatione: & uſucapione. Honeſtiores matronæ a ſecundis nuptiis abſtinuerunt.

§. VIII.

Funebria.

CXVI.

Varia Funerum genera

Tria mortis genera diſtinxere Romani: Acerbum, immaturum, naturale. Quid funus Cenſorium: quid Collativum: Quid Indictivum: Quid larvatum: quid tacitum: quid triumphale? Singulorum adparatus. Modum & rationem funeris plerumque morituri præſcripſerunt hæredibus.

CXVII.

Sepulchra, Inſcriptiones.

Sepulchri condendi curam Romani vel vivi adhuc ſuſceperunt, vel reliquerunt hæredibus, uti patet ex Inſcriptionibus. Locus ſepulturæ fuit extra civitatem, & quare. Archite-

ctu-

Epitome Libri XIV.

Ɛtura ſepulchrorum. Quædam communia, quædam priva. Ornamenta ſepulchrorum: Inſcriptiones: harum materia.

CXVIII.

Cineres, Urnæ, Lucernæ.

Priſcis temporibus Romani cadavera terræ mandarunt, poſtea cremarunt, & cur? Quid rogus, pyra, buſtum, uſtrina, ſepulchrum, monumentum? ceremoniæ in colligendis oſſibus. Urna pro lacrymis. De lucernis perpetuo ardentibus: deſcribuntur e Scardeonio: has vehementer impugnat Ferrarius.

CXIX.

Mauſolea.

Unde dicta? Mauſoleum Auguſti Cæſaris Romæ ad ripam Tiberis: aliud

aliud Mauſoleum, moles Hadriani dictum. Sepulchrum mirabile Caji Ceſtii ad portam S. Paulli, quod etiamnum exſtat: ejusdem Inſcriptio.

CAPUT IV.

ANTIQUITATES GERMANORUM.

CXX.

Germanorum origo ad Aſcenem Gomeri filium, nepotem Japhetis, & Noemi nepotem refertur. Ingens terrarum tractus olim Celtica dictus. Germani nunc Teutones, nunc Alemanni, nunc Germani vocabantur. Taciti auctoritas inter Scriptores rerum Germanicarum. Fines antiquæ Germaniæ: Germania prima & ſecunda. Germaniæ populi ex una in aliam regionem continuo migrarunt: hujus rei cauſſæ.

CXXI.

CXXI.

Tres migrationum periodi. Finis illarum, quando Alemanni ingentem a Francis ſtragem paſſi ſunt. Prælium ad Tolbiacum. Clodovæi Regis ad veram fidem converſio. Carolus M. varios Germaniæ populos debellat. Germania a Gallis avulſa proprium ſibi Regem conſtituit.

§. I.

Regimen Germanorum.

CXXII.

Uſque ad medium Ævum.

Germani primum pagos ſtruxerunt, quos Haidas & Gouwas adpellarunt: ex his poſtmodum parvæ reſpublicæ ortæ ſunt. Aliqui Germaniæ populi regebantur vel ab uno Rege, cujus tamen imperium erat precarium: vel a pluribus Optimatibus: alii vero &

plu-

plures populare regimen præhabuerunt. Eorum Conventus & Comitia: Inſigniores Reſpublicæ.

CXXIII.

Regimen medii Ævi.

Quatuor Ordines Reipublicæ apud Germanos. Primus Nobilium, qui vocabantur Adalingi, ſeu Edlingi. Hic ordo complectebatur Reges, qui Domni & Dompni dicebantur: Comites ſeu Graviones: Nobiles immediatos. Secundus Ordo Liberorum ſeu Ingenuorum, qui dicebantur Fryherren, & ſemper Fry. Priſcæ leges in favorem Nobilitatis: prærogativæ Ingenuorum. Tertius Ordo Libertinorum, quos Lazzos nuncupabant. Quid Frilazzi? Cauſſæ & formulæ manumiſſionis. Quartus Ordo ſervorum: variæ eorum claſſes, & varia conditio. Quid Lidones, & homines proprii. Onera ſervorum.

CXXIV.

CXXIV.

Leges Veterum Germanorum.

Legum tres periodi: prima antiquiſſimis temporibus, ubi mores & conſuetudines pro legibus erant: altera, ubi provincias & regna erigere, ac ſtabili ſede uti cœperunt; tunc enim leges fuerunt conſcriptæ: tertia, ubi Francicum regnum latiſſime diffuſum fuit, & leges cujusvis fere regionis & populi moribus accommodatæ fuerunt. Cuivis licebat eam, quæ placuit legem accipere, non tamen ſemel acceptam dimittere pro arbitrio.

CXXV.

Leges ſingulares Alemannorum, Bojariorum, Saxonum, Longobardorum, Gothorum: Lex Salica: Leges Francorum. Hæ etiam per Italiam receptæ fuerunt. Pœnæ in illis ſtatutæ pro variis delictis. Goldaſti ſubſpecta fides in recenſendis Legibus, &

Ca-

Capitularibus ac Conſtitutionibus Reg
& Imperatorum.

§. II.

Magiſtratus Germanorum.

CXXVI.

Rex Germaniæ, Duces, Comit

Electio Regis veteri ævo: ejus teſtas limitata: dignitas tamen ma ma. Aula Regia: Vaſalli Regii. I ces, eorumque poteſtas. Comites urbium Præfecti. Comites Palatii quod eorum officium.

CXXVII.

Landgravii, Burggravii,

Deſcribitur ſingulorum dignitas munus. Comitum & Magiſtratu quatuor tituli honorarii: quidam pellabantur Illuſtres & Patricii: Clariſſimi & Spectabiles: alii Per

&

ctiſſimi : aliqui demum Egregii. Singulorum characteres.

CXXVIII.

Alii tum minores profani, tum ſacri Magiſtratus.

Sculteti ſive Schulthaiſii : Aldermanni : Decani : Abbates & Prælati Eccleſiarum magna auctoritate & multis prærogativis gaudebant. Germania in varios principatus & reſpublicas diviſa. Germanicæ potentiæ elogium ex Barclaio.

§. III.

Religio Germanorum.

CXXIX.

Dii Deæque.

Antiquiſſimis Germanis nulla idola vel templa fuerunt : coluere tamen duos Deos, nempe Deum bonum, & malum dæmonem, quem Diabol adpellabant.

Præ-

Præter hos divinitatem aliquam tribuebant viris præclare meritis ſeu Heroibus, ut Tuiſconi, & filio ejus Manno, ac Herculi. Romanorum tempore etiam Jovi, Marti, Mercurio, Veneri, &c. aras & templa ſtruere ac ſacrificare cœperunt. Saxones peculiare Numen coluerunt, Irmus ſeu Irmenſul dictum. Demum etiam ſoli, lunæ, elementis, animalibus, præcipue equis ineſſe numen credebant.

CXXX.

Luci & Templa.

Lucos tanquam res maxime ſacras coluerunt: & in his arbores proceras, præ reliquis Quercus, ſingulari religione venerabantur. Heic auguria ſua, incantationes, & maleficia exercebant: qui mos adeo invaluit, ut vix eliminari potuerit etiam converſa jam ad veram fidem Germania. Tanfanæ templum: aliud Upſaliæ trium deorum cultui dicatum.

Epitome Libri XIV.

CXXXI.

Sacerdotes, Sacrificia, Ritus ſacri.

Druidum inſtitutum: eorum characteres, poteſtas, & doctrina. Druidæ Sacerdotes mulieres. Sacra ſua & ſuperſtitiones potiſſimum in lucis & ſub quercubus peragebant. Ritus ſacrificandi. Hoſtiæ humanæ.

§. IV.

Res Militaris Germanorum.

CXXXII.

Ordo & Diſciplina Militaris.

Bellicæ virtutis gloria Germanorum prærogativa ſemper fuit. Militum

tum delectus: Quid Fideles, Vaſſi, Vaſalli, Leudes? Quid ſit bannire? Ætas ad militiam requiſita: inauguratio tyronum. Electio ducum. Nobiles Clientes ſeu Vaſalli tenebantur comitari Regem ad bellum. Diſciplina belli ſevera: pœnæ eam violantium.

CXXXIII.

Arma, Signa militaria, Obſidio.

Germani omnia negotia publica armati exercebant. Juramentum per gladium. Militum armatura vetus, & recentior. Quid Brunea, Halsberga, Helmus, Spatha, Camiſia ferrea? unde biceps Aquila in vexillo Imperii? De tubis, cornibus, & buccinis: tympana ſero adhibita. Modus obſidendi urbem. Machinæ variæ: Cancer, Cattus, Magnanus, Petraria, Vulpecula, Trabuccheta.

CXXXIV.

CXXXIV.

Caſtra, Acies, Pugna, Victoria.

Bannerio ſuſpenſo ſignum ad ex-editionem dabatur. Heroldus ſeu Fe-ialis bellum indixit. Caſtra metandi iodus. Aciem inſtruendi ratio: de-riptio pugnæ ex Tacito. Fœminæ pud Germanos magnum ad pugnam icitamentum: item æmulatio Comi-um. Abſciſſa hoſtium capita aſſerva-unt Germani tanquam cimelia. Sa-rificia cruenta poſt victoriam. Pœnæ navorum.

§. V.

Feſta & Ludi Germanorum.

CXXXV.

udi Gymnici, & Decurſiones Equeſtres.

Cauſſa, cur apud Germanos pauca l omnino nulla feſta fuerint celebra-

ta, uti apud alias nationes. Ludi Germanorum Gymnici, eorumque deſcriptio. Quid torneamenta, quis eorum auctor, & quæ occaſio?

CXXXVI.

Ratio & modus celebrandi Torneamenta.

CXXXVII.

Cauſſæ, cur ludi hi fuerint abrogati, & proſcripti. De libro, quem hac de re ſcripſit Georgius Rüxnerus.

§. VI.

Artes & Scientiæ Germanorum.

CXXXVIII.

Studium Grammaticæ, Poeſis, Eloquentiæ, & Hiſtoriæ.

Varia ſors literarum in Germania. Gothi fere primi peculiares chara-

racteres, quibus ſermonem ſuum exprimerent, inveniſſe feruntur. Scholæ erectæ temporibus Karoli M. Literarum ſtudium vix non extinctum a barbarorum incurſionibus. Grammaticæ, Poeſis, Rhetoricæ, ac Hiſtoriæ cultura, præcipue ſub Theodorico Rege, & Karolo M. Imperatore.

CXXXIX.

Matheſis, Philoſophiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ ac Theologiæ Studium.

Sub iisdem Matheſis, Philoſophia, & Medicina cultores ſuos habuerunt. Solis legibus & conſuetudinibus ſuis contenti Germani Juris ſtudio olim non multum tribuebant: at ſeculo XIV. erectis Academiis introduci cœptum eſt, ac poſtea civitate donatum. Exorta Evangelii luce Epiſcopi & Monachi Germanorum Theologi fuerunt.

CXL.

Artes a Germanis inventæ.

Artis mechanicæ ſtudio excelluerunt Germani: his inventoribus debentur Bombarda: Horologiorum ſtructura: & Typographia. Triplicis hujus machinæ inventio pluribus deſcribitur.

§. VII.

Mores Germanorum.

CXLI.

Exterior cultus corporum.

Germanorum veterum procera corpora: capilli ut plurimum flavi, & promiſſi: barbam vetuſtis temporibus non aluerunt. Veſtium loco initio pelles animalium erant, varii generis pro varietate conditionis vitæ: poſtea veſtes e lino vel lana induerunt. Caput tegebant caputio vel pileo; corpus medium

camiſia interius, exterius tunica ſeu Rocco, & pallio. Mulieres veſtem ad pedes demiſſam, ſeu Mantum geſtabant. Femoralia, braccæ, calceamenta diverſi generis. Deſcribuntur habitationes priſcorum Germanorum ex Tacito.

CXLII.

Interior cultus animorum.

Fidei datæ integritas: Communis boni ſtudium: Hoſpitalitatis cura: divitiæ in pecorum numero: armorum tractandorum peritia & magnanimitas.

CXLIII.

Convivia: ciborum & potus ratio: continentia: matrimonia.

CXLIV.

Mos purgandi ſe a crimine.

Triplex modus: primo Purgatio Canonica per jusjurandum. Secundo per duellum: lex Duellionum. Tertio,

tio, quæ vocabatur Ordalium, ſeu per laminas & vomeres ignitos, aquam bullientem, & frigidam, &c. Purgatio per Euchariſtiam. Singula deſcribuntur.

§. VIII.

Funebria Germanorum.

CXLV.

Funerum nulla ambitio apud Germanos: rei hujus cauſſa. Valhalla ſeu Aula cæſorum in acie, in quam migrare animas eorum commenti ſunt. Huic præſidebat Deus Odinus. Ritus ſepeliendi mortuos varius apud varias nationes Germanicas: humanæ victimæ. Locus ſepulturæ: his multa olim pretioſa cum cadaveribus illata: ſed mos hic proſcriptus fuit. Veteris & novæ Germaniæ comparatio.

LIB. XIV.

LIBER XIV.

DE RE ANTIQUARIA.

PRÆFATIO.

Rei Antiquariæ ſtudium, quod mirere, eo ipſo tempore, quo nova ſemper inquirimus, nova excogitamus, nova molimur, eo ipſo inquam tempore tanto in pretio eſt, ut in Eruditionis Imperio nulli *votum* & *ſeſſio* concedatur, qui non ſtudii hujus teſtimonia & tabulas palam exhibere poſſit. Nimirum in ipſis Antiquitatis ruderibus novitatis gloriam quærimus, & dum vetuſta in lucem protrahimus, nova inveniſſe nos credimus. Non eadem tamen omnibus via eſt, quam hoc in negotio tenent. Aliqui ſine ordine & gregatim, quidquid veteris ejuſmodi ſupellectilis oc-

currit, libris ſuis ac ſcriptis inſerunt, ubi valente ſtomacho opus eſt, ut tanta dapum copia, quantam hoſpiti lectori adponunt, bene digeratur. Alii veterum ſcriptorum relicta nobis monumenta, non raro ſatis obſcura, notis ac commentariis illuſtrant, eadem cum illis ſemita incedentes. Quidam vel nomina quæ priſcis in uſu fuerunt, vel res ipſas Veteris ævi ordine alphabetico ſtudioſe in Lexica congerunt, & adjecta paraphraſi dilucidant. Sunt demum non pauci, qui omnem in eo curam collocant, ut Inſcriptiones, Epitaphia, numiſmata, imagines, & quidquid Vetuſtatem olet, ſeu ſaxo inſcriptum, ſeu ære fuſum reperiatur, vaſtis ac pretioſis libris complectantur, & monumenta hæc cupro inciſa lectorum conſpectui ſiſtant. Et ſane doctis hiſce ac exquiſitis laboribus pleni hodie ſunt libri, plenæ libris bibliothecæ. Ego quum ab hac mea, quam eruditionis ac literarum ſtudioſis paravi, *Bibliotheca Domeſtica* absque nota materiam iſtam de re Antiquaria abeſſe non poſſe perſpicerem, cogitare de methodo cœpi, qua negotium iſtud æque vaſtum ac difficile, & quidem intra brevitatis limites, quos mihi dudum præſcripſi, aggrederer. Occurrit primum, ne tractatio hæc infinita foret,

de-

delectum aliquem eſſe faciendum. Hinc ſtatui mecum, Antiquitates potiſſimum Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & Germanorum in medium adducere, quoniam iſtæ omnium celebratiſſimæ ac fœcundiſſimæ ſunt, aliæve reliquarum nationum & temporum ex his facile poſſunt intelligi. Dein, ut ordo ſervetur, & melius conſulatur memoriæ, in certa capita rem omnem dividere decrevi, ita ut I. de cujusvis iſtorum quatuor populorum *Regimine*, II. de *Magiſtratibus*, III. de *Religione*, IV. de *Feſtis & Ludis*. V. de *re Militari*. VI. de *Artibus & ſcientiis*, VII. de *variis moribus*, VIII. de *funeribus* diſſererem. qua re illud quoque commodi oriturum facile perſpexi, ut ſingularum gentium antiquitates inter ſe a capite ad caput conferri poſſint, ac diſcrimen, ſæpe ingens, notari queat. Denique ut non tam oſtentationi aut lectoris oblectationi ſervirem, quam utilitati, ſine qua omnis eruditio ſterilis eſſe ſolet, & ſine ſucco, ea ex immenſo Antiquitatum theſauro ſelegi, quæ priſcorum morum venerationem, documenta ſapientiæ, rerum præclare geſtarum exempla, & in omni negotiorum genere optimas quasque ideas, dignosque prudenti homine characteres animis noſtris ingenerare poſſent. Serviet quo-

que labor iſte vel maxime ad intelligendos priſcorum ſcriptorum libros, quoniam eas quoque, ut cum Apuleio loquar, minutias eruditionis, quæ in vocibus & phraſibus ſeu modis loquendi veterum continentur, haudquaquam prætermiſerim, ſed ubique cum Hebræis, Græcis, Ramanis atque Germanis loqui, eorumque formulis res ipſas exponere ſtuduerim. Quoniam vero in tam vaſto Antiquitatum campo Iliadem nuce complecti oportuit, juvat ſcriptorum quorundam ſyllabum adtexere, partim eorum, e quibus hæc antiquitatum monumenta fuerunt collecta, partim illorum, e quibus plura ab ipſo lectore, ſi placet, colligi poſſunt. Sunt autem ſequentes: *De Antiquitatibus Hebræorum:* Joſephus, & Philo Hebræi: Benedictus Arias Montanus Antiq. Judaic. Godefridus Voigt. Theſaur. Ant. Hebr. Carolus Sigonius Reſp. Hebr. Claudius Fleurus: Guilielmus Gæreus: Theodoricus Baſſovius: Paullus Scherlogus: Cornelius a Lapide: Tyrinus: Auguſtinus Calmet, &c. *De Antiquitatibus Græcorum:* Herodotus Halicarnaſſeus: Thucydides: Xenophon: Diodorus Siculus: Plutarchus: Diogenes Laertius: Granovius Theſ. Ant. Græc. Pitiſcus Lexicon Antiq. Carolus Sigonius &c.

&c. *De Antiquitatibus Romanorum*: Dionyſius Halicarnaſſeus. Plinius uterque: Onuphrius Panvinius: Borrichius Antiq. Urb. Græviuṡ Theſ. Ant. Rom. Flavius Blondus: Pomponius Lætus: Juſtus Lipſius: Joannes Roſinus. Pitiſcus, &c. *De Antiquitatibus Germanorum*: Julius Cæſar: Cornelius Tacitus: Paullus Diaconus: Ammianus Marcellinus: Lambertus Schafnaburgenſis: Philippus Cluverius Antiq. Germ. Paullus Hachenbergerus Germ. Med. Trithemius Abbas: Beatus Rhenanus: Wolfgangus Lazius: du Cangius, ſeu Carolus du Freſnius. Jam vero expoſita ordinis & conſilii ratione ab Antiquitatibus Hebræorum absque ambagibus initium duco, quæ eo majorem fidem merentur, quod procul eſſe juſſis Rabbinorum & Talmudicorum innumeris fabulis fere omnia ipſis S. Scripturæ verbis confirmare ſtuduerim.

CAPUT I.

ANTIQUITATES HEBRÆORUM.

I.

Antea quam de Hebræorum, ſeu populi a Deo electi, antiquis monumentis pluribus agam, noſſe oportet nominum, quibus adpellari ſolent, diverſitatem, quum modo Hebræi, modo Iſraelitæ, modo Judæi paſſim audiant. Res hæc ita ſe habet: ex Adamo & Eva, primis humani generis parentibus, velut e fœcundiſſima arbore genealogica, per multas generationes quatuor hominum ſtirpes prodiere: prima quidem ab Adamo uſque ad Noemum ſeſe extendit; altera a Noemo ad Abrahamum; tertia ab Abrahamo ad David Regem; quarta demum a Davide uſque ad Chriſtum Regem Regum. Primæ ſtirpi haud aliud no-

nomen, quam *Hominum* convenire videtur, quoniam nullum iis proprium, niſi quod generatio humana omnibus indulget, S. Scriptura adſignet. Secunda ſtirps *Hebræorum* nomen ſibi vendicare cœpit, incerta quidem origine: ſi cum D. Auguſtino, (a) Eucherio, V. Beda, Lyrano, Toſtato, Eugubino & Perrerio ſentire lubet, ab Heber filio Sale, Noemi abnepote, nomen iſtud *Hebræorum* Abrahamo ejusque poſteris adhæſit. At verior eorum ſententia videtur, qui nominis hujus etymon e tranſitu Abrahami, ejusque familiæ, a regione tranſeuphratea in Chananitidem derivant, uti Origenes, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ribera, Arias, Eſtius, Joſephus Scaliger, &c. Heber enim hebraica lingua *ultra* ſeu *tranſitum* ſignificat. unde in Geneſis libro (b) legimus: *Sem pater fuit omnium filiorum heber*, id eſt, eorum, qui *ultra* fluvium tranſiere. Tertiæ ſtirpi nomen *Iſraelitarum* obtigit a Patriarcha Jacob, cui Iſraelis nomen poſt diuturnam tota nocte luctam Dei Angelus indidit: (c) Jacob autem in duo-

(a) *De Civit. Dei. Lib.* 16. *C.* 3. & *Lib.* 18. *Cap.* 39.

(b) *Cap.* 10. (c) *Geneſ.* 32.

duodecim liberos ſuos, totidem Patriarchas & tribuum Principes propagavit. Quarta denique ſtirps *Judæorum* nomen ſortita eſt hac ratione: Salomone Davidis Regis filio e vivis erepto in duas partes ſciſſum eſt regnum. Quippe decem tribubus a Roboamo ad Jeroboamum deficientibus duæ tribus, Juda & Beniamin, in prioris poteſtate ac fide remanſerunt, ſibique proprium regnum Juda conſtituerunt, reliquis regnum & nomen Iſrael retinentibus. (d) Maxime vero poſt captivitatem Babylonicam Judæorum nomen invaluit, ac uſurpari cœpit, quoniam tunc Tribus Juda omnibus tribubus & vi & numero major erat; exterique præter eam vix cæteras norunt. Atque ex his patet, qua ratione populus a Deo electus primum Hebræorum, tum Iſraelitarum, demum Judæorum nomen diverſis temporibus & locis velut poſt multas viarum ambages acquiſiverit. Nos de illius antiquitatibus acturi primum Hebræorum nomen potiſſimum uſurpabimus.

§. I.

(d) 3. *Reg.* 12.

§. I.

Regimen Hebræorum.

II.

Oeconomicum.

Ante Moſis ævum Hebræorum gens nec de Monarchico, nec de Ariſtocratico vel Democratico imperio quidquam ſciebat: ſoli Deo, ejusque ſanctæ legi per Patriarchas, & poſtmodum per Moſen diſtinctius promulgatæ, parere conſueverat. Hinc ſcite Joſephus Judaicus (e) formam regiminis, quod apud hunc populum obtinuit, *Theocratiam* adpellavit, id eſt, regimen Dei. Et ſane ut in SS. Literis paſſim legimus, Deus primorum hominum illorum ſacrificiis, itineribus, pactis, connubiis. cunctisque familiæ negotiis ipſe velut præſens adfuit, & qua conſilio qua imperio ſuo cuncta moderatus eſt, quemadmodum e ſacrificiis Abel, Cain, & Abraham filium ſuum immolare juſſi; e peregrinationibus ejusdem Abrahami, Lothi, Jacobi: ex Iſaaci cum Rebecca, Tobiæ junioris cum Sara Raguelis filia conjugio: ex pactis Noemi cum Deo, Abrahami cum Mel-

(e) *Lib. 2. contra Appionem.*

Melchiſedecho initis, & compluribus aliis Scripturæ locis luce meridiana clarius patet. Nullius præter Dei mandata & præcepta cuſtodire jubebantur Hebræi: in cæteris plena gaudebant libertate, quali nec Græci, nec Romani. Non erat apud eos juramentum aliquod fidelitatis, quo Domino alicui adſtringerentur; non tributa & vectigalia, quæ pendere, non cenſus quos ſolvere, non venandi piſcandique jura privata, quæ obſervare cogerentur: ſed agere cuivis libuit, quod voluit, dummodo divinæ legi non adverſaretur. Sua cuique voluntas erat & imperandi & obediendi regula, ac dominationis limes & finis. Nihilo tamen minus Patriarcharum tempore viguit quædam regiminis imperfecti forma, ſcilicet poteſtas œconomica, quæ in Capitibus & Patribus familias reſidebat. Duplex hæc erat: quippe tam ad liberos, quam ad ſervos pertinuit; quæ utraque ſane ampla fuit, quum etiam ad libertatem & vitam eorundem ſeſe extenderit. Ad primam quod adtinet, (f) Patribus poteſtas facta eſt vendendi filias ſuas, nuptiarum tamen gratia, quarum etiam ſpeciem quamdam hujuſcemodi venditio referebat. Filias quoque a patribus venditas fuiſſe creditoribus ad ex

pun-

(f) *Exodi C.* 21.

pungendum æs alienum legimus apud Iſaiam, (g) interprete Cornelio a Lapide: & Nehemiæ temporibus (h) pauperes quidam parentes, famis neceſſitate preſſi, conſilium inierunt, quo prolem ſuam plus offerenti venderent: alii vero querebantur, quod ob inopiam redimere nequirent filias ſervituti mancipatas. Præter hæc ad capitis pœnam damnare liberos fas erat Hebræis, quæ tamen ſevera poteſtas non uti apud Romanos abſoluta fuit, ſed magiſtratui ſiſtere debebant ſeu Pater ſeu Mater, vel uterque contumaces, poſtquam adhibitis aliis pœnarum generibus conſuetis nulla prorſus emendationis ſpes affulgebat: tum vero ex præſcripto legis proles ejusmodi Judicum & Seniorum ſententia morti adjudicata fuit, & lapidibus obruta. (i) Cenſebatur enim non indigna res, nec juri naturæ quid repugnans, ut vita filiorum in manu parentum eſſet, a quibus illi vitam acceperunt. Quamvis autem de Parentibus credendum non ſit, quod vita proprios privare natos vellent, erat tamen jus hoc ad continendos in officio & reverentia illis debita filios filiasque admodum ſalutare.

Al-

(g) *C.* 50. (h) 2. *Eſdræ.* 5.
(i) *Deuter.* 21.

Altera & magis rigida fuit poteſtas, quam Patresfamilias in ſervos ſuos exercuere. Horum duæ claſſes erant: una eorum, quos e devictis in bello gentibus in ſervitutem redegerunt: altera illorum, qui e tribulibus vel urgente paupertate ſe ipſos & libertatem ſuam vendiderunt, (k) vel qui pro furto commiſſo ſatisfacere nequibant: (l) quæ ſors alios etiam debitores tetigiſſe videtur. (m) Poſterioris hujus claſſis melior erat conditio. Nam Domini jubebantur agere cum iſtis, tanquam cum fratribus ſuis, & ejusmodi ſervi poſt ſex annos, anno nimirum Sabbatico, ut vocabant, (n) vel ſi tunc non placeret, anno Jubilæo (o) libertatem conſequi poterant. Prioris autem deterior ſors fuit, utpote in quos tanquam mancipia, ſi quid deliquiſſent, Heri ſeveriores inflictis verberibus ac plagis animadverterunt. Unde ut eorum inſolens dominatio ac ſævitia coerceretur, lege cautum erat in libro Exodi (p) *Qui percuſſerit ſervum ſuum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit: ſin autem uno die vel duobus ſuper-*

vi-

(k) *Levit.* 25. (l) *Exodi* 22.
(m) 4. *Reg.* 4. (n) *Exod.* 21.
(o) *Levit.* 25. (p) *C.* 21.

vixerit, non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt. Hæc regiminis, nempe Oeconomici, forma erat ſub Patriarchis, cui ſucceſſit.

III.

Ariſtocraticum.

Fundamenta hujus jecit Moſes in deſerto: Joſue autem in terra Chanaan ſtabilivit atque perfecit. Et quidem Moſes tanquam Dux & Princeps a Deo conſtitutus Hebræam gentem in duodecim tribus diviſam, quæ ambulantis per deſertum civitatis ſpeciem præbuit, primum ipſe ſolus gubernabat. Tribus autem iſtæ originem duxere a Patriarcha Jacob, qui e geminis uxoribus Lia & Rachele, ac duabus ancillis Zelpha & Bala duodecim ſuſcepit filios: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Dan, Nephtali, Gad, Aſer, Iſachar, Zabulon, Joſeph, Beniamin. Hi duodecim fuere Capita & parentes gentis Hebrææ, utpote e quorum ſingulorum copioſa familia latiſſime diffuſa duodecim, ut dixi, tribus illæ, in ſacris Scripturis adeo decantatæ, ſurrexerunt, ita tamen, ut poſtea Joſephi filios, ſcilicet Manaſſen & Ephraim, Jacob adaptarit, volueritque ab iisdem, & eorum poſteritate

duas

duas tribus loco unius (nempe tribus Joſeph) conſtitui. Has itaque tribus educens ſecum Moſes ex Ægypto per Capita illarum regebat, ordinem caſtrorum præſcripſit, mandatis in officio continuit, pœnis rebelles caſtigavit, in divino cultu erudivit, jus dixit, & judicia exercuit, adſiſtente ubique Deo, omnesque Moſis actiones moderante. Quum vero creſcente ſemper populi multitudine ipſum majore negotiorum pondere, quam ſuſtinere poſſet, preſſum videret Jethro, ſocer Moſis, ſapiens hic ſenex auctor illi fuit, ut viros ſelectos in partem laboris vocaret, & juris dicundi onus in plures divideret; quod etiam conſilium ſecutus Moſes: *Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore*, (q) ita tamen, ut ab his graviora negotia ad ſe deferrentur, de quibus ipſe cognoſceret, eaque demum decideret. Non multo poſt Deus ipſe ſeptuaginta Virorum Senatum inſtituit, quorum divino ſpiritu afflatorum ope in gubernando populo Moſes adjuvaretur. Igitur alii ſacra, alii profana curabant. Qui operam rebus ſacris dedere, fuerunt Pontifex ſummus,

(q) *Exodi* 18.

mus, Sacerdotes, & Levitæ: penes quos vero profanorum adminiſtratio fuit, pars conſultationibus & judiciis intenta erat, pars pacis & belli negotia confecit, omnes vero ex arbitrio Moſis pendebant, & ſecundum Dei præſcriptum ſuo munere fungebantur. Neque ſolum dum viveret, de ordinanda Hebræorum Republica ſolicitus erat Moſes, ſed futura proſpiciens ſaluberrimas condidit ſanctiones, quibus populo in terram a Deo promiſſam ſeu Chananæam ingreſſo Ariſtocraticum regimen, cujus prima ut dictum eſt fundamenta jecit, ad ſummum apicem perduceretur. Nam concionem allocutus: *Non facietis*, ait, *in terra Chananæa, quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur*, (r) ſed ut in ſingulis urbibus Judices & Magiſtratus ad cognoſcendas cauſſas conſtituerentur, præcepit; quæ vero majoris momenti eſſent, ad Sacerdotem de ſtirpe Aaron, penes quem tum temporis ſuprema poteſtas foret, deferri in mandatis dedit: qui autem hujus judicio non acquieſceret, capitis rerum declaravit. (s) Certe Joſephus (t) ſic loquentem, & Ariſtocraticum regimen commen-

mem-

(r) *Deuter.* 12.
(s) *Deuter.* 16. & 17.
(t) *Lib.* 4, *Antiquit.*

„ Quodſi Regis cupiditas vos
„ ex eadem gente ſit. „ Hæc
ſideranti ſatis patet, Moſen
præſcium Reipublicæ Hebrææ
eam elegiſſe, in qua Sacerdotes
Ducibus ſeu Principibus a Deo
immo & Regibus a populo electis
gubernarent, ita ut Sacerdotes de
Legis ac religionis cognoſcerent,
penes Pontificem poteſtate relicta
cipes vero, tam Duces quam Reges,
belli ac pacis tractandis, politia &
aſſerendis, religione autem & ſacri
tra impios & temerarios gladio vin
dis occuparentur; qua ratione tem
Republica *Regale Sacerdotium*, ſeu
tum Sacerdote ac Rege imperium
xiſſe videtur Moſes. Ita res toto
per deſertum tempore agebantur,

ejectisque antiquis poſſeſſoribus, quod Moſes inchoaverat, regimen ſtabilire cœpit; ac primum quidem regionem totam partim ſorte, partim arbitrio habitandam diviſit inter memoratas duodecim tribus, ſua cuivis portione ac limitibus adſignatis, excepta tribu Levi, quæ ab hac ſortione ſubmota eſt, nec inter reliquas tribus numerata, ſed ei, in cujus finibus conſederat, adſcripta: neque pars ulla terræ huic conceſſa fuit, ſed ſacerdotia, primitiæ, decimæ, victimæ, quæque in templo offerri ſolebant, ſunt adtributa. Tum Judices ac Magiſtratus per omnes civitates conſtituit, ipſeque cum Eleazaro ſummo Sacerdote ac Senioribus ad clavum Reipublicæ ſedens conſilio & exemplo cuncta provide ac fortiter moderatus eſt. Demum ſenio confectus omnem Iſraelem, Majoresque natu, & Principes, & Duces, & Magiſtros in concionem vocavit, (u) innovavitque fœdus Dominum inter & populum, jam a temporibus Abrahami conſtitutum.

Verum juvat penitius regiminis hujus formam inſpicere. Hebræorum populus erat bipartitus: unam partem confecere in-

(u) *Joſue* 23.

indigenæ, qui ab Iſraele genus trahentes Legem *circumciſione* profeſſi ſunt: alteram advenæ ſeu Proſelyti, qui e gentibus prognati, ſed ab idololatria ad veri Dei cultum tranſeuntes *circumciſionem* admiſerunt, quosque ita indigenum loco haberi Deus ipſe juſſit. (x) Reſpublica vero Hebræorum veluti tripartita fuit: unam conſtituebat univerſus populus, e duodecim tribubus collectus: alteram ſingulæ tribus: tertiam ſingulæ tribuum ſingularum civitates. Prima & princeps Reſpublica ſedem ſuam obtinuit ea in urbe, quam Deus deſignavit pro publico religionis cultu, nimirum in qua Tabernaculum, & poſtea Templum collocari voluit, atque per ſacrificia & victimas honorari; ubi etiam habitare conſueverant illi, penes quos ſacrarum & profanarum rerum ſumma poteſtas fuit. Huc enim ſtatis temporibus tum religionis tum judiciorum cauſſa omnis Hebræorum populus confluxit. Numerabantur autem duæ hujusmodi urbes: primum Silo in Samaria & finibus Ephraim, dicente S. Scriptura: *Congregati ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Teſtimonii.* (y) & : *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniverſaria.*

(x) *Exod.* 12. (y) *Deuter.* 22.

ria. (z) Poſtmodum repudiata Silo tempore Davidis Hieroſolyma, in Judæa & tribu Judæ ſita. *In templo hoc & in Hieruſalem, quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum.* (a) Atque hæc prima Respublica paruit ſummo Principi, qualis erat Moſes, Joſue, reliquique Duces populi. Secunda per illam regionem ſe extendit, quæ in ſortitione facta cuivis Tribui obvenit, habuitque Præfectum, qui tribus illius Princeps dictus eſt: non minus alios inferiores, qui familiarum Principes ſunt adpellati. hi tamen omnes ſupremo Capiti primæ reipublicæ ſubjecti fuere. Tertiæ reipublicæ ſedes in ea civitate cujusque Tribus erat, in qua Senatus fuit conſtitutus, qui cauſſas privatas qua civiles, qua *criminales* ut vocant, cognoſceret. Duplex perſonarum genus ad hunc Senatum pertinuit, primum *Sophetim* ſeu Judices, qui collatis conſiliis & calculis ſententiam tulere: alterum *Soterim*, id eſt, Miniſtri, quorum erat mandata Principum edicere, ac exequi quæ Magiſtratus aut Senatus juſſerat, intentato pœnarum timore omnibus, qui parere detrectabant. hinc officium, quo funge-

(z) *Jud.* 21. (a) *L.* 4. *Reg.* 21.

venire debuerunt, ubi de crimine
pœna digno agebatur : quando
de multa pecuniaria ſolum, tres ſ
bant. Hos Judices ad portam ci
ſediſſe frequenter memorat S. Scri
id eſt, judicia ibidem tanquam i
prio tribunalis ſui loco exercuiſſe,
te cui rei aptiſſima videbatur ci
porta. Quum enim Hebræi vix nc
nes agriculturæ dediti eſſent, illic
ne ad laborem exeuntes, & veſp
deuntes domum, frequentiſſime
nerunt, non ſecus ac Romani ii
pro tribunali ſederunt, tanquam p
mercatorum loco, quales pleriqu
runt. Solemnem ejusmodi judicii
nobis exhibet S. Scriptura : (b)
batur cauſa inter duos propinqu
agro emendo, & de Ruth in u
ducenda. Igitur Booz ad portam

agitata prior propinquus juri ſuo ceſſit, & calceo detracto ac Booz porrecto (hic ritus erat firmandæ ceſſionis) & agrum & Ruth eidem reliquit, qui mox ad Majores natu, id eſt, Judices & univerſum populum converſus, *Teſtes vos, inquit, eſtis bodie, quod poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon tradente Noemi, & Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in conjugium ſumſerim . . . . Vos inquam bujus rei teſtes eſtis. Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & Majores natu: Nos teſtes ſumus.* Atque ita judicium brevi manu finitum erat. Cætera dubitari vix poteſt, fuiſſe non procul a porta, ubi amplius ſpatium patuit, ædificium quoddam in propatulo erectum, in quo Judices & Seniores eminentiore loco & ordine ſedentes judicia hæc exercebant, quemadmodum infra dicemus de loco tribunalis ſupremi, quod Hieroſolymis Templo adjunctum fuit.

IV.

Monarchicum.

Ariſtocratiam excepit regnum, quod Monarchicum regimen adpellare fas eſt, non quod hoc omni lege ſolutum fuerit,

& ex ſolo imperantis arbitrio penderet, ſed quod poteſtas gubernandi, per plures antehac diviſa, nunc in uno, qui Rex dicebatur, capite reſidere cœperit. Itaque populus Hebræus Veteris inſtituti pertæſus, & finitimarum gentium exemplo illectus a Samuele Regem importune ſatis poſtulabat: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ut univerſæ habent nationes.* (c) Samueli vero hac ſuper re graviſſima Deum conſulenti hic reſpondit: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos . . . Verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* Tum jus hoc latius explicavit Propheta, inquiens: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, & faciet ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum: & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias & focarias, & pannificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet*

(c) 1. Reg. 8.

net in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, vosque eritis ejus ſervi. Verum hæc *narrando* potius hiſtorice, quam *adprobando* Samuelem nunciaſſe, meliores S. Scripturæ Interpretes contendunt, quum hic non legitimus regiæ poteſtatis uſus, ſed abuſus eſſet, & violenti abortus imperii, quod *deſpoticum* nuncupant. Interea populo, ut votis ſuis ſatisfieret, urgente primus ſceptrum & coronam adeptus eſt Saul. Erat autem a Judicum & Ducum electione ac poteſtate multum diverſa Regem creandi ratio, ejusdemque auctoritas. Ad primum quod adtinet, creatus eſt Rex univerſi populi ſuffragiis: dein oleo ſacro inunctus. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* (d) poſt hæc in regali ſolio magna cum pompa collocatus. Poteſtatem quod ſpectat, in omnes duodecim Tribus principatum obtinuit, judicavit illas vel cum conciliis, vel etiam ſolus: bella arbitrio ſuo ſuſcepit ac geſſit: vitæ etiam ac necis poteſtatem in ſubditos ſuos habuit absque juris forma: hac uſus eſt David in eum, qui de Saulis in-

(d) 1. *Reg. C.* 10.

interitu nuncium tulit, ſeque occidiſſe Regem jactavit: & in illos, qui vitam Isboſetho ex inſidiis eripuerunt, (e) quos omnes e veſtigio coram ſe trucidari juſſit. Præterea tributum ab ipſis Iſraelitis, gente cæteroqui liberrima, exigere fas erat. Ita Saul promiſit, omni tributo eſſe liberandum, qui cum Goliath ſingulari certamine congreſſurus eſſet. (f) Ita populus quoque apud Roboamum conqueſtus eſt, nimiis a Salomone Rege tributis ſe oneratum fuiſſe. (g)

Neque ſolum hæc late patens poteſtas, verùm etiam aulæ ac comitatus ma-magnificentia auctoritatem Regibus conciliarunt longe maximam. Certe Regina Saba *poſtquam vidit ſapientiam* (ſcilicet Salomonis) *& domum, quam ædificaverat nec non & cibaria menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & officia miniſtrorum ejus, & veſtimenta eorum, pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas, quas immolabat in domo Domini, non erat præ ſtupore ultra in ea ſpiritus .... Non credebam*, ait, *narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei.* (h) Filii quoque Regum ſplendido cum comitatu in

pu

(e) 2. *Reg.* 1. & 4. (f) 1. *Reg.* 16.
(g) 3. *Reg.* 12. (h) 2. *Paralip.* 9.

publicum prodierunt, uti Abſolon & Adonias, qui curribus & equitibus ſtipati quinquaginta Viris antecedentibus palam comparuere. Nec opes deerant ſuſtinendæ majeſtati. Vivebant enim Reges non ſolum publicis, ſed etiam privatis bonis. Profecto inter theſauros Davidis numerabantur non ſolum aurum & argentum ex tributis collectum, ſed etiam agri, vineæ, cellæ olei & vini, arbores olivarum & ficuum, greges boum, camelorum, & aſinorum: & Salomon habuiſſe legitur variis per totam regionem locis duodecim Præfectos ſeu Promoſcondos, quorum quivis adſignato ſibi menſe ad culinam regiam diebus ſingulis triginta tres boves, & centum oves ſubminiſtrare debuit, alendis nimirum quinque millibus hominum in regiis ſervitiis occupatorum ſuffecturos. Multa quoque Rex hic palatia ædificavit, multas munivit urbes, aliaque opera publica reliquit, regiæ opulentiæ monumenta: omnia vaſa, ſupellex omnis *Domus Libani* erant ex auro, præter 200. aurea ſcuta, quorum quodvis ultra ſex millia, aliave ſcuta minora trium millium florenorum pretio æſtimata. (i) Quantumcunque autem magna amplaque eſſet Regum

(i) 3. *Reg.* 9.

V.

Leges Hebræorum, & *Pœnæ.*

Quoniam vero nullum regimen ſartum tectumque ſubſiſtere poteſt absque legibus, quibus quid fieri oporteat, intelligant ſubditi, & absque pœnis, queis a legibus violandis abſterreantur, iccirco & de his breviter agendum eſt. Triplicis generis leges erant, quibus obſtringebatur respublica Hebraica, ſcilicet *Morales*, *Cæremoniales*, & *Judiciales*. Morales continebantur in Decalogo, qui in lapideis duabus tabulis digito Dei ſcriptus Moſi in monte Sinai quinquaginta annis ab egreſſu ex Ægypto traditus fuit, non ſine pluribus prodigiis, quæ commemorat S. Scriptura: (1) 1. Totus mons circumquaque fumabat, tremebatque. 2. Totus ardere viſus eſt. 3. Horrenda micabant fulgura, & reboarunt tonitrua. 4. Caligo erat denſiſſima, quæ montem operiebat. 5. Immanis pluvia & procella e nubibus effuſa. 6. Sonus buccinæ continuo ex omni latere perſtrepebat. 7. Promicantibus a fronte radiis cornium inſtar Moſes cum tabulis hujus legis e monte rediit. Quæ omnia eo tendebant, ut He-

bræi

(1) *Exod.* 19.

bræi ſacro quodam horrore correpti debitam Legislatori Supremo reverentiam exhibere, ac promulgatas ſibi leges eo religioſius cuſtodire docerentur. Continebat autem Decalogus præcepta decem, tria quæ ad Deum, ut unus coleretur, ne profanaretur nomen ejus, ut Sabbato honos haberetur: tum ſeptem, quæ ad proximum ſpectant, nimirum ut parentes honorarentur, ne cædes, furtum, aut adulterium committeretur, ne falſum præberetur teſtimonium, neque uxor neque res alterius concupiſceretur. Unde nata ſacra illa gnome: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo & proximum ſicut te ipſum.* Leges *Ceremoniales* ad quatuordecim capita referri poſſunt. Agebant enim 1. De loco victimarum & *Sanctuario.* 2. De vaſis Sancti Sanctorum, ſancti & atrii. 3. De Tabernaculo & Atrio. 4. De Sacerdotum & Pontificis veſtibus, de conſecratione illorum, & Levitarum: de dotibus & muniis Miniſtrorum: de eorundem urbibus & proventibus. 5. De ſacrificiis, de primigeniis, primitiis frugum, & decimis. 6. De cenſibus & *oblationibus.* 7. De Nazaræis, & votis. 8. De puerpera, de lepra infectis, aliisque immundis. 9. De aqua luſtrica. 10. De munditie caſtrorum.

rum.

rum. 11. De habitu & veſtitu. 12. De cibis mundis & immundis. 13. De feſtis. 14. De cadaveribus. *Judiciales* itidem quatuordecim capita complectebantur. 1. Quid Judicibus, Principibus, & Regibus eſſet obſervandum. 2. Quæ jura belli. 3. Circa matrimonium & libellum repudii. 4. De homicidarum pœnis. 5. De reſarciendis damnis in cæde animalium. 6. Quid notandum circa teſtes. 7. Quo loco habendi ſervi & ancillæ. 8. De miſericordia erga beſtias. 9. Præcepta ad mercenarios, peregrinos, pupillos & viduas pertinentia. 10. De pignoribus. 11. Vetantur graviter uſuræ inter Hebræos. 12. Qua ratione compenſanda furta & damna illata, horumque pœnæ. 13. Quid agendum circa res depoſitas. 14. Quid circa commodatas. Hæc legum ſumma capita. Singularum in ſuas claſſes diſtributarum ſynopſin exhibet Cornelius a Lapide. (m) Ut autem hæ leges nunquam memoria exciderent, alia duo præcepta inſtar cuſtodiæ Deus addidit: Primum, ut eas in volumine deſcriptas penes ſe haberent Reges, & aſſiduo perlegerent. *Rex poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tri-*

(m) *Tom.* 1. *Pentateuchi ad finem.*

tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & juſtificationes ejus, quæ in lege præcepta ſunt. (n) Alterum, ut a Pontifice in ſolemni feſto Tabernaculorum quot annis publice populo prælegerentur: *In ſolemnitate Tabernaculorum convenientibus cunctis ex Iſrael in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Iſraël, audientibus eis, ut diſcant, & timeant Dominum, & cuſtodiant, impleantque omnes ſermones legis hujus.* (o) Dici vix poteſt, quanto ſtudio harum legum obſervantia a Moſe, Ducibus, & a Prophetis populo, a Majoribus, Parentibus, & a Patribus familias filiis & ſervis fuerit commendata, & perpetuo inculcata, adeo ut demum hæc religio in ſuperſtitionem abierit. Legimus enim, Phariſæos, homines ſuperbia inflatos, quando in publicum prodierunt, fronti & cubito oblongas latioresque membranas (Scripura vocat phylacteria) certis legum ſententiis inſcriptas alligaſſe, quin etiam in palliis anſulas quasdam & fimbrias longius quam mos ferebat, pendentes geſtaviſſe, ut hoc indicio cæteris ſtudio legis præſtare viderentur, ſectantes corticem legis,

(n) *Deuter.* 17. (o) *Deuter.* 31.

gis, nucleum negligentes. *Phariſæi dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* (p)

VI.

Quam ſanctæ autem leges erant, quibus Hebræorum reſpublica regebatur, tam graves etiam pœnæ ac ſupplicia fuerunt conſtituta delinquentibus. Ejusmodi fuerant *Multa*, *Talio*, *Flagellatio*, *Venditio*, *Exilium*: necis autem tria genera produnt SS. Literæ: *Combuſtionem*, *Crucifixionem*, *Lapidationem*. Multa imponebatur, vel in ære vel in re pecuniam æquante pendenda. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* (q) *Si quis percuſſerit mulierem prægnantem, & abortivum fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* (r)

Talionis pœna ſtatuta erat in illos, qui vitam alteri auferebant, vel vulnus inflixere: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro ma-*

(p) *Math.* 23. (q) *Exod.* 22.
(r) *Exod.* 21.

manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, livorem pro livore. (s) Multi & Judaicorum ſcriptorum, & Chriſtianorum Interpretum mitigare rigorem legis hujus conantur, dum contendunt, eam intelligendam eſſe de multa pecuniaria, vel pœna crimini reſpondente: Joſephus tamen (t) animadvertit, læſo poteſtatem factam, ut ultionem injuriæ re ipſa proſequeretur, nec hoc invito pœnam a lædente oblata pecunia redimi potuiſſe. Id ſatis certum, non privata ſed publica auctoritate pœnam talionis infligi oportuiſſe. Flagrorum ſupplicium frequens fuit apud hunc populum, & vulgaribus etiam criminibus, in legem commiſſis, vindicandis adhibitum. (u) *Proſternent,* (nimirum Judices reum) *& coram ſe facient verberari. pro menſura autem peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Modum infligendi hujus ſupplicii ſic deſcribunt Rabbini: Reus coram Judicibus antea proſtratus &

(s) *Exodi* 21.
(t) *Antiquit. Lib.* 4. *Cap.* 8.
(u) *Deuter.* 25.

& condemnatus, vinctis brachiis ad c
lumnam alligabatur, ita humilem,
dorſum emineret excipiendis ictibus p
ratum. Aderant quoque tres Judice
quorum unus verba Deuteronomii (
proclamabat: *Niſi cuſtodieris, & fece*
verba legis hujus, augebit Dominus p
gas tuas, & plagas ſeminis tui. Al
ictibus numerandis intentus erat: poſt
mus ſupplicii miniſtros hortabatur, ut n
nere ſuo rite fungerentur. Flagron
alia funiculis ſive loris, alia vero arl
rum ramis ſeu virgis conſtabant; qua
vis non deſint, qui virgarum ſupplici
ab eo, quod flagris ſumebatur, diverſi
fuiſſe credant. Venditio furum pœ
fuit: *Si fur non habuerit, quod pro fur*
reddat, ipſe venumdabitur. (y) Exilii
pro quibus delictis fuerit decretum, n
conſtat ex S. Scriptura. Solum unive
dicit Eſdras, (z) *Et omnis, qui non*
cerit legem Dei tui, & legem Regis di
genter, judicium erit de eo ſive in m
tem, ſive in exilium, &c. Ad ignem
rogum damnare reos, non adeo inſi
quens fuit apud Hebræos. Ita Judas i
telligens nurum ſuam Thamar e dam
to coitu gravidam eſſe, velut adulte
re

(x) *C.* 28. (y) *Exod.* 21.
(z) *L.* 1. *C.* 7.

ream ad rogum damnavit : *Producite eam, ut comburatur.* (a) Inceſta connubia cum matre & filia flammis vindicari imperat lex : *Qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt : vivus ardebit cum eis ; nec permanebit tantum nefas in medio veſtri.* (b) Sacerdotis quoque filiam flammis exuri mandat Moſes, *ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen Patris ſui.* Crucis ſupplicium non quidem certo cuidam crimini a lege ſtatutum invenire licet : Plura tamen ſcelera huic pœnæ obnoxia fuiſſe exempla commonſtrant : inprimis idololatriam, & blaſphemiam. Nam ubi populus Iſraeliticus in terra Settim cum filiabus Moab ſcortabatur, atque idolo eorum Beelphegor initiabatur, *iratus Dominus ait ad Moſen : tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut auferatur furor meus ab Iſrael.* (c) Judæi autem nefanda perfidia Chriſtum, ac ſi blaſphemiæ in Deum reus eſſet, apud Pilatum accuſantes *crucifige, crucifige* clamarunt. Dein propria hæc ſeditioſorum ac regnum adfectantium pœna fuit, quæ rurſus

(a) *Geneſ.* 38. (b) *Levit.* 20.
(c) *Numer.* 25.

ſus crimina Chriſto Judæi coram Pilato objecerunt: *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Quin & publicis latrociniis decretum fuit crucis ſupplicium: *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones.* Cautum vero erat, cruci affixorum cadavera ad veſperam & ſolis occaſum deponi, ac ſepulturæ mandari. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* (d) niſi forte criminis ratio poſtulare videretur, ut ad terrorem incutiendum pluribus diebus, quin & menſibus ſuſpenſa in patibulo corpora relinquerentur, uti contigit filiis Saul a Gabaonitis permittente David in crucem actis. (e) Denique aliud, & infame mortis genus erat, lapidibus obruere nocentem vel idololatriæ, vel blaſphemiæ, vel Sabbati violati, aut adulterii. Qui crimen ejusmodi ab altero commiſſi indicium ad Judices adtulit, teſtimonio adprobato primus lapides in reum conjecit; tum populus eundem excipiens lapidibus extra urbem eſt perſecutus, donec mortem oppeteret. ita præcipiebatur in libro Levitico (f) *Educ blaſphemum* ex-

(d) *Deuter.* 21. (e) 2. *Reg.* 21.
(f) *Levit.* 24.

extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuper caput ejus, & lapidet eum univerſus populus. Atque hoc factum eſt cum iis, qui judicio publico ad hanc pœnam condemnati fuerunt. Non raro enim Judæi reum idololatriæ, blaſphemiæ, vel adulterii ubicunque occurrentem lapidibus impetebant, zelo legis abrepti: unde etiam *judicium zeli* adpellabant. Chriſtum ipſum legimus juſſiſſe obrui lapidibus adulteram ad ſe adductam, ſi quis foret inter accuſatores criminis expers. (g) Quin parum ab hoc genere ſupplicii ipſemet abfuit in templo, quum blaſphemiæ a Judæis argueretur. Non deerat tamen omne refugium reis. Nam qui fortuito caſu & imprudens hominem occidit, ſalutis aſylum invenire potuit in urbibus, quas *Refugii* adpellabant. Harum ſex erant a Moſe deſignatæ, tres citra Jordanem, nempe *Cedes Nephtali*, *Hebron* & *Sichem:* aliæ tres trans Jordanem, ſcilicet *Boſor*, *Gaulon*, & *Ramoth Galaad.* Ne vero locus fraudi pateret, judicibus fas erat, in ejusmodi reum ſecundum leges inquirere. Accitus igitur in judicium illius loci, in quo cædes fuit commiſſa, ſi

(g) *Joann. C.* 8.

ſi cauſam ſuam defendere poterat, reductus eſt in urbem, ad quam confugit, ibidem impune morari permittebatur: ſi minus, ſupplicio a lege præſcripto ſubjacuit. Poſt obitum tamen ſummi Sacerdotis velut omni criminis labe abſolutus, omnino liber dimiſſus eſt. (h)

§. II.

Magiſtratus Hebræorum.

VII.

Judices.

Ad regendam, continendamque in officio tantam populi multitudinem opus erat Magiſtratu non uno, ſed pluribus, qui diviſis inter ſe curis communem reipublicæ felicitatem promoverent, quando deſignata, ut dictum eſt, a Moſe Ariſtocratia introducto in terram Chananæam populo, ac diſtributis inter Tribus ſingulas poſſeſſionibus conſtituta & firmata fuit. Primum facile locum inter Magiſtratus obtinebant Judices, qui licet Duces populi ſimul fuerint, non tamen a dignitate hac *Duces*, ſed ab officio, quod judicando exercebant, *Judices* nominabantur. Horum auctoritas, quæ ad

(h) *Numer.* 35.

ad regiam proxime accedebat, in eo ſita erat, quod judiciorum, conſiliorum, atque bellorum negotia ſuprema cum poteſtate adminiſtrarent. Quam rationem exercendi judicia adhibuerint, e geminis, quæ S. Scriptura ſuppeditat, exemplis intelligere licet. *Judicabat Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, Galgala, & Maſphat, & judicabat Iſraelem in ſupradictis locis, revertebaturque in Ramatha. ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Iſraelem.* (i) E quibus verbis patet, Samuelem aliquando acceſſiſſe ad diverſas urbes ac regiones judicii exercendi gratia: aliquando accedentibus ad ſe ſuamque domum ibidem juſtitiam adminiſtraſſe, ita ut prius veluti *judicium ambulans*, poſterius *ſtabile* dici potuerit. At Debora (Prophetes fœmina, devicto Jabin Rege, & Siſara belli ſtratego occiſo inclyta, quartum inter Judices locum obtinens) Debora inquam *judicabat populum illo tempore, & ſedebat ſub palma inter Rama & Bethel in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium*, quod *campeſtre* ac ſub dio habitum adpellari poteſt, (k) Hæc judi-

(i) 1. *Reg.* 7. (k) *Judic.* 4.

dicandi poteſtas latiſſime quidem patuit, jus tamen necis nequaquam ex Judicum arbitrio pendebat, ſed adminiſtrari illud ſecundum legis præſcriptum & apicem oportuit. *Conſilii* nomine veniebat facultas populum congregandi, convocandi Senatum, & cum utroque, quæ e republica videbantur, agendi. Iſta uti apud Moſen, & Joſue, ita poſt hos penes reliquos Judices & Reges fuerat. *Belli gerendi* munus iisdem incubuit. quippe omnia bella Judicum tempore geſta ipſos tanquam Duces ſupremos geſſiſſe conſtat, non tamen ſine Seniorum ac populi arbitrio decreviſſe, antequam Reges conſtituti fuerint, qui hanc poteſtatem ſibi deinceps ſolis vindicarunt. Cætera Judices, quorum dignitas nonniſi cum morte finiebatur, non jure natalium ſed ut plurimum Dei voluntate ſibi ſucceſſerunt: aliquando tamen populus Numinis indicium non exſpectans Judicem ſibi delegit, quem fortiſſimum tantoque oneri parem exiſtimabat: *Perrexerunt Seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium ſuum Jephte, dixeruntque ad eum: Veni & eſto Princeps noſter, & pugna contra filios Ammon.* (l)

VIII.

(l) *Judic.* XI.

VIII.

Principes.

Principum triplex claſſis erat, ut alibi memorabam. Primam conſtituebant Principes Tribuum, ſeu Phylarchi, ut a Philone vocantur, qui ſingulis præfuerunt, earumque negotia tum ſub Judicibus tum ſub Regibus curarunt. *Locutus eſt Moſes ad Principes tribuum filiorum Iſrael.* (m) *Convocavit Salomon Rex omnes Seniores Iſrael, & omnes Principes tribuum.* (n) Jura quibus gaudebant, ſatis ſplendida fuerunt. Quippe adſiſtebant lateri Ducis aut Regis, & cum iis conſidentes partim conſilia inierunt, partim jus dixere ſingulis tribubus: tum etiam ſi quid jurejurando publico ſanciendum erat, quemadmodum in fœderibus aliisque contingit, una cum Duce aut Rege ſolemni formula ſe obſtrinxerunt: *Joſue fecit fœdus cum Gabaonitis jurans, & ſimul Principes Synagogæ.* (o) Altera claſſis fuit Principum familiarum. Nam uti totus populus in duodecim tribus, ita & unaquæque tribus in plures fa-

(m) *Numer.* 30. (n) 2. *Paralip.* 5.
(o) *Joſ. C.* 9.

familias diviſa erat. Penes hos reſidebat earundem familiarum ſibi ſubjectarum regimen; illas ſæpius convocare debebant, & referre negotia, quæ totam rempublicam tangebant: ſi bellum ingrueret, ſelectos ex illis Viros ſecum adferre ad exercitum, quin & Ducum officio fungi oportebat. A ſupremis autem Ducibus & Regibus ad conſilia & ad judicia celebranda honorifice admoti fuerunt. In tertia numerabantur Principes civitatum, quarum plures erant, a diverſis familiis habitatæ. Principum autem horum nomine ac dignitate gaudebant *Tribuni*, qui mille Viris, *Centuriones*, qui centenis, *Quinquagenarii*, qui quinquaginta, *Decani*, qui denis præerant. Hi ubi opus erat, civitatis illius, quam incolebant, Senatum convocarunt, atque cum eo de rebus publicis conſilia inierunt: tum ad aliquot Senatorum iſtorum, tanquam judices legibus conſtitutos, cauſas ſubditorum definiendas introduxerunt: demum a Judice vel Rege vocati de negotiis reipublicæ cum reliquis Principibus conſultabant, & cauſſas ad ſupremum illud tribunal delatas cognoſcebant.

IX.

IX.

Concio, & Senatus.

Poſtquam vidimus, quinam Magiſtra-us Hebræorum fuerint, quamque habue-int poteſtatem, explicandum modo, ubi t qua ratione potiſſimum illam exercu-rint. Notum eſt illud Juriſperitorum ffatum: *non omnia lege comprehendi poſ-unt.* Hinc opus eſt conſiliis, in quibus æpius de communi bono diſceptetur ac ronuncietur, uti de bello, pace, anno-a, finibus regundis, ferendis legibus pri-atis, Magiſtratibus creandis, & quæ ſunt lia. Quemadmodum autem in cæteris, ta etiam in Hebræorum Republica ejus-nodi Conſiliis vel maxime locus fuit. Quodſi promiſcue & ab omnibus inita uerunt, *Concionem* vocare placuit; ſi ero ſeorſum & a paucioribus ac Senio-ibus, *Senatum.* De Concione ſatis con-ſtat e SS. Literis, auctorem habuiſſe ipſum Deum. hic enim (o) ad Moſen: *Loque-re filiis Iſrael: loquere ad univerſum cæ-um Iſrael.* & reſpondit populus: *Quæ ocutus eſt Dominus, faciemus, & obedien-es erimus.* rurſum (p) *Dedit mihi Do-minus duas tabulas lapideas, quando con-cio*

(o) *Exod.* 24. (p) *Deuter.* 9.

cio populi congregata eſt. Heic vero tria occurrunt memoratu digna. primum eſt, quod concionem convocandi poteſtatem non habuerint, niſi qui ſummo cum imperio præfuerunt, ſcilicet Duces, Reges, ac Principes ſupremi. *Congregavit Joſue omnem Iſraelem in Sichem* (q) *Dixit Samuel Judex, congregate omnem Iſraelem in Maſphat.* (r) *Congregavit David Rex omnem populum.* (s) *Ne liceat ulli convocare conventum in regione, ſine ipſo,* id eſt, Simone Principe. (t)

Alterum eſt modus & ratio convocandi, quod fieri ſolebat tubarum ſonitu jam inde a Moſis tempore. huic enim præcepit Deus: (u) *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem . . . quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſe ululabunt, filii Aaron clangent tubis.*

Tertium denique ſunt cauſſæ, ob quas populus convocari conſuevit, nempe vel ad audiendum, uti principio contigit, dum mandata Dei & leges promulgabantur; vel ad orandum & ſacra facienda in locis

(q) *Joſ.* 24. (r) 1. *Reg.* 7.
(s) 2. *Reg.* 13. (t) 1. *Machab.* C. 14.
(u) *Numer.* 10.

cis ad id deſtinatis, qualia fuerunt Maſpha, Silo, & Galgala; vel ad agendum de creando Judice, Rege aut Principe, deque bello gerendo, quarum rerum multa exſtant in SS. Literis exempla.

Senatus univerſi populi (erant enim etiam alii ordinis inferioris in ſingulis tribubus & civitatibus) Senatus inquam univerſi populi a Deo ipſo per Moſen introductus eſt, & ex LXX. Viris, qui ætate ac prudentia cæteros antecelluerunt, conflatus. *Congrega mihi ſeptuaginta de Senioribus Iſrael, quos tu noſti, quod Seniores populi ſint, & Scribas; & duces ad oſtium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, & deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & tu non ſolus graveris.* (x) Venerabilis hic Ordo Seniorum perpetuo adhæſit lateri Moſis, reliquorumque Ducum, tanquam Reipublicæ Capitum; cum iis conſidebat, & de ſumma rerum una cum principibus conſilia agitabat: etiam Regibus poſtea maximæ venerationi fuit, ita ut Joſephus ſcribere non dubitarit: *Nihil agat Rex ſine Pontificis, & Senatorum ſententia.* At diviſo regno, & fa-

cta

(x) Numer. 15.

ꝺta decem tribuum ſeceſſione Senatus hic in tribu Juda & Beniamin eodem quidem ſeptuaginta Virorum numero fuit conſervatus, non tamen eadem ſemper auctoritate apud Reges, utpote quorum aliqui, qui tales non erant, quales Deus eſſe mandavit, ſed quales ipſi eſſe optabant, ſupremam poteſtatem ſibi arrogantes etiam ſine Senatus conſulto decreta ſanxerunt, & negotia regni adminiſtrarunt.

X.

Judicium, & Concilium.

Judicium & Concilium diverſa fuiſſe apud Hebræos tribunalia ſatis prodit Pſaltes Regius, dum ait (y) *Non reſurgent impii in* judicio, *neque peccatores in* Concilio *juſtorum.* & diſtinctius Servator. (z) *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit* judicio; *qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit* Concilio. Primum Græci Κρίσιν ſeu judicium, alterum συνέδριον ſive concilium adpellabant. Judicium in ſingulis civitatibus erat conſtitutum, jubente Deo (a) *Judices & Magiſtratus conſtitues tibi, & judicabunt po-*

(y) *Pſalm.* 1. (z) *Matth.* 5.
(a) *Deuter.* 16.

populum juſto judicio, neque flectent judicium, neque agnoſcent perſonam, neque accipient munera. Judices hos e gremio Senatorum cujusvis civitatis lectos, atque judicia ad portas civitatis exercita fuiſſe jam nuper diximus. *Si noluerit accipere uxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & vocabit Senatum.* (b) Formam illius latius nonnihil explicare juvat, cujus ideam nobis reliquit Petrus Galatinus, olim Hebræus, poſtea Chriſtianus: „ in principio, inquit, non erat contro„ verſia in Iſrael, ſed Domus judicii „ LXX. Judicum in diverſis locis ſede„ bat. Una autem earum ſedebat in „ portis montis Domus, id eſt, Templi: „ altera vero in porta Atrii: reliquæ au„ tem domus judiciorum viginti trium „ Judicum (de quibus ſcilicet hoc loco „ nobis ſermo eſt) ſedebant in ſingulis „ civitatibus Iſrael: Quum vero aliquid „ poſcendum erat, a domo judicii, quæ „ in civitate propria eſt, poſcebatur. Si „ audiebant, dicebant (nimirum cau„ ſam ſuam) ſin minus, ad illum Or„ dinem (nempe Judicum) veniebant, „ qui in propinquiore civitate erat. qui „ ſi audiebant, dicebant apud eos; ſin

„ mi-

(b) *Deuter.* 25.

„ minus, ad illum Ordinem ibant, qui „ in portis Domus Domini erant, dicebantque: *Sic expoſui, & ſic ſocii mei* „ *expoſuerunt: ſic docui, & ſic ſocii mei* „ *docuerunt.* Qui ſi audiebant, dicebant „ apud eos: ſin minus, ad eum Ordinem veniebant, qui in porta Atrii Do„ mus Domini erat, & dicebant: *ſic expo*„ *ſui, &c.* Qui ſi audiebant, dicebant „ apud eos: ſin minus, & iſti & illi „ ibant ad Conſiſtorium Gazith, in quo „ Sanhedrin a mane uſque ad veſperam „ ſedebat. In Sabbatis autem, & diebus „ feſtis ſolemnibus (utpote Atrio Tem„ pli ob populi confluentis frequentiam „ impedito) ſedebant in muro. „ Ita Galatinus, (c) cujus verba, *ſin minus audiebant*, intelligenda eſſe exiſtimo, quando cauſa propoſita altioris Ordinis & indaginis erat, aut tam facile dirimi non poterat: alias enim utique audire debebant, & judicium exercere, ne partibus litigantibus unum poſt alterum tribunal (quorum ſucceſſionem heic deſcribit memoratus Auctor) cum maximo incommodo, & forte gravi damno adeundum fuiſſet. Eminebat inter civitatum judicia Hieroſolymitanum: in hoc videre fuit ſedentes in hæmicyclum viginti tres judices,

(c) *Apud Sigonium de republ. Hebræor.*

ces, occupante medium locum Præſide, qui Princeps Senatus dicebatur, Vir ſpectatiſſimæ probitatis ac ſapientiæ: hujus latus dextrum ac ſiniſtrum ſtipabant judices reliqui ordine ſedentes ſuo. Sequebantur tres a ſecretis, quorum unus ſuffragia *abſolventium*, alter *damnantium*, tertius utraque excipiebat ac promulgabat. Illuſtriorem reddidere conſeſſum tres alii Ordines eorum, qui e tota Judæa, & aliis tribunalibus delecti inferiora occupabant ſubſellia, velut Candidati, ad hanc Judicum dignitatem & munus cum tempore aſſumendi.

At ſupremum tribunal omnium & numero, & præſtantia Judicum, & negotiorum multitudine ampliſſimum celebratiſſimumque fuit *Conſiſtorium Gazith*, de quo ſupra, ſeu συνέδριον, id eſt Cathedra, uti Græci vocabant, Latini Concilium, Hebræi Sanhedrin. De hujus antiquitate non modice variant Scriptores: Alii a Moſis uſque tempore in deſerto, alii in terra Chanaan a Judicum ævo, alii a Solyma & Templo condito, demum alii a Gabino Judææ ſub Romanis Præſide illud deducunt. Thalmudici ut quam magnificentiſſimam de ſuo Sanhedrin ideam aliorum mentibus imprimerent, mul-

ta de eo commenta proferunt, omnem fidem excedentia. Veroſimilius videtur, Concilium hoc primum in Silo Tribus Ephraim, ubi tabernaculum & in hoc Arca Dei aliquamdiu quievit; tum in Hieruſalem Tribus Juda fuiſſe conſtitutum, eo conſilio, ut tum cauſæ majoris momenti, tum quæ ab inferioribus civitatum tribunalibus ob ſententiarum diſcordiam definiri non poterant, huc denique deferrentur, id quod diſertis verbis indicat Joſephus. „Si vero Judices „neſciunt de rebus ad ſe delatis pronunciare, integram cauſam in Urbem „ſanctam mittent, & convenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, quid „viſum ſit, pronuncient.„ Neque hi ſolum, ſed etiam poſtea Reges cum Principibus populi & LXX. Senioribus ac Scribis ſive legis Doctoribus Concilium hoc intraverunt. Locus ei celebrando deſtinatus erat Aula Templi, dicta *Aula lapidibus ſtrata*, itaque conſtructa, ut media pars intra Templi atrium, ubi Oratores ſtantes cauſas agebant, pars altera, ubi Patrum conſeſſus, extra Templi ambitum contineretur. Tempus hujus Concilii nullis fuit circumſcriptum limitibus: nulla die vacabat, ſi feſta ſolemnia & ſabbata excipiantur, quibus in *Antemu-*

ra-

vale ſive ad portam, per quam ad montem Templi ingreſſus patebat, transferebatur. Poſt Esdram tamen Templo inſtaurato ſecunda & quinta cujusvis ſeptimanæ feria Concilio cogendo deſignata fuit. Conveniebant Patres Conſcripti primo mane ſacrificii matutini tempore, & ſole ad occaſum pergente diſceſſerunt. nam cauſas agitare noctu nefas erat, quamvis liceret antea ſuſceptas ſub noctem finire. Ordo judicii hic ſervabatur: Qui crimen alterius ad Sanhedrin deferre conſtituit, is Regem, aut Pontificem, aut Principes adibat, nomen ac conditionem rei delaturus. quo facto illi Soterim cum lictoribus ſubmiſere, qui hominem in vincula darent, & ſi res poſtulabat, adjecere cohortem a Præfecto Templi acceptam. Sic ad ſe delatum carceri mancipⲁrunt, donec cauſa cognoſceretur. Tum convocato univerſo Concilio, & reo in medium producto ab Accuſatore crimen intentabatur, ſimul & pœna his verbis: *Judicium mortis eſt viro huic, quia hoc aut illud fecit.* Mox defenſor conſtitutus repoſuit: *judicium mortis non eſt viro huic, quia illud non fecit, aut juſte fecit.* Perorata poſtmodum & ventilata cauſa Judices datis ſuffragiis majore eorundem numero vel con-

demnabant reum, vel abſolvebant. nam absque hujus Concilii Sanhedrin ſententia nulli, etiam nocenti, vitam eripere licuit, cujus rei inſigne teſtimonium tempore Reipublicæ jam inclinantis præbet Joſephus. (d) „ Herodes, inquit, Antipatri filius quosdam latrones ſine Concilii ſententia interfecerat, ac potentia „ ſua terrorem omnibus inferebat. Quare multi Hircanum Regem, & populum hortati ſunt, ut ipſum cauſam dicere in Concilio cogerent. Hyrcanus „ autem Herodem ad cauſam in Concilio dicendam adeſſe juſſit. Ille vero in „ Concilium cum cohorte ſua progreſſus adeo terruit omnes, ut nemo ad „ accuſandum accedere auderet. Silentibus autem omnibus unus Sameas, vir „ juſtus, dixit: Viri ex Concilio, & Rex! „ credo neminem vidiſſe unquam ſimilem huic aliquem in hoc Concilio conſiſtentem. Nam qui huc accedere conſueverunt, ut cauſam dicant, humiliter aſtare, & miſericordiam a vobis poſcere capillis promiſſis, & veſte atrata „ ſoliti ſunt. Hic vero de cæde cauſam „ dicturus adeſt purpuratus, & capite „ ornato, armisque ſtipatus, ut ſi condemnatus ex lege fuerit, nos morte afficiat;

(d) *Lib.* 14.

ciat; ipſe vero vi facta veritati evadat. Verum Herodem non accuſo, ſiquidem commodo ſuo, non legi conſuluit, ſed vos, aut Regem, qui ei tantam licentiam tribuiſtis. Unum ſcitote, maximum eſſe Deum. quare hic, quem nunc propter Hyrcanum dimittere vultis, quandoque vos & ipſum Regem torquebit. Hyrcanus autem quum vidiſſet, judices ad necem Herodis propendentes, judicium in poſterum diem diſtulit, & clam monuit, ut urbe abiret. „ Ut vero totum de juciis Hebræorum negotium brevi manu ɔſolvam, tres Tribunalium ordines fue: : primus in ſingulis vicis trium judiım, qui de multis pecuniariis & bonis ıobilibus cognoſcebant: alter in civitabus ſingulis viginti trium judicum, qui ꝫ civium fortunis, litibus, pactis, criıinibus minoris momenti, ac pœnis proınciabant: tertius denique ſupremus, ꝫ quo egimus paullo ante, qui ſedem ıbuit in Aula Templi, & in quo de ıaximis cauſis, & totius reipublicæ neɔtiis, atque de capitis ſupplicio decerꝫbatur.

§. III.

ſed a cœlo ad concremandas hoſtias ſubminiſtratum fuiſſe, cujus rei exempla non pauca in SS. Literis deprehendere licet, quemadmodum in ſacrificio oblato ea die, qua Aaron Sacerdotis ſummi dignitate inauguratus fuit: in ſacrificio Gedeonis, in Salomonis ſacrificio, dum templum dedicavit: in ſacrificio Eliæ in monte Carmelo, in ſacrificio Machabæi, dum templum ab Antiocho Epiphane profanatum expiavit. Et ſane Patres plerique (e) ubi de ſacrificio Abelis & Caini agunt, opinantur ignem de cœlo lapſum munera ab Abel oblata abſumſiſſe, reliquiſſe vero intacta illa, quæ Cain obtulit. Humanarum victimarum gemina in populo Dei electo exempla reperimus: unum in Abrahamo, dum Dei juſſu ad Iſaacum filium ſuum immolandum prona voluntate ſeſe accinxit, immolaturus etiam, niſi prohibuiſſet idem, qui mandavit. Alterum in Jephte Iſraelis Judice, qui dum contra Ammonitas cum exercitu egreſſus voto ſe obſtrinxit, oblaturum ſe, qui e domo ſua primus ſibi occurriſſet, occurrentem ita filiam, virginem & puellam, re ipſa holocauſtum obtu-

(e) *S. Cyrillus, S. Ephrem, S. Chryſoſtomus, aliique apud Calmet.*

tulit Domino: (f) de cujus tamen voti religione varia eſt Patrum & Doctorum ſententia. Cætera graviſſime a Deo prohibitum legimus Hebræis, humanas victimas more gentium immolare. Illud certum, primo mortalium ævo in offerendis ſacrificiis quemque ſecutum eſſe pios animi motus, a cœlo vel pietate ſua, & Numinis reverentia ſibi immiſſos, religionemque, quantum ad ritus & ceremonias, locum & tempus, veluti vagam fuiſſe. Ubi autem Lex per Moſen a Deo lata fuit, certa quoque ſacrificiis forma eſt inducta, ut ex ſequentibus mox patebit.

XII.

Varia Sacrificiorum genera.

Holocauſtum præcipuum & antiquiſſimum erat, cujus diſcrimen a reliquis, vox ipſa græca Holocauſton, ab ὅλος *totus* & καίω *accendo* derivata indicat. Nam in hoc ſacrificio tota hoſtia, quæ offerebatur, igne penitus abſumta fuit, quum in reliquis certa portio una cum libaminibus ſacerdoti cederet velut in laboris præmium. Ritum, quo ſacrificii ge-

(f) *Judic.* XI.

genus iſtud peragi debebat, præſcripſit Deus in Levitico: (g) Philo autem Hebræus his verbis explicat. „Ante omnia „ſeligatur maſcula victima ex animalibus „puris ad ſacrificium, juvencus, & agnus, „aut hœdus. Hanc qui offert, ablutas „manus imponat ejus capiti. Tum aliquis Sacerdos accipiat eam; mox alius „ſanguinem ejus exceptum phiala fundat per altaris circuitum, detractoque „tergore victimæ artus in fruſta concidantur, & ablutis inteſtinis ac pedibus „tota victima igni altaris tradatur, conjectis rurſum in unum partibus, quæ „modo diſſectæ fuerunt.„ Holocauſti ſic deſcripti altare, ſupra quod offerendum erat, ex lignis Sethim fabricata, æreisque laminis obducta areæ quadratæ ſimilitudinem referebat prominentibus e quatuor angulis totidem cornibus aheneis: ventrem cavum altaris crates ænea implevit catenis ſuſpenſa, ſuſtinendo igni ac victimæ, cineribusque relictis in fundum transmittendis apta. Ignis autem is ipſe fuerat, qui Aarone ſacris initiato e cœlo delapſus hoſtias corripuit, (h) & a Sacerdotibus perpetuo nutriri debuit, ſubjiciendo ligna mane ſigulis diebus, ita ut nunquam in altari deficeret:

nec

(g) C. 1. & 6. (h) *Levit.* 9.

nec re ipſa defecit ad uſque tempus illud, quo ab aris & focis in captivitatem babylonicam hebræa gens abſtracta fuit.

Libamen erat placentæ genus quoddam, quod ex ſimila, ſeu farina mundiſſima fermento infecta, oleoque affuſo, quin & thure conſperſa conficiebatur, & vel in clibano, vel ſartagine, vel craticula coctum offerebatur ita, ut pars una ſacro igne abſumta, altera vero Sacerdoti tanquam operæ navatæ merces relicta fuerit. Modus offerendi erat, quam lex præſcripſit: (i) *Anima quum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus, & deferet ad filios Aaron Sacerdotis, quorum unus tollet pugillum plenum ſimilæ, & olei, & totum thus, & ponat memoriale ſuper altare in odorem ſuaviſſimum Domino; quod autem reliquum erit de ſacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.* Non autem fas erat Sacerdotibus partem relictam domum deferre, ſed intra templi parietes comedere neceſſum fuit: *Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum*

(i) *Levit.* 2.

cum filiis ſuis absque fermento, & comedet in loco Sanctuarii Tabernaculi. (k)

Tertium genus ſacrificii fuit *Pacificum*, vel ut aliis in locis S. Scriptura vocat, *Victima Pacifica*, *Hoſtia Pacificorum*, *ſalutaris hoſtia*. Origene teſte (l) duplex erat: unum voti, alterum laudis. Prius ad impetrandam a Deo gratiam pacis & ſalutis ſeu publicæ ſeu privatæ: poſterius ea impetrata ad Deum laudandum, ac beneficium acceptum grato animo recolendum inſtituebatur. Victima igitur huic ſacrificio deſtinata (de cujus conditione, ſexu vel ætate nihil fuit præſcriptum: ſolummodo nulla labe infectam eſſe oportuit) ante fores Tabernaculi ſtatuebatur, & impoſita manu initiata ab eo, qui obtulit, jugulabatur. Tum cruore circa holocauſti altare ſparſo adipem, renes, jecur, & quidquid pinguedinis inteſtina obtegebat, quin etiam caudam arietis aut agni (ſi hujus generis hoſtia fuerit) a reliquis carnibus & oſſibus ſejuncta Sacerdos impoſuit offerentis manibus, & ad quatuor mundi plagas circumductis denique hoſtiam ſacro igni devorandam tradidit: ipſe autem Sacerdos pectuſculum & armum dextrum ſibi vendi-

(k) *Levit.* 6. (l) *Homil.* 5.

dicavit: reliquum vero offerens domum referebat, cum familia ſua vel amicis abſumendum; ea tamen lege, ut nil ultra diem ſecundam ſuperſtes foret, dicente Scriptura: (m) *Si voto vel ſponte quis obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter comedetur die. Sed ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: quidquid autem tertius invenerit dies, ignis abſumat. Si quis de carnibus victimæ Pacificorum die tertia comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin potius quæcunque anima tali edulio ſe contaminaverit, prævaricationis rea erit.*

Ad *ſacrificium pro peccatis* quod adtinet, hoc erat omnibus ita commune, ut nec Principes populi, nec Sacerdotes exciperentur, ſi forte crimen aliquod, & maculam legibus ſtatutam ignorantes contraxiſſent. Ritus in hoc ſacrificio fere iidem obſervabantur, ſive pro Sacerdote, ſive pro Principe, ſive pro populo, aut pro opulentis, aut pro pauperibus offerretur. Hoſtiarum duntaxat diverſitas fuit. Itaque Sacerdos ſummus vitulum maculæ omnis expertem præ foribus tabernaculi ſtatuebat, manuque illius cervici ſuperpoſita peccatum ſuum, quod im-

(m) *Levit.* 7. 30. *&c.*

imprudens commiſit, publice profeſſus, veniamque rogans victimam cultro in collum adacto jugulavit: tum profluentem cruorem viala excipiens tabernaculo intulit, & digitis in ſanguine tinctis ſepties eum contra Tabernaculi velum expanſum adſperſit: reliquum vero, poſtquam thymiamatis aram guttis aliquibus linivit, ad altaris holocauſti baſim effudit: vituli vero adipem ſacris ignibus in holocauſti ara cremandum tradidit, reliquis partibus (pelle, pedibus, inteſtinis) extra caſtra portatis, ac in cineres ibidem redactis. (n) Populi Princeps hircum pro peccato immolare juſſus eſt: Populus ipſe vitulum: Vulgus ovem aut capram: Pauperes his victimis comparandis impares duos turtures, aut duos pullos columbarum: quorum inopia neque his hoſtiis exhibendis ſufficeret, farinæ modicam portionem absque oleo ac thure ſubſtituere poterant, cujus pars ſacris flammis, reliqua Sacerdoti ceſſit.

Sacrificium pro delictis, quod quintum eſt, a priori diſtinguebatur, quum iſto peccata, quæ a volente ac ſciente perpetrata: illo autem, quæ ab ignorantibus commiſſa ſunt, fuerint expiata. Si

(n) *Levit.* 4. & 5.

cut pro peccato offertur hoſtia, ita & o delicto: utriusque hoſtiæ lex una erit.) Hoſtia vero huic ſacrificio deſtinata ies fuit de grege, nulla ſui parte ma- ıla conſperſus, cujus ſanguinem per gy- ım altaris fundi oportebat, caudam ve-), & adipem flammis abſumi, carnibus ıcerdoti ad veſcendum relictis. Cæte- ſingularem hoc loco de delictis præ- puis mentionem faciunt SS. Literæ: o) *Anima* inquiunt *quæ peccaverit, & ntemto Domino negaverit proximo ſuo poſitum, quod fidei ejus creditum fue- ıt, vel vi aliquid extorſerit, aut calu- niam fecerit, ſive rem perditam invene- t, & inficiens inſuper pejeraverit, & ıodlibet aliud ex pluribus fecerit, in ıibus ſolent peccare homines; convi- a delicti, reddet omnia, quæ per frau- m voluit obtinere, integra & quintam ſuper partem Domino, cui damnum in- lerat. Pro peccato autem ſuo offeret rietem immaculatum de grege, & dabit ım Sacerdoti juxta æſtimationem, men- ıramque delicti, qui rogabit pro eo co- am Domino, & dimittetur illi pro ſin- ulis, quæ faciendo peccavit.*

XIII.

(o) *Levit.* 7.
(p) *Levit.* 6.

XIII.

Oblationes, Primitiæ, Decimæ, aliaque.

Sacrificiis ita deſcriptis adnectere oportet velut appendicem ea, quæ his affinia Hebræo populo in ſacris Literis vel præſcripta, vel ſponte ab eo ſuſcepta leguntur. Primum locum obtinent *Oblationes*, quæ in Templo erant admodum familiares, in gratiam præſertim egenorum deſtinatæ, ſcilicet oblationes frumenti, ſimilæ, panis, placentarum, fructuum, vini, ſalis, olei: hæ non raro ſeorſum fiebant, ſæpe etiam ipſis quoque ſacrificiis reliquis additæ fuerunt. Nulla certa in his quantitas erat præſcripta, ſed a religione ac liberalitate offerentis pendebat. Sacerdos vero, quem ordo miniſtrandi tangebat, eas ex offerentis manu ſuſcipiens, illarum portione injecta aræ, reliqua ſibi reſervavit, & quidem jure Sacerdotis tanquam miniſtri Domini, ſi thus excipias, quod totum ſacro igni devotum erat. At *oblatio incenſi* quotidiana in Altari thymiamatis præcepta fuit his verbis: (q) *Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & altare aureum,*

(q) *Exodi* 40.

reum, in quo adoletur incenſum coram Arca teſtimonii. (r) *Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuave fragrans mane; quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperam, uret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras.* Thymiama hoc qua ratione compoſitum fuerit, exponit S. Scriptura eodem in loco: *Dixitque Dominus ad Moſen: ſume tibi aromata, ſtacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis omnia, faciesque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum; cumque in tenuiſſimum pulverem omnia converteris, pones eos coram tabernaculo Teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* Res hæc erat adeo ſacra & religioſa Hebræis, ut eam in uſus privatos convertere crimen eſſe capite luendum.

Secundo loco memorandæ veniunt *Primitiæ.* Harum nomine comprehendebatur, quidquid primum ſive ex hominibus, ſive ex animalibus, ſive ex ſemine telluris ortum fuit: omnia hæc apud He-

(r) *Exodi C.* 30.

Hebræos Deo conſecrata fuerunt in ſignum majeſtatis divinæ ac ſupremi totam in gentem, resque illius cunctas dominatus. Itaque primitiæ tum ex fructibus agrorum, tum ex animantibus, quod primum erat, perſolvendæ fuerunt: infantes vero natu majores Domino quidem offerri oportuit in templo, ſed parentes pretio quinque ſiclorum eos velut litro oblato ſuum quisque redimebant. Multiplex autem primitiarum circa fruges genus erat: Primum totius populi nomine oblatum manipulus hordei, qui antequam collectæ meſſis uſus concedebatur, ſub veſperam diei decimæ quintæ Menſis Niſan (apud nos Martii) in atrium templi deferebatur, ubi excuſſis contritisque granis præparatum frumentum a Sacerdote ad quatuor mundi plagas converſo obatum fuit, ejus pugillo in ſacrum ignem injecto: reliquum ſibi retinebat: atque his peractis cuilibet meſſem ſuos in uſus convertere licuit. Alterum genus primitiarum, ſingulis ut redderent præſcriptarum, nec certum tempus, nec quantitatem certam lege injunctam habebat: res tamen ſolemnitate non caruit. Scriptores Judæi fide digni hanc ita nobis narrant: (s) Quum tempus offe-

(s) *Apud Calmet.*

offerendi advenit, viginti quatuor hominum agmen proceſſit, quod bos olearum foliis redimitus, & cornibus auro fulgentibus ſuperbiens antecedebat, ſacrificio deſtinatus, comitante tibicine. Tum ſequebantur reliqui caniſtris onuſti, quibus ſuas detulere primitias inter feſtivos cantus. Venientem turbam excepere cives ex urbe effuſi, totamque pompam per montem ad templum deducebant. Ubi ad atrium Sacerdotum perventum eſt, Levitæ intonabant verba pſalmi vigeſimi noni: *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c.* Qui vero primitias detulit, mox verba e Deuteronomio (t) reddidit: *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terra, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Demum Sacerdos ſublato caniſtro orationem proſecutus ad altaris latera illud depoſuit, pronusque ſalutavit. Rurſum aliæ primitiæ fuerunt, quarum meminit Liber Numerorum. (u) Quoties enim panis ad uſum familiæ pinſebatur, farinæ portio reponenda fuit, Sacerdoti vel Levitæ, qui eandem incolebat urbem, ſubminiſtranda.

Ter-

(t) *C.* 26. (u) *C.* 15.

Tertium locum ſibi vendicant Decimæ, quas ſolvendi conſuetudo jam ante legem Moſaicam celebratur in S. Scriptura, in qua legitur Abraham deviɛtis hoſtibus occurrenti Melchiſedech Regi Salem, ſimulque Sacerdoti ex omnibus ſpoliis decimas obtuliſſe: (x) & Jacob cunɛtorum, quæ ex Meſopotamia ſecum allaturus eſſet, decimas Deo perſoluturum ſe voviſſe. (y) At lege conſtituta variæ decimæ ab Hebræis erant reddendæ. Primo quidem a populo decimæ Levitis ſolvendæ fuerunt, qui tamen his ipſis uti antea non poterant, quam ex iisdem decimas Sacerdotibus obtuliſſent. Utrumque patet e libro Numerorum (z) *Præcipe Levitis atque denuncia; cum acceperitis a filiis Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt, decimam partem decimæ.* Porro decimam partem ſeparare jubebatur unusquisque de populo Iſrael e cunɛtis fruɛtibus, qui naſcuntur in annos ſingulos, (a) eo fine ut Hieroſolymam transferret ſecum ad Templum Domini, ibique in veſtibulo invitatis ad epulas Levitis comederet: *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua, & Le-*

(x) *Gen.* 14. (y) *Geneſ.* 28.
(z) *C.* 18. (a) *Deuteron.* 14

Levita, qui intra portas tuas eſt. Quodſi via longior fuiſſet, nec decima commode transferri poſſet, vendenda erat, & in pretium redigenda, illudque offerendum. Denique tertio quoque anno ſeponenda fuit decima pro Levitis, peregrinis, & pauperibus, uti præcepit Moſes: (b) *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui juxta portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur, ut benedicat tibi Dominus.*

Quartus locus *ſacræ pecuniæ* ac *Gazophilacio* tribuendus eſt. Pecuniæ ſacræ nomine venit ſiclus, (de hujus valore dixi in libro de re numaria) cujus dimidiam partem velut pretium pro animabus ſuis pendere debebant Hebræi ad uſum tabernaculi, quando ſcilicet populus in cenſum veniebat. ita Exodi. (c) *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc au-*

(b) *Deuteron.* 14. (c) *C.* 30.

autem dabit omnis, qui tranſit ad numerum; dimidium ſicli juxta menſuram templi . . . ſuſceptamque pecuniam, quæ collata eſt a filiis Iſrael, trades in uſus tabernaculi Teſtimonii, ut ſit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum. Hunc quaſi ſacrum tributum Sacerdotes conſtructo etiam templo Solymæo diligenter multis annis exigebant. Verum poſtea longiori tempore intermiſſum, quum inſtaurandum eſſet templum, nec pecunia ſuppeteret, Joas Rex denuo ſolvi ab omnibus juſſit, erecta ad templi fores ara, quam Græci ac Perſæ *Gazophilacium*, Syri *Corbonam*, Romani *Ærarium* dixere. In hanc templum ingredientes pecuniam memoratam conferre debebant. unde apud D. Marcum (d) *Sedens JEſus contra Gazophilacium aſpiciebat, quomodo turba jactaret æs in gazophilacium.* Sed nomen iſtud non ſolum arcæ huic, ſed etiam aliis templi locis ac cellis tribuebatur, in quibus annona pro ſacerdotibus, pretioſa munera a Regibus, devotisque perſonis oblata, quæque ad ſacrificia deſtinabantur, recondita ſervataque fuerunt, præpoſito illis cuſtode, ſeu Quæſtore templi.

XIV.

(d) C. 12.

XIV.

Summus Pontifex, & Sacerdotes.

Multiplex heic ſacrarum perſonarum genus occurrit: primum quidem earum, quæ ad divinum miniſterium ſolemni ritu fuerunt inauguratæ, uti Pontifices, Sacerdotes, & Levitæ, tum quæ ſacris rite ac decenter peragendis ſerviebant, uti Cantores, Janitores, & Nathanæi, tum quæ licet ſacra non attigerint, ſe tamen vel Deo conſecrarunt, aut Numinis Interpretes erant, aut Dei legem expoſuere, quemadmodum Nazaræi, Prophetæ, ac Scribæ.

Pontifices & exteriore corporis habitu, & officii ſui dignitate ex aliorum Sacerdotum numero quaſi toto humero eminebant. Ad veſtitum quod adtinet majeſtate plenum, juvat ſingulas ejus partes ordine naturali breviter deſcribere. Primo *femoralia* ſeu *feminalia*, ut vocat S. Scriptura, ex lino tenui confecta a renibus ad femora tegenda defluebant: hæc excepit tunica linea, elegantioris texturæ, quæ ſtrictis manicis tam arcte corpori adhæſit, ut nulla omnino in veſte ruga eſſet, deſcenditque uſque ad crura. Huic ſuperaddita erat alia tuni-

nica talaris hyacinthina, in cujus extrema parte ad pedes demiſſa duo & ſeptuaginta tintinnabula (ut Joſephus tradit) aurea, totidemque intermixta mala punica e bracteis aureis elaborata fuerunt ſuſpenſa, *ut audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini.* (e) Has veſtes fluentes continebat baltheus, ſeu zona vel cingulum, polymita arte diſtinctum, diverſosque flores ac gemmas referens: hoc quatuor digitos latum tunicas reliquas umbilicum inter & pectus ſtringebat. Sequebatur Ephod ſeu *Superhumerale*, ex hyacintho, crocco, byſſo, purpura & auro contextum, quod ubi humeros tegebat, ex utraque parte duo lapides onychini auro concluſi emicuerunt, quibus inſculpta fuerunt nomina filiorum Iſrael, ſeu duodecim Tribuum, ſena in uno, & totidem in altero, ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus erat Dominum, in humeris ſuis portaret. Ubi vero eadem zona in pectore decuſſabatur, *Pectorale* ſeu *Rationale* videre fuit, quadratæ figuræ, ac magnitudine palmum æquans. Hoc erat pannus brevis auro intextus, & quatuor tinctus coloribus, iis-

(e) *Exodi* 28.

iiſdem ſcilicet, quibus *Superhumerale*, cui quatuor annulis aureis fuit connexus. in eo reſplendebant duodecim lapides miræ magnitudinis in quatuor ordines diſtributi: primus ordo Sardium, Topazium, Smaragdum: alter Carbunculum, Sapphirum, Jaſpidem: Tertius Ligurium ſeu Lyncurium, Acathem, & Amethyſtum: quartus Chryſolithum, Onychinum, & Perillum continebat. Pretioſis his lapidibus duodecim tribuum nomina, ſingula ſingulis, ſecundum ætates ſuas Samaritanis literis inſculpta legebantur. At caput Pontificis tegebat tiara ſeu pileolus e byſſo, rotundus absque tamen acumine, aureis parergis diſtinctus, cujus partem anteriorem cingebat lamina aurea, in frontem Sacerdotis adſurgens, exhibensque literas: *Sanctum Domino.* Ne vero lapſui obnoxia foret hæc lamina, duabus vittis in occipite ſibi occurrentibus vinciebatur.

Atque hic veſtitus erat ſummi Sacerdotis, profecto ſplendidiſſimus, quo inter omnes, & ab omnibus diſcernebatur. Duo tamen adjungere fas erit e Joſepho (f) aliisque Scriptoribus: primum eſt de

(f) *Antiq. L.* 3. *C.* 9.

de *Urim* & *Thummim*, quibus duabus vocibus S. Hieronymus *doctrinam* & *veritatem* ſignificari docet. Hos autem fuiſſe ipſos *Rationalis* lapides contendit idem Joſephus, fulgorem inſolitum vibrantes, ſi Numen conſultum futurarum rerum eventus monſtrare vellet. Verba ſunt Joſephi: „ Lapides quos ferebat „ ſuper humerum Pontifex, erant Sardo„ nyches. Cum autem Deus ſacrificiis „ adeſſet, is qui in dextero humero por„ tabatur, micabat & ſplendorem tantum „ emittebat, ut etiam procul poſitis illu„ ceſceret, cum prius ea luce careret. „ Per duodecim autem lapides *Rationa*„ *lis* victoriam pugnaturis prænunciabat. „ Tanto enim ſplendore fulgebant, cum „ nondum exercitus moveretur, ut om„ nibus conſtaret, eorum auxilio adeſſe „ Deum. Ceſſavit autem *Rationale* & „ *Sardonix* annis jam ducentis, antequam „ ego hæc deſcriberem, (*atque adeo 110.* „ *vel 12. ante Chriſtum natum. nam lu*„ *cem aſpexit Joſephus anno 37. regnan*„ *te Caligula.*) cum Deus moleſte fer„ ret transgreſſiones legis. „ Alterum eſt, quod de pileolo Pontificis idem prodit: „ Præter communem, inquit, cum „ Sacerdotibus pileum Pontifex alterum „ pileum habuit conſutum, ex hyacintho

„ va-

„ variatum, quem corona aurea circum-
„ dedit, quæ tribus ordinibus diſtincta
„ fuit: ſupra quam in medio floruit ca-
„ lyx aureus herbæ, quæ a Græcis dici-
„ tur hyoſciamos, ſimilis. „

Pontificis ſic deſcripti hucuſque poteſtas & officium fuit: primo quidem, Caput religionis, & juris ac judiciorum Adminiſter ſupremus eſt conſtitutus (g) *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore* (ſcilicet ad ſummum Sacerdotem teſte Joſepho, Philone, & Interpretibus aliis) *quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Dein præcipua Tabernaculi, poſtea Templi cura ipſi incubuit. Quippe Tabernaculum quotidie ingredi ad lucernas concinnandas, in *Sanctuario* autem incenſum ad altare thymiamatis adolere: ſingulis ſeptimanis panes *Propoſitionis* conficere, ac feſtis diebus populi ſacrificia una cum Sacerdotibus offerre oportebat: ſemel vero in anno, feſto *Ex-*

pia-

(g) *Deuter.* 17.

piationum, ſacris veſtibus indutus ſolus *Sanctuarium* ipſum intrare, atque una cum altari thymiamatis a peccatis & noxis illud expiare, ſimul pro ſe, familia ſua, & pro univerſo cœtu Iſrael, interea jejunante, preces fundere jubebatur. Demum gravioribus in negotiis a populo interrogatus prælucente Urim & Thummim coram Arca Fœderis Numen conſuluit, & de rebus arcanis ac futuris Dei ſpiritu afflatus oracula edidit. Ut autem ad tanti muneris (nempe Pontificis) faſtigium eveheretur, has in eo dotes lex requiſivit: (h) *Pontifex ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitusque eſt ſanctis veſtibus, non erit mancus, debilis, cæcus, claudus, habens maculam, albuginem, aut ejusmodi alia vitia corporis.* Hanc porro dignitatem in ſacris omnium maximam adepti ſunt Aaron, & qui ab eo per continuam ſucceſſionem deſcenderunt, octoginta & unus uſque ad Phanniam ſeu Phanaſſum, ſub quo Jeroſolyma à Tito capta & incenſa: Sacerdotium vero & ſacrificia Hebræorum abrogata fuere.

XV.

(h) *Levit.* 21.

XV.

Jam ad reliquos Sacerdotes & Miniſtros, quorum ingens copia fuit, ut ſcilicet non ſolum incolis Solymæis, ſed ex omni tribu & regione eo confluentibus omni tempore præſto eſſent in ſacris obeundis. Eorum veſtitus, quantum adtinet ad femoralia, tunicam lineam, cingulum & pileolum ſimplex, communis erat cum Pontifice, cujus reliquis ornamentis hi caruere. Extra ordinem tamen quandoque *ſuperhumerali* ſeu Ephod utebantur, hoc diſcrimine, quod lineum eſſet, non auro, purpura & byſſo diſtinctum, quale fuit Pontificis. Hi Sacerdotes ut ait Joſephus (i) ad altare templumque accedebant carentes omni vitio, veſte amicti byſſina, maxime autem mero abſtinentes, ac ſobrii religionis metu, ne quid rem divinam faciendo peccarent. Eorum officia fuerunt: alia quæ ad Tabernaculi vel templi miniſterium pertinebant, ut ignem in altari holocauſtorum perpetuo conſervare, lampadum aliorumque ſacrorum vaſorum curam habere: panes *Propoſitionis* confectos aureæ menſæ calentes imponere, ſacrificia in altari ſuis manibus offerre: jugulare vi-

(i) *L. 6. Bell. Judaic.*

victimas, & pellem detrahere pecoribus, ſanguine ad altaris baſim effuſo: Arcam fœderis ad caſtra & aciem deferre humeris ſuis, ſacrisque buccinis clangere, &c. Alia, quæ ad obſequia populo præſtanda ſpectabant: ut inſtituere illum in præceptis & ceremoniis, judicare circa lepram, in cauſſis divortii, de votis atque Legalibus, Dei nomine populo benedicere, &c. Cætera primi Sacerdotes fuere quatuor Aaronis filii Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar, a quorum poſtremorum progenie, atque ita e tribu Levi deſenderunt reliqui omnes. David Rex eos in viginti quatuor claſſes ſecundum familias ſorte diviſit, ne ſcilicet cuncti Sacerdotes quotidie miniſteriis ſacris occuparentur, ſed diviſo inter claſſes labore ſingulis hebdomadibus ſingulæ operam navarent, quibus etiam Sacerdotes aliquot inſigniores præfecit, qui communi nomine cum ſummo Sacerdote Principes Sacerdotum, & Pontifices adpellabantur.

XVI.

Levitæ, Cantores, &c.

Sacerdotes excipiunt *Levitæ.* Equidem omnes, qui e tribu Levi originem duxere, atque ita ipſi Sacerdotes & Ponti-

tifices re ipſa Levitæ fuerant; at proprio Levitarum nomine illi veniebant, qui ex hac ſtirpe inferioribus Tabernaculi vel Templi miniſteriis adhibiti ſunt, non ſine ritu quodam ſolemni. Nam aqua luſtrari, expiatique a maculis, raſo toto corpore, lotisque veſtibus ante fores Tabernaculi palam ſiſtebantur: tum vitulis duobus in holocauſtum oblatis ad ſummum Sacerdotem perducti fuerunt, qui ad quatuor mundi plagas illos convertens, modiceque e ſolo ſublevans conſuetis fungi miſteriis jubebat, hacque ratione in conſpectu omnis populi initiabat. Duplex autem illorum ordo fuit, unus a Moſe, alter a Davide inſtitutus: munus vero utriusque multiplex. Prioris generis Levitis cura Tabernaculi concredita erat, & vaſorum, inſtrumentorum, ac Fœderis Arcæ, ut e loco in locum deferrent, cuſtodirent, & Sacerdotibus miniſtrarent. ita in libro Numerorum: (k) *Per gyrum tabernaculi metabuntur; cum proficiſcendum erit, deponent Levitæ tabernaculum; cum caſtra metanda, erigent.* Portare autem debebant arcam, velum, menſam, cortinam, tectum tabernaculi, tentorium, funes, vaſa, tabulas, vectes, columnas, baſes, to-

tam-

(k) *Cap.* 1.

tamque ſupellectilem ſacram. Poſteriorum vero, quos David conſtituit, poſtquam Arca Dei ſtabilem in Templo Solymæo ſedem obtinuit, officium erat tum præ foribus templi adſiſtere, & cuſtodias agere, tum cætera ad ſacrificium neceſſaria Sacerdotibus miniſtrare, quorum arbitrio plene ſubjecti fuere. Diſtribuit autem illos David in varias claſſes, Miniſtrorum, Cantorum, Janitorum, Scribarum & Judicum. Miniſtri numerabantur 2400. Cantores 4000. Janitores 4000. Scribæ & Judices 6000. (l) Multitudo hæc alebatur non modo ex fructuum, ſed & pecorum decimis, ab univerſo Iſraele ſolutis: quando autem in Templo miniſteria ſua obibant, ex iis quoque, quæ ſingulis diebus offerebantur. Habitationi adſignatæ fuerunt quadraginta octo urbes una cum agris, hortis, & paſcuis adjacentibus: in corporis habitu tamen & veſtimentis nihil a reliquis Hebræis diverſum habebant.

Cantores ex Levitarum ſtirpe ſelecti *confitebantur, & canebant in organis Domini.* Inſtrumenta muſica diverſæ ſortis erant: tubæ, cymbala, pſalteria, citharæ, & quæ proprio nomine dicebantur or-

(l) 1. *Paralip.* 23.

organa. Vocum vero cantui materiem præbebant hymni ſacri, quos David, Aſaph, Idithun, & Heman compoſuere. Univerſus Muſicorum chorus circa holocauſtorum altare in tres ſeries diviſus ſtabat: Caathitæ mediam, Meraritæ ſiniſtram, dexteram Gerſonitæ occuparunt, qui omnes muſicæ artis peritiſſimi fuerunt, utpote qui totum vitæ tempus qua voce qua inſtrumentis canendo impendebant. Illuſtre ſpecimen muſici hujus concentus exhibet S. Sctiptura regnante Salomone (m) *Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diverſi generis muſicorum concinnentibus, & vocem in ſublime tollentibus longe ſonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpiſſent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus, impleretur domus Dei nube, nec poſſent Sacerdotes Dei ſtare, & miniſtrare propter caliginem.*

Janitores miniſtri fuerunt ex tribu Levi, qui ad januas Templi excubias egerunt diu noctuque, & ſacras arculas atque theſauros mutatis vicibus cuſtodiebant,

(m) 2. *Paralip.* 7.

doque ad totum vitæ tempus extrahebatur, ut de Samſone, Samuele, & S. Joanne Baptiſta conſtat; ac de Jacobo Juſto, Domini fratre, cum Epiphanio & Euſebio Hegeſippus tradit apud Clementem Alexandrinum, dicens: *Ex utero matris ſuæ ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, ſed neque animal manducavit: ferrum in caput ejus non aſcendit.* Singularis erat ritus, quando completis voti diebus eodem ſolvebatur Nazaræus. Nam a Sacerdote ad oſtium tabernaculi deductus agnum, ovem, & arietem offerre jubebatur, illum in holocauſtum, iſtam pro peccato, hunc in ſalutis hoſtiam, una cum pane & vino: ubi hæc rite immolata fuerunt, Sacerdos vel alius Nazaræi caput radebat ante fores tabernaculi, crinesque ſacro igni devorandos tradidit, quibus aliisque peractis ceremoniis liber a voto dimiſſus eſt, & Nazaræus eſſe deſiit.

Præterea inter homines Deo devotos vel maxime recenſeri merentur, quos ſpiritu Dei plenos, & numine cœleſti afflatos primum *Videntes* ſeu futura proſpicientes, dein Prophetas dixere Hebræi. *Venite & eamus ad Videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* (q) Pretioſum hoc cœli do-

(q) 1. Reg. C. 9.

donum & prærogativa in electo Dei populo nunquam non viguit. Genealogia Prophetarum hæc eſt: Ut nihil dicam de Adamo ac Noe, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Joſephum multa vaticinia edidiſſe in S. Scriptura legimus: eminebat tamen inter omnes reliquos Moſes: *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael, ſicut Moſes.* (r) Hujus poſtea ſpiritum propheticum velut magnum flumen in rivos diviſit Deus, dum eum ad LXX. Seniores Iſrael tranſtulit: *auferens de ſpiritu, qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta Viris. cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetarunt, nec ultra ceſſarunt.* (s) Poſt hos ſurrexit Debora Prophetis, & Samuel, quo velut patre ac magiſtro integrum Prophetarum agmen prodiit, uti legitur in libro primo Regum. (t) Nunquam autem plures viſi ſunt, quam poſt Eliam & Eliſæum ad captivitatem uſque babylonicam. Hi vitam ducebant ſeparati ab humano conſortio, & patrum ſuorum Eliæ ac Eliſæi exemplo ut plurimum in montibus habitabant, præſertim in Carmelo & Galgala, circa quorum fines centum facile Prophetæ tum tem-

(r) *Deuter.* 34. (s) *Numer.* II.
(t) *C.* 10. & 19.

temporis numerabantur. Veſtis eorum erat ſaccus ſeu *cilicium* cum cingulo: paupertas ſumma: victus labore manuum comparatus: interea jugi legis divinæ meditationi fuere intenti, orationibus, ac virtutum ſtudio. Hi multa revelabant abſcondita, præcipue de Eccleſia militante, de adventu Meſſiæ, ejusque regno. Sæpius e ſolitudine ſua egreſſi ad populum inſtruendum, congregabant illum Sabbatis & feſtis diebus: increpabant libere ſcelera, ut ne Regibus quidem parcerent, & venturas calamitates prædicebant, Deo ipſis tanquam iræ ſuæ fecialibus utente. Neque defuerunt Prophetæ ſub ipſa ſervitute babylonica, quemadmodum Jeremias, Ezechiel, Abdias, Daniel; immo nec poſt illam uſque ad Malachiam, a quo poſtmodum uſque ad Joannem Baptiſtam, quem prior ſurrecturum prædixerat, nullus magni nominis Propheta in populo Hæbræorum eſt inventus. Prophetandi ratio duplex in S. Scriptura occurrit. Prima fuit per oraculum, quum ſcilicet populus de graviore negotio Deum conſulere cupiebat. Tum enim Pontifices ac Duces ad *Propitiatorium* Arcæ fœderis accedebant, ſacrificiis Deum honorantes. Nec defuit propitium Numen: reſpondit per Moſen,

Jo-

Joſue, Samuelem, &c. qui mente cœleſti lumine illuſtrata, excitataque voluntate, quæ ſpiritus Dei ſuggeſſerat, palam edixere. Altera fuit, quando Deus extra oraculum conſultus, vel ſponte ſua nunc per Prophetas, nunc per Sacerdotes, nunc per ſomnia voluntatis ſuæ arcana prodidit. Satis clare hoc nobis innuit Scriptura, dum de Saule Philiſtæorum caſtra expaveſcente dicit: *Conſuluit Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* (u) Atque ex his patet, Deum variis modis in veteri Lege aut futura ſignificaſſe, aut abdita revelaſſe: nimirum vel conceptis verbis, ſicut Moſi in rubo ardente, & in monte Sinai: vel per oraculum, ut Aaroni, & Sacerdotibus: vel per quietem, & nocturnas quas vocant viſiones, uti Jacobo, Salomoni, aliisque Prophetis: vel etiam certis imaginibus abſque ſenſuum adminiculo objectis, ut S. Petro plena meridie in extaſin, & D. Paullo in tertium cœlum rapto.

Poſtremum divino cultui deſtinatorum hominum ordinem conſtituerunt Scribæ, di-

(u) 1. *Reg. C.* 28.

dicti etiam Judices & Doctores. Horum munus erat, Dei legem interpretari, ad quod nonniſi longo ſtudio eruditi admittebantur. Origo eorum hæc fuit: Moſes, quæ tum ad Dei cultum, tum ad mores pertinebant, alia voce viva populo tradidit, alia ſcripto conſignavit. Primi generis *Traditiones*, ſecundi *Leges* adpellari conſueverunt. Ea vero, quæ Moſes voce docuit, primum cum Joſue communicabat, Joſue poſtea cum Senioribus, hi cum Prophetis, & Prophetæ demum cum Scribis, ut calamo exciperent, populo pluribus exponenda. Ita Esdras ſingulari elogio (x) *Scriba velox in lege Moyſis* commendatur. Hi igitur quavis hebdomada ſemel legem interpretari debebant, ut Joſephus (y) teſtatur: „ Legislator, „ ait, non ſemel legem ſuos audire vo„ luit, ſed in unaquaque ſeptimana alia „ opera relinquentes ad legem audien„ dam congregari, eamque perfecte di„ ſcere. „ Non minus Philo: (z) „ Mo„ ris fuit, inquit, Sabbatis operam dare „ Philoſophiæ, principe (*Scribarum*) an„ tecedente ac docente, quæ opus facto „ ac dicto eſſent, reliquis audientibus; „ ex

(x) *Esdræ* 1. *Cap.* 7.
(y) *L.* 7. *adverſus Appionem.*
(z) *L.* 3. *de vita Moſis.*

„ ex quo nunc etiam philoſophantur Sab-„ batis patrio more: nam oratoria in ci-„ vitatibus ſcholæ ſunt omnium virtu-„ tum, quibus divina humanaque intel-„ liguntur, & corriguntur. „ Itaque officium Scribarum duplex erat, nempe ut & verba legis coram populi concione diſtincte recitarent, & ſi qua interpretatione opus eſſet, exponerent pluribus. Unde Doctores a docendo, & Judices a dijudicando genuinum legis ſenſum dicti ſunt. Locus ad functiones has deſtinatus erat templum, & ſynagoga: in templo id fiebat ſolemnioribus feſtis, interrogando reſpondendo, ac diſputando: in ſynagogis vero ſingulis, ut dictum eſt, ſeptimanis, interpretando & verba legis ruminando.

§. IV.

Res Militaris Hebræorum.

XVIII.

Militiæ Hebraicæ præſtantia.

Rem bellicam apud Hebræos optime conſtitutam fuiſſe non facile quis inficias ibit, qui negotio huic intentus S. Scripturam diligentius evolvit. Quippe

F 5

bella illorum & multitudine & virtute militum, & Ducum excellentia, & hoſtium deviſtorum copia, & rerum geſtarum, victoriarumque magnitudine omnibus aliarum gentium, etiam Græcorum & Romanorum bellis ſunt anteferenda. Duo autem bellorum genera heic diſtinguere oportet. Quædam enim ſupremi Numinis juſſu gerebant adverſus hoſtes, vel qui tranſitum in terram promiſſam contra fas negabant, vel quos ob grandia ſcelera iræ ſuæ victimas Deus deſtinavit. His, quales Chananæi, Amalecitæ, &c. fuerunt, nequaquam parcere, ſed ferro & igne exterminare illos, ac penitus excindere jubebantur Hebræi; quæ res crudelitatis ſpeciem aliquam præbere potuiſſet, niſi Deo jubente, & arcano ejus conſilio id factum eſſet. Atque hoc erat familiari Scripturæ phraſi: *præliare prælia Domini.* Nempe in his ipſe *Dominus Exercituum* adfuit auxilio, proſperumque ſemper ſucceſſum præbuit, factis etiam prodigiis. Sic Moſe in monte orante, quamdiu manus levabat, vincebat Iſrael: ſi paullulum remiſit, vincebat Amalec, donec tandem hoſtilis exercitus ad internecionem deletus fuerit. Sic Joſue pugnante jubenteque Sol & Luna ſtetit, uſque dum victoria compleretur.

Sic

Sic egreſſis in aciem Hebræis *conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* (a) Sic dejecti expugnatique ſolo tubarum ſonitu muri Jerichuntini. (b) Erat tunc ſane perpetua victoriarum ſeries, & palmæ velut in manibus Hebræorum creſcebant.

Alia bella ſeu Regum arbitrio, ſeu populi voluntate ſuſcepta fuerunt, quorum varia ſors. Quippe ſæpius victores ex acie regreſſi ſunt, adjuvante fortitudinem belli juſtitia cauſſæ; ſæpe ingentem paſſi ſunt cladem, incumbente cervicibus eorum vindicta criminum, ita ut etiam everſis urbibus & Hieroſolymæ expugnata in duram longamque captivitatem fuerint abſtracti. Juvat brevem bellorum hujus populi catalogum texere, ut intelligatur, quanta & Ducum Hebræorum ſcientia militaris, & militum robur ac fortitudo fuerit, ut tantam molem & varietatem bellorum tanto tempore ſuſtinerent. Primum Hebræi, quum per Arabiam tranſirent Duce Moſe, cum ipſis regionum harum incolis Amalecitis, Moabitis, atque vicinis Regibus manus conſeruerunt adeo feliciter, ut iis omni ex-

(a) *Exodi* 15. (b) *Joſue* 6.

ex parte cæſis fugatisque inoffenſo poſtmodum pede Jordanem tranſmiſerint. Superato Jordane cum Amorrhæis, Chananæis, Jebuſæis, &c. qui terram a Deo Hebræis promiſſam incoluere, pluribus pertinaciſſimisque præliis conflixerunt, ac tandem deviĉtis illis vaſtiſſimam regionem totam ſorte diviſerunt: Neque tamen bellorum finis. Continuo præliandum erat cum finitimis Regibus Madianitarum, Moabitarum, præcipue autem cum Philiſtæis, juratis Hebræorum hoſtibus. David tandem Jebuſæis, Moabitis, Ammonitis, & Philiſtæis quater profligatis pacatum undique imperium Salomoni filio reliquit. Non diu poſt diviſo regno varia bella civilia inter Reges Juda & Iſrael interceſſerant cum maximo reipublicæ damno. Quando enim Reges cum populo Domini jugum excuſſerant, abjecta veluti cura nec Deus eorum amplius armis adſtitit, ſed gentibus debellandos tradidit, & in ſervitutem miſeram abſtrahendos. Surrexere tamen Machabæi Viri fortiſſimi, qui rem collapſam magnis victoriis aliquamdiu ſuſtinebant. Denique tribus bellis peſſumdatum eſt regnum: uno quod intulit Cneus Pompejus, qui Urbem cepit: altero C. Soſii, qui Ariſtobulo civitate pulſo Herodem ſuffecit:

it: tertio & poſtremo, quo Titus Cæſar verſa Solyma finem regno impoſuit. Hæc de re bellica Hebræorum univerſe dicta ſufficiant. Nunc ad ſingularia deſcendendum.

XIX.

Milites & Duces.

Exercitus Hebræorum, uti apud alias nationes, ex Ducibus & militibus conſtabat. Hi non *conduci* dicebantur, ſed *eligi*, quum ante Davidis tempora propriis, non Principis impenſis ad ſigna convenirent, habito ſolum delectu: immo morem ſtipendia ſolvendi militibus primum a Joanne Hircano introductum fuiſſe memorat Joſephus. (c) Non raro univerſus populus arma capere jubebatur, quemadmodum in bello cum Sehon Rege Amorrhæorum, & Og Rege Baſan (d) item in obſidione urbis Jericho. (e) Quandoque nonniſi cum ſelectiſſimis quibusque expeditio bellica ſuſcipiebatur, uti a Joſue contra Amalecitas (f) & adverſus Hai cum tribus militum millibus. (g) Convocati autem urgente periculo cuncti e ſin-

(c) *Antiq. L.* 13. *C.* 16. (d) *Numer.* 21.
(e) *Joſue* 7. (f) *Exod.* 17.
(g) *Num.* 31.

ſingulis tribubus comparere debebant a viginti & amplius annis, ſeveriſſima in eos, qui venire detrectarent, pœna ſtatuta. Certe de Saule legimus, quod ſub initium regni ſui, dum arandæ glebæ operam daret, certior factus de irruptione Ammonitarum, e veſtigio diſſecti bovis, quem tunc agebat, partes circumquaque in omnem regionem miſerit, edicens: *Quicunque non exierit, ſic fiet bobus ejus.* (h) Nec opus erat apud Viros ſtrenuiſſimos vi ac metu, qui ſemper pro patria & religione non ſolum pugnare, ſed & mortem oppetere parati erant. Unde Tacitus (i) elegans hoc teſtimonium Hebrææ genti præbuit: *Animas præliis peremptorum æternas putant; hinc generandi amor, & moriendi contemtus.* Deſertis itaque laribus uxores filiosque tanquam obſides fidei ſuæ reliquerunt aut redituri victores, aut glorioſa morte occubituri. Primis temporibus exercitus nonniſi pedites numerabat, ſub Regibus dein etiam equites, comparatis e regionum aliarum vicinia equis, præſertim ex Ægypto. Salomon quadraginta equorum, & curruum equitumque duodecim millia habuiſſe legitur. (k) Et ſane Reges exercitus in aciem

(h) 1. *Reg.* 11. (i) *Hiſtor. L.* 6.
(k) 2. *Paralip.* 9.

ciem educebant copioſiſſimos, ut in po-
ulo non adeo latis Aſiæ finibus habitan-
e res fidem ſuperaret, niſi S. Scriptura
eſtis accederet omni exceptione major.
)avid Rex duodecim turmas, quarum
uævis viginti quatuor millia conficiebat,
ıb ſignis habuit: Salomon ultra trecenta
ıillia. (l) Abia Rex Juda exercitum
onflavit quadringentis virorum millibus
ıſtructum adverſus Jeroboamum Iſraelis
legem, ſibi cum octingentis millibus oc-
urrentem, qui in prælio commiſſo quin-
enta millia e ſuis militibus cæſa fugata-
ue deſideravit. (m) At Joſaphat, qui
ec tertiam Davidici regni partem occu-
abat, numeravit undecim ſupra ſexagin-
a millia Virorum ad bellum aptorum
aratorumque: *hi omnes erant ad ma-
num Regis, exceptis aliis, quos poſuerat
n urbibus muratis, in univerſo Juda.*
n)

Quid de Ducibus commemorem? di-
erſi horum Ordines fuere. Omnium
upremus belli Dux apud Hebræos meri-
o dici poterat ipſe Deus, quamdiu in
jus obſequio & fidè iſti permanſerunt,
ec bella proprio geſſerant arbitrio. Hu-
jus

(l) 1. *Paralip.* 27. (m) 2. *Paralip.* 13.
(n) 2. *Paralip.* 17.

jus enim nutu in aciem prodibant, hujus imperio freti pugnabant, hujus Numine vincebant: *Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* (o) Quæ gentes debellandæ, quæ delendæ, quibus parcendum, a Deo diſcebant. Ipſa fœderis Arca, qua nihil religioſius erat Hebræo populo, tanquam Dei præſentis ſymbolum in mediis caſtris inter immanes tubarum clangores a Sacerdotibus excitatos collocata fuit, ubi periculum grandius & præſentius præ foribus eſſe videbatur. Unde non aliud in bellis nomen Deo inditum legimus, quam *Deus exercituum*, & ipſe Moſes, quas ſub ſignis habebat, copias *exercitum Domini* nuncupabat, ita ut illarum Imperator nonniſi Dei vices gerere cenſeretur. Hic autem idem fuit in acie, qui Dux, Rex, vel Princeps in republica habebatur. A Joſue uſque ad Reges populus eligebat Duces belli, vel Deus oſtento aliquo, quem vellet, deſignabat, uti Othonielem, Barac, & Gedeonem. Ubi regium nomen & poteſtas introducta fuit, ipſi Reges tanquam ſupremi Duces in bella proceſſerant. Hoc enim proprium munus illorum erat veluti ex pacto. Nam ubi Regem a

Deo

(o) *Deuter*, 20.

Deo ſibi petiit populus: *judicabit*, inquiebat, *nos rex noſter & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* (p) Saul & David ſine equis & curribus in acie comparuiſſe videntur, & inter alios milites manus cum hoſte conſeruiſſe, quamvis ſelecta fortium quorundam virorum (pueros Regis Scriptura S. vocat) turma ſtipati, & regiis inſignibus ſpectabiles. Nam Amalecita ille occiſo Saule armillam & baltheum ejusdem ad Davidem detulit, ſignum ſimul & ſpolium defuncti Regis. Poſteriori ævo Reges Juda & Iſrael regio cultu induti ſublimes de curru pugnaſſe leguntur, ſequente alio curru vacuo, qui primo forte confracto ſuccederet, aut Regem vulneratum exciperet. (q) Poſt Regem primum locum & ſummam in caſtris poteſtatem habuit *Princeps militiæ*, qualis fuit ſub Saule Abner, ſub Davide Joab & Amaſa, ſub Salomone Banaja. Magnam hujus Principis etiam extra bellum in Aula Regis potentiam fuiſſe colligitur ex Eliſæi ad Viduam verbis: (r) *Habes negotium, & vis ut loquar Regi ſive Prin-*

(p) 1. *Reg.* 8. (q) 2. *Paralip.* 35.
(r) 4. *Reg.* 4.

Principi militiæ? Præter hunc in exercitu eminebant Chiliarchæ, ſeu Tribuni mille militibus præfecti, Centuriones, Quinquagenarii, Tertiani, ac tandem Decuriones, quorum munera unum altero inferiora fuerunt. Erant enim copiæ univerſæ in Tribus diſtinctæ: Tribus vero diverſis cohortibus, quarum quævis mille milites complectebatur, conſtabant ſecundum familiarum & urbium dignitatem. Cohortes parebant Tribuno ex eadem familia vel urbe lecto: manus autem militum dicebatur, quæ quinquaginta viros numerabat. His adjungendi ſunt Præfecti militares, quos vocabant *Præſides Templi*, & *Præfectos exercitus Templi*, qui præerant tum templi, tum turris Antoniæ, templo junctæ, præſidio: primum Judas Machabæus, alterum illius poſteri impoſuere. *Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, ſicut antea fecerunt; & collocavit ibi* (Judas) *exercitum, ut ſervarent eum.* (s)

XX.

(s) I. *Machab.* 4.

XX.

Arma & Signa militaria.

Armorum uſum Hebræis fuiſſe primis
atim temporibus, teſtatur S. Scriptura,
um (t) Iſaac Patriarcha ad filium Eſau
ixit: *Sume arma, & pharetram, & ar-*
um. (u) *Et armati aſcenderunt filii*
ſrael. (x) *Armatè,* inquit, *ex vobis vi-*
os. (y) *Profecti ſunt de cognatione*
)an, ſexcenti viri ſuccincti armis belli-
is. Et vero belli tempore Hebræi om-
es, etiam Sacerdotes & Levitæ, cum
rmis proceſſere, extra quod ne gladium
uidem geſtabant. Quænam vero fue-
int arma illa præter enſem & ſagittas,
ix conſtat: quivis enim ſibimet ipſi de
rmis providebat, necdum conſtitutis pu-
licis armamentariis. Hinc facile potuit
ontingere, ut quidquid primum in ma-
ıus veniebat, arriperent, & in hoſtem
tringerent. Ita legimus: (z) *Samgar*
'lius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim
:xcentos viros vomere: & ipſe quoque
'efendit Iſrael. Ita Samſon modo aſini
man-

(t) *Geneſ.* 27. (u) *Exod.* 13.
(x) *Numer.* 20. (y) *Judic.* 18.
(z) *Judic.* 3.

mandibula, modo clava eosdem Philiſtæos bene multos trucidavit. At Regum tempore armis fere iisdem, quibus Græci & Romani, inſtructi fuiſſe videntur, ac probe in illis exercitati. Inprimis arcu & funda plurimum valebant, quemadmodum Jonathæ peritiam commendat David (a) *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorſum*, id eſt, ictu certo avolabat ex arcu. Et David ipſe immanem Goliath, cui vincendo nemo par inveniebatur, lapide e funda miſſo ſtravit. Enſem femori adplicatum gerebant: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum*, (b) & ſuſpenſum e cingulo militari ſeu baltheo, qui non ab humeris ad pectus defluebat, ſed renes tantummodo ſtrinxit. Quippe Nehemias illis, quos exſtruendis Hieroſolymæ muris adhibuit, edixit *ut gladio ſuccinctos renes habeant*. (c) Baltheus hic militaris quoque honoris ſignum & fortitudinis præmium erat: *Si vidiſti*, ait Joab ad virum, qui Abſolonem ex arbore ſuſpenſum invenit, *ſi vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum baltheum.* (d) Non minus haſtis, ſpiculis, & lanceis pugnabant, qua-

(a) 2. *Reg. C.* 1. (b) *Exodi* 32.
(c) 2. *Eſdræ* 4. (d) 2. *Reg.* 18.

uarum ſæpe plures uno ictu in hoſtem
ɔrquebant, ut Joab Davidis bellidux
:ibus Abſolonem trajecit. (e) Nec de-
ıerunt ſcuta ſeu clypei e ligno vel co-
o, adjecta metalli lamina obducti. De
iris illis fortiſſimis, qui Davidem ſeque-
antur, Scriptura dicit: *Pugnatores opti-
ıi, tenentes clypeum & haſtam: facies
ɔrum quaſi facies leonis, & veloces quaſi
ıpreæ in montibus.* (f) Galea quoque
: lorica tecti in acie comparuerunt:
ialeæ quidem æreæ fuerunt, uti Regis
aulis: Loricæ vero ex laminis ferreis
ıſtar ſquammarum, vel minutis e ferro
ınulis inter ſe junctis connexæ. *Induit
aul David veſtimentis ſuis, & impoſuit
ıleam æream ſuper caput ejus, & veſti-
it eum lorica.* (g) Omnem hunc ar-
ıorum adparatum ſimul ſub oculos po-
it S. Scriptura, dum (h) de Ozia Re-
: meminit: *Præparavit quoque eis Ozias,
l eſt, cuncto exercitui* (trecentorum &
ptem millium quingentorum militum)
*ypeos, & haſtas, & galeas, & lo-
cas, arcusque, & fundas ad jaciendos
pides.* Ut autem ſemper in promtu
ſent hæc martis inſtrumenta, cœpe-
runt

(e) 2. *Reg.* 18. (f) 1. *Paralip.* 12.
(g) 1. *Reg.* 16. (h) *L.* 2. *Paralip.* 26.

runt exſtrui ſub Regibus armamentaria publica, omnis generis hujus ſupellectile inſtructiſſima. David maximam armorum copiam tum hoſtibus ereptam, tum in regno ſuo fabricatam Tabernaculo intulit; & ſummus Sacerdos Jojada ea ipſa die, qua Joas in Regem aſſumtus eſt, e Templi theſauro tot arma depromſit, quot exercitui iis inſtruendo ſufficerent. Neque ſplendor aberat a bellico terrore iſto. Nam de Salomone legimus, (i) quod in palatio ſaltus Libani aulam ampliſſimam conſtruxerit, armis refertam, inter quæ, ut de reliquis taceam, trecenti clypei, & ducentæ haſtæ aureis laminis veſtitæ amœnum intuentibus ſpectaculum præbuere, quem tamen magnificum adparatum una dies peſſumdedit, quando Roboam ſucceſſor infelici exitu cum Seſac Ægypti Rege conflixit, quamvis jacturam hanc ſubſtitutis totidem æneis armis utcunque reparaverit.

De ſignis militaribus aliud in S. Scriptura veſtigium non occurrit, niſi quod (k) jubente Deo *ſinguli per turmas, ſigna atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtra metati fuerint filii Iſrael per gy-*

(i) 3. *Reg.* 10. (k) *Numer. C.* 2.

gyrum tabernaculi fœderis. Et (1) quod Joſue urbem Hai expugnaturus haſtæ apici clypeum ſuum præfixerit, conſpicuum militibus aggreſſionis ſignum. Hebræi tamen Scriptores, quænam hæc ſigna & vexilla fuerint, latius explicant hac ratione: Singulis tribubus, ajunt, ſua erant, quibus diſtinguebantur, inſignia. In acie autem ternæ communi vexillo, ſub quo militarent, utebantur: Juda, Iſſachar, Zabulon leunculum præferebant cum lemmate: *Exurge Deus, & diſſipentur inimici tui.* Ruben, Simeon, Gad cervum addita inſcriptione: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus ſolus eſt.* Ephraim, Manaſſe, & Beniamin puerum opere phrygio pictum adſcriptis hiſce verbis: *Deus in columna nubis præcedebat eos per diem.* Demum Dan, Aſer, Nephtali Aquilam ſublimem portabant cum epigraphe: *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.*

XXI.

Caſtra & Diſciplina militaris.

Caſtrorum ordo, quem dictante Deo præſcripſit Moſes, in tanta populi multitu-

(1) *Joſue C.* 8.

tudine profecto admirabilis fuit, & violari neſcius; idemque ſemper, etſi per diverſiſſimas regiones, & per medios hoſtes ex omni parte occurrentes iter inſtituendum eſſet. Hunc nos docet S. Scriptura: (m) Tabernaculum cum Arca fœderis medium in caſtris locum occupabat, eratque veluti centrum, circa quod hinc & inde diſpoſita erant tentoria Levitarum, tanquam militum prætorianorum, e quibus eminebat Tabernaculi oſtio proximum ſupremi Ducis. Tum Orientem verſus conſedere tribus Juda cum Principibus ſuis, & viris bellatoribus 74600: tribus Iſſachar cum Principibus & 54400: tribus Zabulon cum Principibus, & 57400. Meridionalem plagam occuparunt tribus Ruben cum Principibus ſuis, & 46500: tribus Simeon cum Principibus & 59300: tribus Gad cum Principibus, & 45650. Verſus Occidentem ſedem fixerunt tribus Ephraim cum Principibus ſuis, & 40500: tribus Manaſſe cum Principibus, & 32200: tribus Beniamin cum Principibus, & 35400. Denique qua Aquilonem ſpectabant caſtra, poſuerunt tentoria ſua tribus Dan cum Principibus ſuis, & 62700: tribus Aſar cum Principibus, & 41500: tri-

(m) *Numer.* 2.

:ibus Nephtali cum Principibus, & 53400.
'idemus heic grandem ſane exercitum, rpote qui univerſe ſolos viros, quos S. criptura *Pugnatores*, id eſt, ad pugnanum aptos & paratos vocat, 603550, :xcenta tria millia quingentos & quinuaginta numeravit, non computatis Leitis, & ad ſarcinas remanentibus ſenius, fœminis, pueris, aliisque ad miniteria quotidiana neceſſariis. Tentoria utem Hebræorum, ſicut apud alias genes mos invaluit, e pellibus per funes & lavos tenſis confecta fuere, ut ex Iſaia ntelligimus (n) dicente ad Iſraelem: *)ilata locum tentorii tui, & pelles taberaculorum extende, longos fac funiculos uos, & clavos tuos conſolida.* Idem oro, qui in caſtris metandis, etiam in rofectione ac itinere militari ſervabatur. \d id tubis datum eſt ſignum: *Fac tibi uas tubas*, ait Dominus ad Moſen (o) *rgenteas ductiles, quibus convocare poſſis ultitudinem, quando movenda ſunt cara; cumque increpueris tubis, congregaitur ad te omnis turba ad oſtium taberaculi fœderis: ſi ſemel clangueris, venient ad te Principes & capita multitudinis Iſrael: ſi autem prolixior ac conci-* *ſior*

(n) *C.* 54. (o) *Numer.* 10.

ſior clangor increpuerit, movebunt caſtra primi, qui ſunt ad orientalem plagam; in ſecundo autem ſonitu, & pari ululatu tubæ levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem. Et juxta hunc morem reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. Percepto itaque tubarum ſonitu confeſtim collecta ſunt vaſa cum tabernaculo, onerata plauſtra, iter inſtitutum, ita ut ſingulæ tribus deſignatum prius ordinem relictis intervallis tenerent, ne qua turma alteri foret impedimento. Ultimæ inceſſerunt tribus Dan, Aſer, & Nephtali, quarum erat imbellem turbam & impedimenta protegere.

XXII.

Diſciplinam militarem, ſeu leges exercitui tum in præliis tum in obſidionibus jubente Deo per Moſen præſcriptas exponit S. Scriptura in Deuteronomio, (p) quarum ſynopſis hæc eſt. I. Ne timore percellantur Hebræi, ſi conſpexerint hoſtium copias numero longe ſuperiores, eorum equitatus & currus ad terrorem incutiendum paratos, *quia Dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Ægypti.* II. Quum ad prælium ventum fuerit, Sacerdos ante aciem conſpicuus ſta-

(p) Cap. 20.

ſtabit, & populum his verbis adhortabitur: *Audi Iſrael: vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* III. Ante pugnam Duces per ſingulas exercitus turmas circumibunt, & audientibus omnibus proclamabunt, ut diſcedant ab exercitu, & revertantur, qui novam domum ſtruxerunt, necdum dedicatam: aut qui vineam plantarunt, necdum ad communem uſum excultam: vel qui ſponſam duxerunt, necdum in uxorem adſumtam, ne forte moriatur in bello, & alius occupet opus, quod inchoavit. Item qui corde pavido eſt, *ne pavere faciat corda fratrum ſuorum.* IV. Quum finem loquendi fecerint Duces, reliqui inferiores Præfecti quisque ſuas ad ſtrenue pugnandum cohortes animabit, & expeditas habebit. V. Si ad urbem expugnandam egredientur, primum pacis conſilia ſuggerantur hoſti, qui ſi portas ſponte aperuerit, nemini incolarum injuria vel mors inferatur: ſolummodo imponatur tributum. VI. Si deditionem renuerit, & armis oppoſuerit arma, expugnata urbe *percutie-*

tur

tur omne, quod in ea maſculini generis eſt, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris, quæ in civitate ſunt. VII. Præda omnis diſtribuatur inter milites, ut de ſpoliis hoſtium laboris ſui præmium ferant. VIII. Id ipſum faciant cum reliquis civitatibus procul diſſitis, & iis, quas Deus ad habitandum Hebræis non aſſignavit: in illis vero, quas concedet habitandas, nulli omnino hominum parcatur, ſed omnis populus internecione delebitur, ne ſeducant Hebræos conſortio ſuo, & ad idololatriam pelliciant. IX. Obſidione facta & munitionibus per circuitum inſtructis non liceat ſuccidere arbores fructiferas, & ſecuribus ſylvas vaſtare: *quia lignum eſt, non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.* X. Si quæ autem arbores agreſtes ſint, & ſteriles, ſuccidantur, & in alios convertantur uſus, nempe ad machinas fabricandas, donec civitas in poteſtatem redigatur. Neque ſolum hæ belli leges, ſed etiam illæ, quæ ad religionem ſpectabant, ipſo in bello ab Hebræis ſancte ſervabantur. Quippe ne Sabbatum violarent, non raro in itinere ſubſtiterunt, nec oblatis victoriæ occaſionibus uti audebant: quin quod Jo-

ſe-

phus (q) ſcribit, Ptolomæus Lagi, quum Jeroſolymam infeſtaret ipſa feſta Sabbati die, nullo mœnia conſcendere, ac vim vi repellere auſo eam cepit. Non modicam quoque cladem paſſi ſunt Machabæi ab hoſte in montibus intercepti. *Moriamur*, inquiebant, (r) *moriamur omnes in ſimplicitate noſtra, & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quod injuſte perditis nos. Et intulerunt illi* (nempe hoſtes) *bellum Sabbatis, & mortui ſunt ipſi, & uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum uſque ad mille animas hominum.* Quod factum forte religioſius, quam prudentius dici poterat: ſtatuerunt enim poſt hanc ſtragem Machabæi coacto conſilio, non quidem aggreſſuros ſe deinceps hoſtem ejusmodi feſto die; ſi tamen ſe defendendi neceſſitas inſtaret, vim vi repulſuros.

XXIII.

Prælia, Obſidiones, & Victoria.

Quod jus gentium præcipit, ut priusquam bellum adverſæ parti inferatur, hoc per feciales indicetur, aut ut pro injuria ſatisfiat, poſtuletur, id ipſum quoque Moſes Hebræis mandavit, ut non antea infeſtis ſignis in hoſtem moverent, prius-

(q) *Antiq. L.* 12. (r) 1. *Machab.* 2.

priusquam pacis conditiones propoſuiſſent. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* (s) De Chananææ incolis quidem tale exemplum non exſtat: tradidit enim Deus populos iſtos idololatras, ob ingentia illorum ſcelera pridem anathemate percuſſos in manus Hebræorum, ut eos ſtirpitus excinderent. At Jephte Dux Iſraelitarum, quum Ammonitæ illorum terminos infeſtarent, cum exercitu egreſſus miſit, qui nunciaret hoſti: *Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam!* iis vero non ſine calumnia reponentibus, hanc ſuam eſſe, malaque fide ab Iſraelitis poſſideri, pacemque oblatam repudiantibus Jephte reſpondit: *Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſrael & filios Ammon*, datoque ſigno in hoſtes irruit, multisque occiſis reliquos in fugam dedit. (t) Hoc belli indicti exemplum: aliud pacis obtentæ. Nam quum Philiſtæi combuſtas a Samſone ſegetes ulturi hoſtiliter Judæam invaderent, Tribus hæc legatos miſerat, interrogantes, *cur aſcenditis adverſus nos?* (u) expoſita a Philiſtæis cauſſa, dataque viciſſim a Legatis fide

(s) Deuter. 20. (t) Judic. 11.
(u) Judic. 15.

pe de Samſone tradendo tanquam damni auctore, illi innoxii domum reverſi ſunt.

Jam vero decreto prælio acies ordinata fuit: qua vero ratione id factum ſit, vix alicubi diſtincte prodit S. Scriptura, licet tot pugnas & clades paſſim recenſeat. Ex modo loquendi *inſtruere aciem, dirigere aciem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, colligere licet, ordinem quemcunque demum in præliis ſervatum fuiſſe: & quidem turmas in cuneos formatas legimus: (x) *Cumque ſiluerint Duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.* Cuneus autem in militia, ut Vegetius docet (y) dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primo anguſtior, dein latior ſemper procedit, & adverſariorum ordines rumpit; quin a pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem milites vocant *caput porcinum.* Morem quoque dividendi exercitus in dextrum & ſiniſtrum cornu apud Hebræos fuiſſe conſtat ex pugna Judæ Machabæi, fortiſſimi Principis, cum Bacchide & Alcimo inita: *Et movit exercitus eorum* (id eſt, Hebræorum) *de caſtris, & ſteterunt illis obviam, & diviſi ſunt equites in duas partes,*

(x) *Deuter.* 20. (y) *L.* 3. *C.* 9.

tes, & fundibularii & ſagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes. (z) Quumque animadvertiſſet Judas Bacchidis dextrum cornu firmius eſſe ſiniſtro, hoc cum fortiſſima ſuorum manu aggreſſus fudit, & uſque ad montem Azoti perſecutus eſt. At hoſtes videntes, *qui in ſiniſtro cornu* Bacchidis *erant, quod contritum eſt dextrum cornu,* a tergo Judam invaſerunt, & *ingravatum eſt prælium, & ceciderunt multi ex his & illis. Et Judas cecidit, & cæteri fugerunt* Non igitur, ut multi crediderunt, ſine ordine, ſine lege, ſine arte congreſſi ſunt Hebræi cum hoſte, ſpectaculo magis ſimili macello, quam juſto prælio. Signum autem ad hoc clangore tubarum dari ſolebat, & quidem a Sacerdotibus, quorum jus & prærogativa hæc fuit: *Filii Aaron Sacerdotes*, ait Moſes (a) *clangent tubis, eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant adverſus vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtra coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.* Hic tubarum ſonitus ſancti aliquid ac religioſi habere videbatur. Nam in obſidio-

(z) 1. *Machab.* 9. (a) *Numer.* 10.

dione urbis Jericho inſonantibus Sacerdotum buccinis muri corruentes aditum in civitatem aperuerunt: in prælio, quod Abia Rex Juda cum Jeroboamo Iſraelis Rege iniit, prioris exercitus jam jam rebus inclinantibus de fuga ſibi proſpiciens ſacrarum buccinarum clangore ita confirmatus fuit, ut hoſtiles poſterioris copias fere ad internecionem deleverit. *Quippe corruerunt vulnerati ex Iſrael quingenta millia virorum fortium.* (b) Quod terribile fatum prædixiſſe illis viſus eſt ante pugnam Rex Abia, ſic eos allocutus: *In exercitu noſtro Dux Deus eſt, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, & reſonant contra vos. Filii Iſrael nolite pugnare contra Dominum.* Dum autem Sacerdotes utebantur buccinis ſeu tubis, Duces cornibus ſignum dabant vel ad colligendas copias, & corripienda arma, vel ad receptui canendum, ut de Gedeone, Saule, Joab, &c. legitur. Speculas quoque in editis turribus, & excelſis montibus adverſus ſubitas irruptiones Hebræi ſtatuere conſueverunt, ubi tubis aut accenſo igne, vel panno aliquo in præalta pertica ſuſpenſo indicium hoſtis advenientis præbebatur, quibus audi-

(b) 2. *Paralip.* 13.

ditis vel viſis omnes ad arma capeſſenda convolarunt. *Si ſpeculator viderit gladium venientem*, ait Ezechiel, (c) *& non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt.* Præcipuus & hoſtium terror & Hebræorum ad fortia certamina ſtimulus erat, ſi Arca fœderis velut in centrum caſtrorum & exercitus a Sacerdotibus adferebatur, tanquam certiſſimum divinæ opis pignus. Hanc Moſes & Joſue in omnibus pugnis præſentem habuere: hujus aſpectu militum animi ad ſtrenue pugnandum confirmati, hoſtes vero in deſperationem acti. Certe Philiſtæi territi exclamabant: *Venit Deus in caſtra: & ingemuerunt, Væ nobis. Quis nos ſalvabit de manu Deorum ſublimium iſtorum?* (d) Cæterum finita pugna, obtentaque victoria ad prædam dividendam converſi ſunt, quæ a ſupremo Belliduce æqua portione inter eos diſtributa fuit, etiam illis in partem venientibus, qui ad ſarcinas remanſerunt. (e) Non tamen ſpolia prius in caſtra inferri poterant, antequam expiarentur: quæ quidem ære aut ferro conſtabant, igne; alia ve-

(c) *C.* 33. (d) 1. *Reg.* 4.
(e) *Deuter.* 31. *&* 1. *Reg.* 30.

vero aquis luſtrabantur. Pretioſior pars totius prædæ Ducibus ac Regibus, quin etiam Sacerdotibus & Numini offerebatur.

XXIV.

Obſidionum ab Hebræis ſuſceptarum non eadem ratio fuit, ſed pro diverſitate temporum diverſa. Moſi præcepit Deus: (f) *Quando obſederis civitatem & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, &c.* Munitiones autem iſtæ, quibus obſeſſæ urbes circumdabantur, erant foſſæ, aggeres, ſudes, ac turres, quibus armati milites impoſiti, quæque machinarum nomine tunc veniebant: *Ligna agreſtia ſuccide, & inſtrue machinas.* (g) His exitus omnis præcludebatur obſeſſis, ſimulque commeatus & copiæ auxiliares intercipiebantur. Itaque cives ad deditionem cogebantur fame, vel obſidentes ſcalis admotis muros ſuperando urbem vi expugnarunt. At Regum tempore cultior erat, ac magis operoſa & urbium muniendarum & obſidendarum methodus. Ita de Roboamo Scriptura dicit: (h) quod civitates munitiſſimas exſtruxe-

(f) *Deuter.* 20. (g) *Ibid.*
(h) 2. *Paralip.* 11.

xerit, quarum quindecim enumerat, additque: *ſed & in ſingulis urbibus fecit armamentaria ſcutorum, & haſtarum, firmavitque eas ſumma diligentia.* De Ozia Rege vero teſtatur (i) *Fecit in Jeruſalem diverſi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent ſagittas & ſaxa grandia.* Atque hic Ozias primus machinarum ejusmodi auctor celebratur, quas ſuperior ætas necdum viderat. Inter has videntur etiam fuiſſe aries, inſtrumentum quatiendis mœniis aptiſſimum: teſtudo e clypeis in pontis formam junctis ad muros ſuperandos: & vinea ad ſubruendas turres, quæ propugnaculorum loco tunc erant; de quibus Ezechiel, dum Tyri obſidionem prophetico afflatus ſpiritu prædixit: *Circumdabit te*, inquiebat, *munitionibus, comportabit aggerem in gyro, & elevabit contra te clypeum, & vineas, & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet.* (k) Plura adhuc ſimilium machinarum, etiam igne fartarum, genera reperire licet Machabæorum ævo, ubi Antiochus Eupator Jeroſolymam obſedit, Machabæis illam ſtrenue defendentibus. *Statuit illuc* (Antiochus) *baliſtas & machinas, & ignis ja-*

(i) *Ibid. C.* 26. (k) *C.* 26.

jacula, & tormenta ad lapides jactandos, & ſpicula, & ſcorpios ad mittendas ſagittas, & fundibula. Fecerunt autem & ipſi (Machabæi) *machinas adverſus machinas eorum, & pugnaverunt dies multos.* (l)

XXV.

De triumphis ac trophæis, quibus victorias ſuas Græci ac Romani neſcio an majori pompa vel faſtu exornarunt, apud Hebræos vix aliquod veſtigium reperitur. Equidem Saul inſigni victoria de Amalecitis reportata elatus triumphalem arcum in Carmelo ſibimetipſi erexiſſe legitur, (m) ac ſolemne feſtum celebraſſe immolatis ex omni præda hoſtiis: *Nunciatum eſt Samueli, quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem.* Sed ob hoc ipſum factum graviter a Propheta reprehenſus eſt. Jephte Patri, Ammonitarum Domitori, triumphum aliquem inſtruxiſſe videtur Filia, quæ cum tympanis & choris feſtivas inter acclamationes reduci e prælio Victori obviam ivit. Sed omnis hæc lætitia in luctum abiit, & filiæ in victimam voto deſtinatæ lugubri ſacrificio funeſtata fuit. Majorem triumphi ſpeciem præ-

(l) 1. *Machab.* 6. (m) 1. *Reg.* 15.

præbuit Davidis poſt Goliathum devictum ingreſſus in urbem Solymæam. Nam toto exercitu & populo commitante, ipſoque Saule Rege latus victoris ſtipante David abſciſſum Gigantis caput manu præferens, palamque omnibus oſtentans inceſſit, Comitibus arma Goliathi in morem trophæi portantibus: *Aſſumens autem David caput Philiſtæi attulit illud in Jeruſalem.* (n) Ita ovantem effuſæ per portas mulieres ex omnibus Iſraelis civitatibus cum tympanis & ſiſtris inter cantus & choros exceperunt, & lætum pæana intonabant: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Sed caro ſtetit hic qualiscunque triumphus Davidi, dum odium Saulis ei peperit, nonniſi cæde illius extinguendum, ſi non ſingulari Numinis providentia fuiſſet ſervatus. Potior itaque Hebræorum, utpote populi religioſiſſimi, cura fuit, ut poſt victorias de hoſtibus relatas ſupremo exercituum Domino debitas ac ſolemnes gratias referrent. Præivit Moſes exemplo. Nam fugatis deletisque Amalecitis ad perpetuam rei memoriam exſtruxit aram, ac Domino dedicavit, adjecto lemmate: *Dominus exaltatio mea.* (o) Cantica quoque ſacra compoſuerunt, quæ populi to-

(n) 1. *Reg.* 17. (o) *Exod.* 17.

totius voce inter clangentes Sacerdotum tubas, & omnis generis muſica inſtrumenta ſolemniter decantabant, Dei laudem, & facti memoriam continentia. Tale eſt Canticum Moſis & filiorum Iſrael ſubmerſo Pharaone, ejusque exercitu: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem dejecit in mare.* &c. (p) Tale etiam fuit Debboræ & Barac poſt victoriam de Siſara, exercitus Regis Jabin Principe: *Audite Reges, percipite Principes: Ego ſum, ego ſum, quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael,* &c. (q) Non minus arma cæſorum hoſtium, ſpolia, & prædas ditiſſimas Numini tanquam trophæa conſecrarunt, ſuſpendentes in Tabernaculo vel Templo. Ita Goliathi gladium & arma in Tabernaculo appendit David: & (r) in libro primo Paralipomenon legimus, conſtitutos fuiſſe e tribuum Principibus cuſtodes Templi, quorum curæ fuerunt commiſſi *theſauri ſanctorum, quæ ſanctificavit David Rex; & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & Duces exercitus de bellis & manubiis præliorum, quæ conſervaverant*

(p) *Exodi* 15. (q) *Judic.* 5.
(r) *C.* 6.

rant ad inſtaurationem & ſupellectilem Templi Domini. Hæc de re militari Hebræorum.

§. V.

Feſta Hebræorum.

XXVI.

Feſta Paſchæ, Pentecoſtes, Tabernaculorum.

Ad ſacra iterum tranſeamus, quibus adnumerari merentur dies Feſti, quos agebant Hebræi non ritu aliarum gentium, apud quas variis ludis, ſaltibus, certaminibus, & conviviis ejusmodi Feſta polluebantur potius, quam colebantur; ſed religioſis & majeſtate plenis ceremoniis. Ex his alii, & potiores a Deo, alii iique pauci ab hominibus inſtituti fuere. A Deo quidem *Paſcha cum Azymis, Pentecoſte cum Primitiis, Tubæ, Expiationes, Tabernacula cum collectis, Sabbatum, Annus Sabbaticus & Jubilæus;* ab hominibus *Encænia,* & quidam alii minus feſti dies.

Paſcha, Hebræis Peſach ſive tranſitus Domini, feſtum ſolemne fuit, quot annis occurrens, & a Deo graviter præceptum,

ptum, (s) ut eo menſe, quo populus Duce Moſe ex Ægypto egreſſus eſt, ad perpetuam tanti beneficii recordationem celebraretur. Heic duo memoratu digna ſeſe offerunt. Primum tempus eſt: Ante Moſis ævum anno initium dabatur in Æquinoctio, quod in Autumno contingit, menſe ſcilicet Tiſri ſeu Septembri. Verum poſteà mandante Deo (t) juſſi ſunt Hebræi inchoare annum in verno Æquinoctio, menſe Niſan ſive Martio; nimirum eo ipſo, quo ex Ægypti ſervitute eductus fuit populus. Igitur quarta decima luna, id eſt, quarta decima dies Martii erat ſtabili ſede deſignata Paſchalis feſti initio, qua ſingulæ familiæ agnum maſculum absque macula, aliove vitio mactare jubebantur, & aſſatum cum Azymis ſeu panibus nullo fermento miſtis comedere. Sequens vero dies adpellabatur *Magnum Paſcha*, & *Prima Azymorum*: ſeptima vero (ſeptem enim dies feſtivitati huic debebant impendi, e quibus prima & ultima ſolemnes erant) *Collecta* dicebatur, quia intra tempus iſtud terræ fruges metebant & colligebant. Alterum ſunt ceremo-

(s) *Exod.* 13. & *Deuteron.* 12.
(t) *Ibid.*

moniæ, quibus ſolemnia hæc peragebantur: 1. Poſtes & ſummum limen ædium agni immolati ſanguine tingi oportebat, quemadmodum Deo præcipiente factum in Ægypto ante egreſſum, quando Angelus Exterminator percutiens omnia Ægyptiorum primogenita viſo in poſtibus Hebræorum hoc ſigno, ſcilicet ſanguine agni, eorum domos innoxius pertranſiit. 2. Nocte paſcha præcedente agnus, de quo dixi, manducandus erat aſſus cum pane azymo, & lactucis agreſtibus: nihil crudum aut elixum, ſed ſolum, quod igne aſſum fuit, edere fas erat; oſſa frangere non licuit, ſed ipſum etiam caput agni, & pedes, & viſcera abſumere oportuit, reliquiis cunctis igne crematis. Si familia non ſufficeret agno comedendo, e vicina domo aliquos invitare oportuit. 3. Cuivis comparendum fuit peregrinantium more, cinctis renibus, pedibus calceatis, & manibus baculo inſtructis, ac feſtinatio in veſcendo adhibenda. Hic tamen ritus non ſemper viguit, utpote qui pro ipſa egreſſus ex Ægypto nocte præſcriptus erat. 4. Toto Paſchatis tempore a veſperis primis uſque ad ſeptimæ diei finem panis fermento miſti uſus ſeveriſſime fuit interdictus. Hæc omnia docet liber

Exo-

xodi. (u) Porro Paſcha celebrari non otuit, niſi in urbe regni metropoli, quas erat primum Galgala, tum Silo, dein :roſolyma. (x) Qui vero itinere, morо, aliove legitimo impedimento prohiebantur, quo minus ſtato tempore hoc :ſtum agerent, iis decima quarta dies ıenſis ſequentis Jar aut Sivan, Aprili : Majo noſtro reſpondentis, conſtituta iit. (y) Quatuor præcipue Paſchatum elebritates deſcriptas S. Scriptura nobis :liquit: primam ſub Joſue in terra 'hananæa: alteram ſub Ezechia Rege: ɪrtiam Joſiæ Regis tempore: quartam oſt reditum populi e captivitate babyınica. Ex his magnificentia ſuperaſſe :liquas videtur ſecunda: *Fecerunt filii 'rael, qui inventi ſunt in Hieruſalem, lemnitatem Azymorum ſeptem diebus ſomnitatis, immolantes victimas pacificas, r laudantes Dominum Deum patrum ſuoum, & placuit univerſæ multitudini, ut lebrarent etiam alios dies ſeptem, quod r fecerunt cum ingenti gaudio, factaque 1 grandis celebritas in Hieruſalem, quas a diebus Salomonis filii David, regis 'rael, in ea urbe non fuerat.* (z)

Pen-

(u) *C.* 12. (x) *Deuter.* 16.
(y) *Numer.* 9. (z) 2. *Paralip.* 30.

Pentecoſtes feſtum erat e ſolemniori-bus unum, quod etiam, quoniam nume-ro a ſecunda Paſchatis die inito quin-quageſima die, atque ita elapſis ſeptem hebdomadibus celebrabatur, *Quinquageſi-mum* & *Feſtum Hebdomadarum* fuit nun-cupatum. Quippe frugum meſſi, quam memorata ſecunda Paſchatis die inchoa-bant, tunc finis impoſitus fuit menſe Si-van ſeu Majo. Duas potiſſimum cauſſas feſtivitatis hujus commemorat S. Scri-ptura: primam, ut ſupremum Dei Do-minium profiteretur populus, ad tem-plum deferendo primos frugum ſuarum manipulos: alteram ut nunquam memo-ria excideret dies ab egreſſu ex Ægypto quinquageſima, qua legem Hebræis pro-mulgandam Moſes in monte Sinai a Deo ipſo acceperat. Offerebantur igitur in Pentecoſte frugum primitiæ, præſertim tritici, ſeu panes duo e farina fermento ſubacta confecti, præter quos ſeptem agni unius anni, vitulus, & bini arietes in holocauſtum, duo alii agni in hoſtias pacificas, & demum hircus pro peccato immolabantur. (a)

Feſtum *Tabernaculorum*, græce Sceno-pegia, quæ vox *erectionem tabernaculorum* ſigni-

(a) *Levit.* 23.

ſignificat. Hoc in memoriam tabernaculorum illorum, quibus Hebræi in ſuo per deſertum tam longo & tædii pleno itinere utebantur, inſtitutum erat. Dies feſtivitati, quæ per integram hebdomadam extendebatur, adſignata fuit decima quinta menſis Tizri, ſive Septembris, ubi tempore Autumni fructus collecti fuerunt. Singuli dies iſti feriati, primus tamen & ultimus præ reliquis erant ſolemnes. Feſti hujus lætitiam ſplendide deſcribit Esdras, (b) prout eam celebravit populus, Urbe ſancta recens inſtaurata: *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pucberrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt. Et egreſſus eſt populus, & attulerunt, feceruntque ſibi tabernacula unusquisque in domo ſua, & in atriis ſuis, & in atriis Domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim. Fecit ergo univerſa Eccleſia eorum, qui redierunt de captivitate tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis . . . . & fuit lætitia magna nimis. Legit autem in libro Legis Dei a primo die usque ad diem noviſſimum, & fecerunt ſolemnitatem ſeptem diebus, & in die octavo*

(b) *L.* 2. *C.* 8.

dem focum ad domeſticos uſus, & cibos coquendos excitare liceret a veſpera Sabbati uſque ad illius diei alteram veſperam: *a veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* (g) fuitque præceptum hoc adeo ſanctum, ut ejus violati reo capitis ſupplicium fuerit ſtatutum, quod expertus eſt Hebræorum quidam, qui Sabbato in ſolitudine ligna collegiſſe deprehenſus jubente per Moſen Deo lapidibus fuit obrutus. (h) Conceſſum tamen erat adaquare pecudes, & ſi quod forte in foveam decidiſſet die Sabbati, inde extrahere, uti conſtat ex illo Matthæi loco (i) quo invidi Phariſæi Chriſtum violati Sabbati reum egerunt, quando die Sabbati ægrotum ſanabat. Licebat etiam iter inſtituere, ſed nonniſi breve, ac certo ſpatio dimenſum, & ſi Rabbinis fides eſt adhibenda, duo millia cubitorum longum. Unde S. Lucas, ut iter a monte Oliveti uſque Jeroſolymam deſignaret, Sabbati iter ſtatuit. *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbati habens iter.* (k)

Sab-

(g) *Levit.* 23. (h) *Numer.* 15.
(i) C. 12. (k) *Act.* C. 1.

Sabbato adnectere oportet *Annum Sabbaticum* ſeu *Sabbatarium*, qui ſeptimo quoque anno in orbem redeunte occurrebat. Hoc anno nullum terræ ſemen mandari poterat, & arva, arbores ac vineæ incultæ relinquebantur, ita ut quod ſponte ſua ſoli benignitas protulit, quaſi primo occupantis eſſet, fructusque omnes pauperibus, viduis, orphanis & advenis, quin & pecoribus in prædam cederent: *ſex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus, anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri. Ita facies in vinea & oliveto.* (l) Ne vero hac ratione ipſi agrorum & vinearum domini anno ſeptimo & ſequenti penuriam pati cogerentur, providit idem, qui hoc præcepit Deus. *Quodſi dixeris, quid comederimus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum, ſeretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum.* (m) Aliæ quoque hujus anni ſeptimi immuni-

(l) *Exod.* 23. (m) *Levit.* 25.

nitates fuere. Servi debebant manumitti, & in libertatem aſſeri, niſi ſponte huic ſuo juri renuntiaſſent. *Tunc enim a domino applicabitur* (ſervus ejusmodi) *ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem ejus ſubula, & erit ei ſervus in ſæculum.* (n) Præter hæc debita a creditoribus exigi haud poterant: nec quemquam paupertate premi permiſſum, ita conceptis verbis jubente Deo: (o) *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit. A peregrino & advena exiges: civem & propinquum repetendi non habes poteſtatem. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Fænerabis gentibus multis, & ipſe a nullo accipies mutuum .... Cum tibi venditus fuerit Frater tuus Hebræus aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis viaticum de gregibus, & de area, & de torculari tuo.*

Huic Sabbatico fere per omnia ſimilis erat Annus Quinquageſimus ſiue *Jubilæus* aut *Jobeleus*, ita nominatus, quia ſe-

(n) *Exod.* 21. (o) *Deuter.* 15.

ſtivum illius initium Levitæ tubis arie-
nis, quæ Hebræis *Jobelim* dicuntur,
›nvocato populo indixerunt ac promul-
ırunt. *Numerabis quoque tibi ſeptem*
bdomadas annorum, id eſt, ſepties ſe-
'em, quæ ſimul facient annos quadragin-
: novem, & clanges buccina menſe ſepti-
o, decimo die menſis, propitiationis tem-
›re in univerſa terra veſtra. Sanctifica-
sque annum quinquageſimum, & vocabis
miſſionem cunctis habitatoribus terræ:
ſe enim eſt Jubilæus. (p) Eædem fer-
e immunitates huic anno Jubilæo, quæ
ıbbatico conceſſæ fuerunt, quod adti-
:t ad terræ culturam, fructuum com-
unitatem, & ſervorum Hebræorum li-
:rtatem: immo plures. Nam illa etiam
ancipia, quæ ſeptimo anno juri adipi-
endæ libertatis renunciarunt, hoc anno
anumitti debebant: inſuper bona &
ereditates, ſeu venditæ fuerint, ſeu in
gnus datæ, ad priſtinum dominum re-
bant. *Reverſus homo ad poſſeſſionem*
am, & unusquisque redibit ad familiam
iſtinam. (q)

XXVIII

(p) *Levit.* 25.
(q) *Ibid.*

XXVIII.

Feſtum Tubarum, Expiationum, Encœniorum, &c.

Sequitur Feſtum *Tubarum.* Hoc die prima menſis ſeptimi Tiſri, apud nos Septembris, celebratum fuit, qua ipſa annum civilem auſpicati ſunt Hebræi, credentes mundum eo ipſo tempore a Deo conditum fuiſſe. Duplicem vero inſtituti hujus feſti rationem adferunt Interpretes, nimirum vel in memoriam illius diei, quo Moſes legis tabulas a Deo in monte Sinai inter tubarum clangores accepit, vel quo Iſaac jamjam paterna manu immolandus invento ariete, inter dumeta cornibus hærente, atque in victimam ſubſtituto, a morte liberatus fuit. Feſtum hoc ſolemnius reddidit holocauſtum totius populi nomine oblatum, vitulus ſcilicet, arietes duo, & ſeptem agni unius anni, cum farinæ & vini libaminibus.

Plura occurrunt dicenda de Feſto *Expiationum*, quod *Kippur* & *Chippus* Hebræi nuncupabant a venia, quam pro commiſſis totius anni peccatis humillime flagitabant. Hoc decimum ſeptimi menſis Tizri diem ſibi adſignatum habuit, quo

uo lege cautum fuit, ut animas ſuas ﬄigerent, hoc eſt, jejunarent: *Menſe ptimo decima die menſis affligetis animas ſtras, nullumque opus facietis ſive indi-na, ſive advena, qui peregrinatur inter s. In hac die expiatio erit veſtri, at-e mundatio: ab omnibus peccatis veſtris ram Domino mundabimini.* (r) Itaque bebantur Hebræi primum jejunare, & ﬄictatione animarum ſe ad hoc feſtum æparare: jejunia enim Hebræorum non lum in abſtinentia a cibis, ſed etiam vario luctus genere poſita erant. Da-per buccinæ ſonitum ſigno omnis po-lus Hieroſolymis in Templo, alibi in ro publico conveniebat: totum diem sque cibo & potu tranſigebant ad ve-eram uſque: ſedebant profundo im-erſi ſilentio, cinere ac cilicio cooperti. gebatur lex: Seniores adhortabantur pulum ad pœnitentiam agendam, & unii tempore Viri a mulieribus abſti-bant, nec nuptias tunc celebrare li-it. Jam vero ritus expiandi inſolitum id habebat. Præter alias enim cere-onias ſacrificiis, de quibus §. III. di-, communes ſummus Sacerdos toto rpore lotus, & ſola tectus veſte linea com-

(r) *Levit.* 17.

comparuit abſque *tunica hyacinthina*, *Ephod*, & *Rationali*, ac ſi pretioſa hæc indumenta luctui & pœnitentiæ minus convenirent. Præterea e duobus hircis, quos a Principibus acceptos offerebat totius populi nomine, unum ſorte electum in libertatem aſſeruit hac ratione: hirco coram ſe adducto poſtquam manus impoſuit, ſua totiusque gentis delicta palam confeſſus eſt: tum per hominem ad id conſtitutum hircus ille velut populi peccatis, & diris, quas imprecabatur Sacerdos, onuſtus in deſertum liber dimiſſus fuit, adpellatus propterea ab Hebræis Azazel, *hircus*, *&* *caper emiſſarius* a S. Scriptura: *Poſita utraque manu ſuper caput ejus confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael*, *&* *univerſa delicta*, *&* *peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus emittet illum per hominem paratum in deſertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram ſolitariam*, *&* *dimiſſus fuerit in deſerto*, *&c.* . . . *ille vero qui dimiſerit caprum emiſſarium*, &c. (s)

Encænia ſeu feſtum Dedicationis. Quatuor autem ſolemniores Templi Hieroſolymitani dedicationes occurrunt in S. Scri-

(s) *Levit.* 16.

Scriptura. Prima fuit & magnificentiſſima Salomonis, menſe ſeptimo Tizri, ſive Septembri, per octo dies celebrata, præſente immenſo populo, & victimis ſine numero cæſis. (t) Secunda fuit Templi a Zorobabele inſtaurati, poſtquam Judæi ſoluta captivitate babylonica in patrium ſolum rediere, menſe Adar, qui reſpondet Februario. (u) Tertia non tam Templi fuit, quam Altaris, quando Judas Machabæus devicto Gorgia templum, a gentibus undequaque profanatum, cum fratribus ſuis & ſacerdotibus expurgavit, aram vero holocauſti deſtructa veteri novam erexit, menſe Casleu ſeu Novembri. (x) Quarta denique dedicatio templi fuit, ab Herode conſtructi ſeu potius novis acceſſionibus amplificati: hanc die Herodis natali maxima cum pompa fuiſſe celebratam narrat Joſephus. (y)

Fuerunt & alii dies Feſti minores. 1. Ad anni cujusvis finem inſtitutus eſt planctus filiæ Jephte, quam Pater victor e præ-

(t) 3. *Reg.* 8. & *Paralip.* 7.
(u) *Eſdræ Cap.* 7.
(x) 1. *Machab.* 4.
(y) *Lib.* 15.

e prælio redux virginem immolaſſe creditur. *Exinde mos increvit* (z) *in Iſrael, & conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filii Iſrael, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.* 2. Dies viceſimus menſis Casleu, quo ignis, quem in terram defoſſum, finita captivitate babylonica extinctum repererant, cœleſti prodigio rurſum animatus fuit. 3. Dies vigeſimus quintus menſis Casleu, quo Judith vidua ex urbe Bethuliæ egreſſa Holofernem exercitus Aſſyrici Principem proſtravit. Nam *dies victoriæ hujus feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore uſque in præſentem diem.* (a) 4. Dies tertius decimus menſis Adar ſeu Februarii recolendæ victoriæ Eſtheris Reginæ adverſus Aman Judæorum hoſtem infenſiſſimum obtentæ inſtitutus a Mardochæo. Hunc Judæi communi lætitia inter feſtivas epulas celebrabant, miſſis ultro citroque ciborum donariis. 5. Dies decimus quartus menſis Adar ob Nicanorem Regis Aſſyriorum ducem debellatum. 6. Præter alia complura jejunia ſolemne illud fuit, quod propter mortem Godoliæ menſæ Tisri, & in memoriam

(z) *Judic.* 11. (a) *Judith. C.* 16.

riam obſidionis, qua Nabuchodonoſor Jeroſolymam premebat, ſolutæ inſtituebatur. 7. His accenſeri merentur *Neomenia*, ſeu primus cujusvis menſis dies, qui feſtus quidem non fuit, nec legi de ceſſatione operis ſubjectus: indictus tamen tubarum clangore, ac privatæ cujuslibet religioni relictus, quove extra ordinem vituli duo, aries unus, & agni ſeptem cum reliquis libamentis in holocauſtum offerri jubebantur.

§. VI.

Artes & Studia Hebræorum.

XXIX.

Agricultura & vita Paſtoritia.

Inter Hebræorum ſtudia profana primis gentis hujus temporibus primum facile locum obtinuiſſe videtur agricultura, & vita paſtoritia. Si univerſum populi iſtius quaſi exercitum luſtrare velimus, a Principe ſupremo ad infimum uſque mancipium omnes agricolas & paſtores fuiſſe deprehendemus, ita ut rei hujus ſtudium characteriſmus Hebræorum dici poſſit. Ut nihil dicam de Adami filiis Cain & Abel, de quibus S. Scriptura

meminit, (b) *Fuit autem Abel paſtor ovium & Cain Agricola:* nihil de Abrahamo, Loth, Iſaaco, Joſepho, Jacobo, quorum facultates omnès agris, terræ frugibus, & ovium, aliorumque animalium gregibus, quarum rerum curam & culturam ipſi ſuſceperunt, definiebantur: novimus Moſen, *dum paſcebat oves Jethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian, cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti*, veniſſe ad montem Horeb, unde a Deo vocatus eſt ad munus Legati, & ſi fas eſt ita loqui, *vice-Dei* ad Pharaonem potentiſſimum Ægypti Regem, ac Iſraelis totius Dux ſupremus fuit conſtitutus. (c) Gedeon dum tritico excutiendo, purgandoque frumento operam dabat, ab Angelo Dei nomine non ſine oſtento populum regere, ac contra Madianitas in aciem educere juſſus eſt. (d) Saul jam in Regem electus unctusque par boum reducebat ex agro, quando nuncium accepit, Jabes urbem in Galaad ſitam extremum periclitari; convocatoque protinus exercitu trecentorum trium millium depoſito agricola Bellidux comparuit, & Ammonitas profligavit. (e) David quoque, quum oves paſcebat, a Samuele ad ſo-

(b) *Gereſ.* 4. (c) *Exod. C.* 3.
(d) Judic. 6. (e) 1. *Reg.* 11.

ſolium ſceptrumque evocatus fuit, atque ad oves denuo reverſus eſt, declinaturus tantiſper furorem & inſidias Saulis Generi ſui. (f) Davidis filios regios, dum oves ſuas tonderent, convivium inſtituiſſe legimus. (g) Eliſæus ab Elia ad Prophetæ officium evectus eſt eo ipſo tempore & loco, quo glebam uno e duodecim vomeribus patris ſui ſulcare reperiebatur. (h) Vir Judithæ, opulentus admodum & honoratiſſimus, dum ardente Sirio meſſoribus ſuis continuo præſens eſſet in agro, nimio æſtu in morbum incidit, brevi extinctus. (i) Plurima alia rei hujus exempla extant. Sufficiat dixiſſe: apud Hebræos Reges fuiſſe dictos *paſtores*, ac populum *gregem* eleganti metaphora a vitæ paſtoritiæ, terræque cultu deducta. Et vero non ignobile hoc ſtudium eſſe, ſed inter magnas ſcientias collocandum ſatis demonſtrant tot veteres ac nobiles Scriptores tum Poetæ, qui Buccolica & Eclogas præſtantes in laudem utriusque hujus vitæ tam agreſtis quam paſtoritiæ poſteritati reliquerunt, tum Philologi, qui exactam de agrorum, pratorum, vinearum cultu, deque tota re ruſtica doctrinam proſa oratione comple-

(f) 1. *Reg.* *C.* 16. (g) 2. *Reg.* 13.
(h) 3. *Reg.* 19. (i) *Judith.* *C.* 8.

plexi ſunt. Et vero ruſticæ rei ſcientia latiſſime patet. Oportet enim noſſe indolem terræ, ſeminum vim & virtutem, glebæ ſubigendæ modum, tempeſtatum viciſſitudines, & pericula, quibus fruges obnoxiæ ſunt: arbores & vites plantandi, & fructus ad maturitatem perducendi methodum; animalium paſtus, educationem, morbos, medicamina: inſtrumenta his uſibus apta & neceſſaria fabricandi artem; denique rationem fruges collectas rite conſervandi. Huic ſtudio florentibus annis etiam Græcæ ac Romanæ Reipublicæ Proceres in exſtructis ruri prædiis ac latifundiis vacaſſe, (quod ruſticari, & ruſticationem vocabant) nec id curis ſuis inter tot alia publica negotia inferius duxiſſe hiſtoria veterum temporum nos abunde docet: quin quod plerumque, ubi ſervis & viliſſimæ plebi cultura hæc relicta fuit, dominante interea in civitatibus luxu & deſidia, potentiſſimæ iſtæ aliæque respublicæ magis magisque inclinare cœperint. At Hebræorum per multos centenos annos hæc ferme præcipua, ſi non unica fuit occupatio nobilium æque ac ignobilium: parentes filios & filias hujuſcemodi laboribus a teneris unguiculis aſſuefaciebant, ſuasque opes ac potentiam omnem in

agris

agris, pratis, vineis & horreis optime cultis collocatam credidere.

XXX.

Linguæ patriæ Studium, Sculptura, Pictura.

De aliis artibus & ſcientiis profanis, ſingulari diligentia apud gentem hanc excultis non ita memoriæ proditum eſt. Vix veſtigium aliquod adparet, quod Hebræi ſcholas habuerint publicas, puerosve ſuos alio miſerint ad eas frequentandas, addiſcendasque literas vel artes liberales. Quapropter res invidiæ plena, & execratione digna viſa fuit ſtrenuis illis Machabæis Gymnaſium id, quod Antiochus Illuſtris impiorum civium aliquorum, & patriæ proditorum conſilio & rogatu Græco more Hieroſolymis ædificavit (k) Quippe Hebræi peregrinarum linguarum & literarum ſtudio nullo ducebantur; potius ab eo abhorrebant tanquam a re mancipiis ſuis communi, quibus hebræam linguam diſcendi neceſſitatem ſervitus impoſuit, uti Joſephus teſtatur. (l) Contenti erant ſua, quam omnium antiquiſſimam, & velut a Deo ipſo conſecratam ſumma veneratione profe-

ſe-

(k) 1. *Machab.* 1. (l) *Antiq. L.* 20.

ſequebantur. Quamvis enim ſimpliciſſima eſſet, & e paucis verborum radicibus nata, ditiſſima tamen fuit vocibus, quarum plurimæ integra in ſe ſenſa, quaſi ſinu ſuo abſcondita continebant. Ejus expreſſiones nobile quid & emphaſi plenum præſeferebant, neque aliarum linguarum vocibus, tanquam aurum ſequiore metallo, miſceri ſe patiebatur. Nullus ambiguitati aut ænigmati locus: nec a Moſis tempore uſque ad babylonicam captivitatem quidquam vitii contraxit, vel mutationis ſubiit. Præcipua pars ſtudii penes juventutem fuit ut patriam hanc linguam pure ac ſincere abſque ullo ſphalmate loqui, legere ac ſcribere noſſet. Hac in palæſtra publice exercitabatur potiſſimum die Sabbati in ſynagogis, dum adultiores convenirent eodem tempore ad audiendam legis interpretationem, ut prodit Origenes. (m)

Callebant quoque alias artes, cæteris gentibus communes, quantum ad vitam ſuſtentandam, aliave negotia quotidiana fuerunt neceſſariæ. Jam ſub mundi exordium meminit S. Scriptura de Tubalcain, quod fuerit *malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* (n) Neque Noe

(m) *L. 4. contra Celſum.* (n) *Geneſ. 4.*

Noe arcam fabricare, neque illius nepotes turrim Babel ædificare potuiſſent, gnaris opificibus deſtituti. Quod autem poſtmodum hæ aliæque artes magis magisque fuerint excultæ, dubitare nos haud ſinit eadem S. Scriptura. Nam ubi Moſes tabernaculum ſtruere juſſus eſt, Beſeleeum & Ooliabum ad grande hoc opus adhibuit, de quorum primo, qui filius Uri erat de tribu Juda, dicit: (o) *Implevitque eum ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinveniri poteſt.* De altero autem: *Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan: ambos erudivit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac nova quoque reperiant.* Simili ratione, quando David moriturus ultimum affatus eſt filium Salomonem, exhortatusque, ut templum magnifice a ſe deſignatum Numini ædificaret, his verbis uſus erat: *Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentiſſimos,* in

(o) *Exodi* 29.

in auro, & argento, & ære, & ferro. (p) De arte pingendi, quemadmodum apud nos in uſu eſt, dum prata, ſylvæ, urbes, flores, animalia, homines, prælia, integræque hiſtoriæ vivis coloribus exprimuntur, an eam calluerint Hebræi, merito in dubium vocari poteſt. Nam ex omnibus veteris teſtamenti libris certi nihil conſtat. Legimus quidem (q) *Et omnes parietes templi* (Salomonici) *per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredientes.* Rurſus (r) *Lectuli quoque aurei & argentei ſuper pavimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat.* Verum bene conſideranti verba pronum eſt ſuſpicari, quasdam parietum partes cœmento vel ſcalpro magis elevatas duntaxat coloribus diverſis fuiſſe tinctas, quum paullo poſt dicatur: *& ſculpſit in eis picturam Cherubim:* ita etiam pavimentum verſicoloribus lapillis fuiſſe ſtratum, quod nunc opus *Muſaicum* ſeu *Muſivum* adpellamus. De aliis certe picturis ad artis regulas factis altum ſilentium, cujus ratio eſſe poteſt, quod

(p) 1. *Paralip.* 22. (q) 3. *Reg.* 6.
(r) *Eſther C.* 1.

quod aliis gentibus idola, ſacrificia, & fabulas paſſim depingentibus Hebræos religionis amor ab artis hujus exercitatione abſterruerit. Atque hoc innuere videtur, quod *ſpiritu raptus in Hieruſalem* Ezechiel vidiſſe ſe teſtatur: (s) *Et ingreſſus vidi, & ecce, omnis ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio & univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum.*

XXXI.

Poeſis, & Muſica.

An Poeſeos ars in Hebræorum republica floruerit, non conveniunt Scriptores, aliis eam elevantibus, deprimentibus aliis. Joſephus, Origenes, Euſebius, & S. Hieronymus Moſis cantica, & quidem, ut Joſephus ſæpe teſtatur, heroico carmine ſcripta fuiſſe contendunt. Totum pſalterium verſibus jambicis, alcaicis, & ſaphicis, non minus quam Pindari ac Horatii poemata, plenum eſſe aſſerit D. Hieronymus. (t) De libro Job dicere non dubitat, poſt illa verba: *Pereat dies in qua natus ſum*, omnia hexa-

(s) *Ezech. Cap.* 8.

(t) *Præf. in Chron. Euſeb.*

xametris, dactilis & ſpondæis conſtare, quamquam fateatur, quod *propter linguæ idioma crebro recipiant tales pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum ſolutis; quod Metrici magis, quam ſimplex Lector intelligunt.* At Auguſtinus Calmet (u) cum Scaligero, Eugubino, Ludovico Capella, Martinio, Grotio, &c. nulla carminis artificioſi, & ad metrum ac pedes adſtricti veſtigia in canticis, pſalmis, ac prophetiis deprehendi, erudite ut ſolet ac ſtudioſe adſtruit, quamvis negare non auſit, rhythmos interdum ac dedita opera conquiſitos in pſalmis, aliisque Scripturæ libris carmine ſcriptis recurrere. „ Antiquius, ait, apud Græ„ cos Poema Homeri & Heſiodi carmi„ nibus nullum eſt, quæ ſane ſexcentis „ annis Moſaicis ſcriptis recentiores ſunt. „ Quis rogo poſt hæc Hebræorum Legis„ latorem, Jobum & Davidem methodi„ cam & artificialem poeſin ſecutos fu„ iſſe affirmaverit? *Quare cenſet*, eorum „ poemata felicis cujusdam ingenii fœ„ tus eſſe, quod Dei ſpiritus animabat, „ atque pro eo, quo agitabatur, æſtro, „ conceptus ſuos poetico & ſublimiori ſti-

(u) *In Diſſert. de Poeſi Veter. Hebræor.*

„ ſtilo, nunquam tamen legibus & regu-
„ lis coacto effundebat. „ Utrique parti aliquid tribuendum videtur, ſcilicet non quidem ad artis poeticæ a Græcis conditæ regulas Moſis cantica, pſalmos, aliaque fuiſſe compoſita, utpote quæ regulæ primum, ut in aliis ſcientiis contigit, e diuturnis obſervationibus boni malive carminis aut rhythmi aures ſono ſuo blande afficientis natæ ſunt. Hæc tamen non prohibent, quo minus dicatur, rhythmi ac pedum dimenſiones, e quibus carmina heroica & lyrica prodierunt, genus aliquod, licet minus forte perfectum, in ſacris hiſce Scriptis contentum fuiſſe. Profecto difficile eſt, tantis tamque peritis, & longe proximioribus teſtibus quemadmodum ſunt Joſephus, & Hieronymus, omnem de Poeſi Hebraicam fidem abnegare; præterquam quod lingua Hebraica, Moſi, Davidi, &c. familiaris, poſt captivitatem babylonicam varias mutationes paſſa ſit, ita ut non tam de ea, quæ nunc exſtat, quam de illa, quæ tunc viguit, teſtimonium e traditione Majorum præbere doctiſſimi hi Viri intelligantur.

Certius quid de arte muſica pronunciare licet, cujus ſane ſtudioſiſſima fuit

gens Hebræa; non quidem illius omni ex parte compoſitæ, quæ noſtris temporibus in uſu eſt, ſed ſimplicis, attamen numeroſæ, ac ciendis aurium & cordium ſuaviſſimis ſenſis natæ factæque. Moſes vix mare erythræum cum populo Dei ſicco pede tranſgreſſus, ut pro tanto beneficio grates Numini ageret, in cœtu virorum notum illud & magnificum Canticum concinit; Maria interim ſorore tympanum pulſante, idemque canticum proſequente inter choros reliquarum mulierum, qua voce qua muſicis inſtrumentis ludentium. (x) David autem Rex, Cytharædus ille nobiliſſimus, hanc artem & coluit ipſe, & cultum ejus mirifice propagavit. Nam ut ſacris diviniſque officiis majeſtatem conciliaret, inter tot tantaque regni negotia quamplurima cantica compoſuit, inſtrumenta muſica conſtrui curavit, Levitarum chorum numeroſiſſimum inſtituit, ita ut feſtis præſertim diebus totum Tabernaculum, & omnis mons Sion ſymphonia aures & corda demulcente reſonaret. Templo conſtructo quater mille Cantores conſtituti fuerunt, quibus Aſaph, Heman, & Idithum celebres in hac arte magiſtri præficiebantur, ut eos in omni vocum & in-

(x) *Exodi*, 15.

inſtrumentorum muſicorum genere erudirent. Nec ſolum in Templo, ſed etiam in Aula Regia ſuum muſicæ pretium erat, & ſtudium. Ita Berzellaus Davidi in aulam ſuam ſe invitanti dixit: *Nunquid audire poſſum ultra vocem Cantatorum atque Cantatricum?* Non minus Salomon, ne qua parte Aulæ ſuæ ſplendori aliquid deeſſet, *feciſſe ſibi Cantores, atque Cantatrices* memoratur, quo nomine in S. Scriptura paſſim venit non ſolum muſica, quæ vocibus, ſed etiam quæ inſtrumentis omnis generis peragitur. Horum tres fere claſſes fuerunt. Quædam fidibus conſtabant, quædam pneumatica, alia variæ ſortis tympana fuerunt. Ad primam pertinuere *Nablum* ſeu *Pſalterium*, alio nomine Cithara ſive *Haſur*, vel *Decachordum*, decem fidibus inſtructum, hoc ſolo diſcrimine, quod pſalterium ſuperiore parte, cithara inferiore concava fuerit, & pulſaretur plectro vel digito fides vellicantibus. *Cinor* ſive Lyra vetus trium, aliquando ſex, & novem omnino fidium, ſonum edens in ventre ſubjecto. *Symphonia* tenſis in cavo machinæ oblongæ ac rotundæ, chordis ope manubrii agitatis, amœnum concentum reddidit. *Sambuca* inſtrumentum muſicum erat, in quo fides ordine longo ac

multiplici ſuper tabulam diſtributæ, ac exiguis bacillis ſolicitatæ reſonabant. Alteram claſſem conſtituerunt tibiæ, tubæ, & organum vetus *Huggacb* dictum, fiſtulis imparibus canentis ore animatis conſtans. Tertia claſſis complectebatur tympana varii generis: quædam corio obducta, & bacillis nodoſis percuſſa raucum edebant ſonitum, noſtris ſimillima: quædam proprie *cymbala* nuncupabantur ære constructa inſtar pilei aut ſphæræ cavæ, interque ſe colliſa accutiſſimum ſonum edidere: alia *Siſtra* trium angulorum, vel rotunda innexis annulis, aut virgis æneis impetu quodam concuſſis ſtrepitum ſubtiliſſimum ciebant. Effigies horum inſtrumentorum æri inciſas exhibet Dictionarium Biblicum Calmeti. (z) Quam vero vim arcanam & ſuavitate plenam in animos audientium muſica hæc exercuerit, diſſimulare nefas eſt. Saul audita ejusmodi ſymphonia ſpiritu prophetico correptus, & in alium virum mutatus fuit, uti Samuel prædixerat: (a) *Obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium in excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſosque prophetantes. & inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis* cum

(z) *V. Muſica.* (a) 1. *Reg.* 10.

um eis, & mutaberis in virum alium. dem dum tetra melancholia agitabatur, itharæ Davidicæ ſonum præſentiſſimum norbo ſuo remedium expertus eſt. (b) oſaphat Rex, quum Moabitæ, Ammoitæ, & populi de monte Seir infetis armis obviam veniſſent, ipſe ſuorum ciem antecedere juſſit Cantores Domini o, quo in templo ſolebant ordine, ac nuſicis inſtrumentis concinere, quibus ix reſonantibus hoſtes ſubito terrore erculſi, in fugam acti, & multis vulneibus conciſi ſunt. (c) Quæ licet proigio proxima ſint, nihil tamen ſupra nauram habere videntur, ſi ſtupendas muicæ artis vires in hominum animos doninantes conſiderare velimus, quas muli Scriptores profani non contemnendæ dei prodidere.

XXXII.

Theologiæ Poſitivæ Studium.

Jam vero præcipuum Hebræorum ſtulium in Theologiæ quodam genere, quam *Poſitivam* vocamus, verſabatur. Equiem aliæ quoque ſcientiæ, ut Aſtronomia,

(b) 1. *Reg.* 16. (c) 2. *Paralip.* 20.

mia, Geographia, Eloquentia, Philoſophia, Medicina ipſis ignotæ haudquaquam fuere, quum non pauca illarum veſtigia in SS Literis deprehendantur. Et certe Moſen harum omnium fuiſſe peritum ſatis conſtat ex hiſtoria de origine ſingularum fere artium & ſcientiarum, quam in libris præcedentibus exhibui, nec credibile eſt, Hebræos ex hoc uberrimo fonte non hauſiſſe illarum principia & fundamenta, quæ filiis & nepotibus ſuis poſtmodum communicarint. Nihilominus fateri oportet, nec ſcholas fuiſſe huic genti, in quibus harum artium & ſcientiarum ſupellectile inſtrueretur juventus, nec Magiſtros, qui publice eas profiterentur, nec regulas certas & leges, quibus in harum ſtudio regerentur. Quæ in his artibus & ſcientiis documenta reliquerunt, non tam artificio alicui, quam lumini naturali ac ingenio, quo pollebant, vivido, forti, & profundo, tanquam ſoli bonitati tribuenda videntur. Sola S. Scriptura, illiusque ſtudium ſufficere ipſis poterat, Scriptura inquam, cujus verba, ut Moſes ait Iſraelem alloquens: (d) *Erunt in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & am-*

(d) *Deuter.* 6.

ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Hæc ſuppeditavit illis hiſtoriam totius mundi uſque ad ſua tempora, quibus in terram promiſſam fuerunt introducti : & in hac hiſtoria integram velluti Philoſophiam naturalem ac moralem, maxime vero Theologiam myſteriis plenam. Ibi inveniebant origines & genealogiam Patriarcharum ſuorum, Tribuum & nationum, denique omnium ſibi notarum familiarum. Ibi legebant totius religionis rationem, leges, ceremonias, doctrinas morales graphice deſcriptas; quin omnem civilis ac politici regiminis formam. Hæc inquam vel ſolus Pentateuchus ſeu quinque Moſis libri ſuppeditarunt. Nec alii, qui poſtea ſucceſſerunt libri, ſacræque Scripturæ Codici fuerunt inſerti, defuere. Nam Canon Synagogæ hebraicæ tot ſacros libros comprehendit, quot in alphabeto ſuo literas, id eſt, viginti duos. Ut nihil dicam de iis, quos edax tempus abſumſit. Quippe Numerorum capite vigeſimo primo fit mentio *de libro bellorum Domini.* Joſue decimo *de libro Juſtorum*, & in libris Regum *de Chronicis Regum Juda & Iſrael.* Salomon ſcripſit parabolas ter mille, & Cantica quinque millia, (e) alioſque libros

(e) 3. *Reg.* 4.

bros de univerſa plantarum & animalium œconomia. Sed hi libri, & fors longe plures interierunt, qui latiſſimum doctrinæ campum Hebræis ævo illo aperire poterant. Hinc neque librorum ab exteris ſcriptorum curam habebant, domeſtica ſupellectile abunde inſtructi; præterquam quod omne cum gentibus commercium a Deo ipſis fuerit interdictum. Præter hæc Traditiones Majorum quam diligentiſſime tenebant, & memoriæ mandabant, quæ fuerunt præſtantes, ſublimes, & ſumme utiles, tendebantque ad timorem ac amorem Dei implantandum. Multum quoque tribuebant parabolis, proverbiis, ac ſimilitudinibus, ſub quarum cortice grandis veritatum nucleus ut plurimum latebat. His pleni ſunt libri Sapientiæ. Profecto parabola de ove furtim ſublata, quam Davidi adultero & homicidæ Nathan Propheta propoſuit, ſubjungens: *Tu es ille Vir.* (f) tam pathetica fuit, ut nec Demoſthenes nec Cicero ex omni eloquentiæ penu melius quid depromere potuiſſent ad Davidis cor expugnandum, & ad pœnitentiam flectendum. Etiam ænigmata docti proponebant per vices, quemadmodum Samſon

(f) 2. *Reg.* 12.

ſon inter Tribules, & Regina Saba Salomoni. (g)

Sacræ autem doctrinæ clavis & magiſterium penes Sacerdotes fuit: *Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*, ait Malachias. (h) Hi populum convocabant potiſſimum Sabbatis ad Synagogas, ubi prælegendo, interpretando, diſputando, eum in lege Dei & morum præceptis, ac ceremoniis & ritibus ſacris indefeſſo labore erudiebant, non vana & plauſibilia tractantes, ſed utilia, & ad Dei cultum ac ſalutem æternam neceſſaria. Soli quoque Sacerdotes & Prophetæ libris ſcribendis erant intenti, præcipue hiſtoriis & temporum annalibus; non ſecus ac apud Ægyptios & Romanos Sacerdotum munus hoc fuit. Ex libris ſacris patent characteres Scriptorum: gravitas, ſapientia, maturitas, & officiorum negotiorumque peritia: nihil in iis ad oſtentationem: nihil adulationis, nihil ambitionis & gloriæ præſeferunt. Dum Græci Romanique Scriptores vel ſuam vel populi ſui ac patriæ laudem ubique captant grandi artificio, Hebræi contra ma-

gna

(g) *Judic.* 14. & 3. *Reg.* 10.
(h) *Cap.* 2.

gna ſimplicitate ſimul ac libertate utentes Regum ac gentis ſuæ uti virtutes, ſic vitia commemorant. Prætermiſſis procemiis, epiſodiis, nexuque verborum ac ſententiarum exquiſito, ſimplici narratione abſque notis & criticis animadverſionibus graviſſima religionis ſuæ myſteria, res geſtas præclariſſimas, eventus omnino mirabiles, & documenta ſapientiæ characteribus plena humili ad ſpeciem ſtilo, ſed latente ſublimi ſpiritu complectuntur: & quamvis ſummi hi Viri Deo inſpirante ſcripſerint, ſatis tamen probabile eſt, veritatis curam a Deo ſuſceptam eſſe ita, ne quid erroris committeretur: ſermonis tamen rationem ipſorum ingenio & ſcientiæ relictam fuiſſe, id quod ſtili varietas, & ſententiarum major vel minor energia comprobare videtur. Hæc de ſtudiis & artibus: nunc de moribus.

§. VII.

§. VII.

Mores Hebræorum.

XXXIII.

Nomina, *Tituli*, *Nobilitas.*

Hebræorum mos erat, religioſe cuſtoditus, ut filiis ſuis nomina imponerent, in quibus vel myſterii aliquid lateret, quod in nativitate contigit, vel ſingulare quoddam Dei donum reluceret. Sic Abraham *Pater multitudinis* nuncupabatur, quoniam Deus ſemen illius ſicut ſtellas cœli, & arenas in littore maris multiplicaturum ſe promiſit. (i) Iſaac *Riſus*, quod Angelis Saræ jam vetulæ filium hunc eſſe naſciturum prædicentibus illa riſerit, velut audita re fidem excedente. (k) Jacob *Supplantator*, quia utero egreſſus plantam fratris Eſau manu tenuit. (l) Moſes *Attractus*, ſcilicet e Nili aquis. Joſeph *Domini augmentum* ſeu *Filius accreſcens*, utpote qui natu licet minimus maximis honoribus & Pro-Regis Ægypti dignitate auctus eſt.

Ra-

(i) *Genſ.* 22. (k) *Geneſ.* 18.
(l) *Geneſ.* 25.

Rachel *Ovis;* nam Jacobo futuro ſponſo obviam venit cum ovibus patris ſui. (m) Mathuſalem *mortem ſuam poſtulans*, nempe nimio preſſus ſenio, & hominum vetuſtiſſimus. Daniel *Judicium Dei*, quod exercuit in impios ſenes, qui Suſannæ innocentiam oppreſſum ibant. David *dilectus*. Saul *Vulpes*. Eſther *Abſcondita*, priusquam ad regium ſolium eveheretur. Salomon *Pacificus*. Samuel *Poſitus a Deo* in ducem populi. Joannes *Gratioſus*. Maria *Amaritudinis mare*. JESUS *Dominus Salvator*. Taceo alia quamplurima. Nec fruſtra Hebræi nomina hujusmodi impoſuerunt natis ſuis, ut ſemper vel prodigiorum vel beneficiorum Dei memores eſſent, non raro etiam futurorum præſagi. Alios honorum titulos non admittebat gentis ſimplicitas. Aliquandò autem Patris nomen adjiciebatur vel ut ab aliis diſcernerentur, vel reverentiæ erga Patrem cauſſa: Saul *filius Cis*: David *filius Iſai*: Salomon *filius David*. quin etiam Matris, ſi Pater plures duxiſſet uxores. Sic Joab & ejus filii dicebantur *filii Sarviæ*. (n) Quod ſi necdum ad faciendum inter fratres & ſorores diſcrimen hoc ſufficeret, Avum etiam

(m) *Geneſ.* 29. (n) 1. *Paralip.* 2.

etiam adjunxerunt, vg. Godolias *filius Abicam, filii Sephan.* (o) id eſt, filius Ahicam, cujus pater erat Sephan. Quin ultra ad Abavum & Atavum progreſſi ſunt: *Ziza quoque filius Sephei, filii Allon, filii Idaia, filii Semri, filii Samaia.* (p) Quandoque etiam a Conditore Urbis aut regionis, vel gentis cognomen ducebatur, uti Urias *Hethæus*, Ornam *Jebuſæus.* Quamvis autem populus eſſet pene infinitus, facile tamen inter ſe diſcriminabantur ſecundum tribus & familias, & ope librorum, quos penes ſe habebant, genealogicorum. Cætera nobilitatis admodum fuere ſtudioſi. hæc reſidebat in Patriarchis, Principibus tribuum, & familiarum Capitibus, quorum vita licet eſſet humilis, communis, & laborioſa, nobilitatem tamen natalium conſervare ſtudebant ineundo matrimonia nonniſi cum Tribus & familiæ ſuæ fœminis ejusdem ordinis, ac filiis etiam eadem ſtirpe de uxoribus proſpiciendo. Neque egreſſi ſunt, ac domicilium tranſtulerunt in aliam ſedem ac regionem quam quæ facta a Joſue diviſione cuivis Tribui adſignata erat. Inter alias vero tribus nobilior fuit Tribus Levi, utpote a Deo ipſo electa, ſuoque ſervitio conſecrata, e qua

(o) *Jerem.* 40. (p) 1. *Paralip.* 4.

qua poſteri Aaronis in Sacerdotes, cæteri vero in templi & rerum ſacrarum miniſtros ſeu Levitas adſumebantur. Reliquas dignitate & familiarum copia antecedebat Tribus Juda, e cujus ſinu ſecundum prophetiam Jacobi patriarchæ prodierunt Reges, & Chriſtus ipſe Rex Regum. Hac paulo inferior erat Tribus Ephraim, e qua Magnus ille Pro-Rex Ægypti Joſeph ortum duxit. Ad hunc nobilitatis ordinem diligenter attendebant Hebræi. Hinc Saul mirari ſatis non potuit, ſe præ cæteris ad regnum Iſraelis evocari, dicens ad Samuelem: *Nunquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de Tribu Beniamin?* (q)

XXXIV.

Potentia & Divitiæ.

Patriarchæ Hebræorum tam libere, quam late dominabantur, ſuaque in familia inſtar Regum fuere. Certe Abraham ſuo arbitrio & bella geſſit, & pacem ſancivit. Reges cum eo fœdus inibant: ipſe cum ſervis ſuis ac fœderatis quatuor Reges debellavit. (r) Nil niſi

(q) 1. *Reg.* 9. (r) *Geneſ.* 14.

niſi Regis titulus deeſſe videbatur. Non minus eandem quodam modo regiam poteſtatem exercuere Iſmael, Jacob, & Eſau. Potentiæ acceſſerunt divitiæ, quæ primis temporibus e pecorum copia præcipue æſtimabantur. Abrahamum legimus tam vaſtum gregem habuiſſe, ut a Loth filio fratris ſui, quum una regio quantumvis ſpatioſa utriusque gregem & familiam capere nequiret, diſcedere in aliam cogeretur. (s) Jacob occurrenti ſibi in itinere Eſau fratri, quum hoſtile aliquid ab eo timeret, per ſervos ſuos munera miſit capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis ſuis triginta, aſinas viginti, & pullos earum decem. (t) univerſe animalia quingenta & ſexaginta. Non minus mancipiis, quam pecoribus abundabant. Abraham numerabat ſolos ſervos domeſticos & vernaculos, non venientibus in computum alienigenis, & ſervorum filiis & uxoribus, trecentos octodecim, quos omnes armis inſtruxerat. (u) Succedente tempore etiam auri & argenti copia acceſſit. Sane idem Patriarcha poſt ſuum ex Ægypto reditum

erat

(s) *Geneſ.* 13. (t) *Geneſ.* 32.
(u) *Geneſ.* 14.

erat dives valde in poſſeſſione auri & argenti. (x) Armillæ & inaures, quas per ſervum Eleazarum filii ſui Iſaaci ſponſæ dono dederat, octo uncias auri ponderabant: *protulit vir inaures aureas appendentes ſiclos duos & totidem pondo ſiclorum decem.* (y) Pro agro, in quo ſepulchrum Saræ conjugi mortuæ ſtruxit, coemto *quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ* numeravit. (z) Ita res agebantur Patriarcharum tempore. At poſtquam ingreſſus eſt populus toto agmine in terram promiſſam, eaque inter Tribus & familias diviſa fuit, quivis poſſidebat agrum ſuum, & quidquid a majoribus ſuis acceperat, ſumma in pace: non poterant mutare habitationes ſuas, nec pendere aut dilapidare bona. Quippe cautum lege fuerat, (a) ut ſingulis quadraginta novem annis elapſis, ſeu Anno *Jubilæo*, res & poſſeſſiones venditæ, mutuo datæ, vel oppignoratæ ad dominum ſuum redirent: item, ut eodem anno, quin etiam omni anno Sabbatico, id eſt, ſeptimo cuncta debita creditoribus remitterentur. Atque hac ratione factum eſt, ut nec unus alterius bo-

(x) *Geneſ.* 13. (y) *Geneſ.* 24.
(z) *Geneſ.* 23. (a) *Vide* §. *V. numer. XXVII.*

ona ad ſe adtrahere, nec ſua diſtrahere
icile poſſet, aut grandibus debitis ad
iopiam redigi. Neque etiam ex iis
uidquam ſolvere tenebantur præter pri-
iitias & decimas: unde pares fere om-
ibus facultates, nec locus avaritiæ, aut
imiæ potentiæ. Cætera non magna
ecuniæ paratæ vis & copia in Hebræo-
um republica fuiſſe videtur: fœnerari
nim inter ſe prohibitum ipſis erat, con-
eſſum tantummodo cum exteris, cum
uibus tamen plerisque vix aliquod fuit
ommercium, utpote alia lege interdi-
tum. Neque Deum illis promiſiſſe paſ-
m in S. Scriptura legimus aurum, ar-
entum, aut lapides pretioſos atque the-
iuros: ſed meſſem uberem, vindemiam
ivitem, pluviam, ſementem copioſam,
orrea & cellas vini oleive plenas, ferti-
em hominum ac gregum regionem, pa-
em, ſecuritatem, & de hoſtibus victo-
iam.

XXXV.

Res Veſtiaria.

De veſtitu Hebræorum univerſe licet
ronunciare, quod ſicuti morum, ita &
eſtium ſimplicitate ſe commendaverint.
Gerebant oblongas, ita tamen, ut apud
iros infra genua non deſcenderint, nec

manicæ ultra cubitum prominuerint: apud mulieres autem uſque ad extremos pedes defluxerint, manicis circa humeros ſtrictioribus, tum vero magis magisque ſe dilatantibus, & circa manus omnino patulis. Materies veſtium erat lana, linum, quandoque goſſypium, ſæpe etiam byſſus: color albus, vel purpureus, vel violaceus: primus tamen reliquis frequentior, utpote quem ipſa materiæ veſtium natura dedit. Forma vix unquam mutationem ſubiit, ſed eadem ſervabatur: plura tamen veſtimenta ſemper parata habebant, quæ alternis vicibus induerunt. Ita Naamus Regis ſui nomine tanquam donum obtulit Eliſeo *decem mutatoria veſtium*, id eſt, decem tunicas cum totidem palliis. Summam quippe curam & pompam Veteres in eo poſuerunt, ut ſæpius veſtes mutarent, eaſque ſervarent quam poſſent mundiſſimas. Ut vero ſingulatim aliquid de hac re dicamus, Hebræorum veſtes toga & pallium fuere. Prior erat admodum larga, ut laboribus perpetuo intenti eo agiliores ad motum membrorum eſſent: domi eam laxantes aeri perviam reliquerunt: at in itinere vel ruri cingulo conſtrinxere, ne impedimento foret: *ſurge*,

ſuc-

ſuccinge lumbos tuos. (b) Porro cingulum varium fuit pro varietate perſonarum : Principes ac divites byſſinis, aut opere phrygio vel auro intertexto diſtinctis, tenuioris autem fortunæ homines pelliceis utebantur. Interdum maxime hyemis tempore tunica alia ſuper aliam ſeſe induerunt. Hinc Chriſtus diſcipulis, ut a ſuperfluis abſtinere aſſueſcerent, vetuit, ne duas tunicas geſtent, ſed una contenti providentiæ Dei corporis ſui curam committerent. (c)

Pallii vetuſtiſſimus uſus erat. Filii Noe, ut patris pudori conſulerent, ſuperinjecto pallio nudatas corporis partes obvolverunt. Caſtiſſimus Joſeph relicto, quo indutus erat, pallio Putiphari uxoris inſidias effugit. Achias Propheta pallium humi expanſum in duodecim partes ſcidit, deſignaturus defectionem decem tribuum a reliquis duabus. (d) Eliſæus pallio Eliæ convoluto percutiens aquas Jordanis in duas partes fluvium diviſit. (e) Materia ejus vel lana, vel pellis, aut byſſus erat. David, quando Arcam Dei in urbem Solymæam ſolemni

(b) *Luc.* 12. (c) *Matth.* 10.
(d) 3. *Reg.* 11. (e) 4. *Reg.* 2.

ni pompa tranſtulit, pallio byſſino veſtitus incedebat. (f) Mardochæus prodibat a Rege Aſſuero decoratus *ſerico pallio atque purpureo*. Ejus uſus erat, ut res exigebat: nunc in hanc, nunc in illam partem verterunt: jam humeros amiciebant pallii angulis anſularum ope connexis: jam caput obnubebant: jam vinciebant ad pectus. Neque omni ornatu caruit. nam vel ut a reliquis gentibus diſcernerentur, vel ut ad divina mandata redderentur attenti, præcepit Hebræis Deus, (g) ut fimbrias & vittas hyacinthinas extremis pallii partibus adſutas geſtarent. Quod autem viris pallium, hoc mulieribus fuit velamen, quo caput ac vultum tegere conſueverant, quoties e domo in publicum prodibant. Hinc verecunda Rebecca a longe proſpiciens adventantem ſponſum ſuum Iſaacum *feſtinavit tegere ſe pallio ſuo*. (h) Hæc fœminarum pallia ſeu velamina ſæpe pretioſiſſima fuerunt, ita ut luxum hunc non ſemel S. Scriptura reprehendat.

An vero Hebræi nudo capite vel tecto incederent, non conveniunt ſcriptores.

Qui-

(f) 1. *Paralip.* 15. (g) *Numer.* 15.
(h) *Geneſ.* 24.

Quidam cum Fleyrio contendunt, uſos fuiſſe pileo rotundo ſuperius eminente more Perſarum & Chaldæorum. Nam caput nudare ſignum luctus erat. Aſt alii cum Calmeto nullum capitis integumentum Hebræis permittunt Sacerdotibus exceptis; adſeruntque urgente æſtu vel frigore, item in luctu, & dum orationi vocabant, pallio eos caput obtegere conſueviſſe. Similis controverſia eſt de calceis. Quippe nudis pedibus illos inceſſiſſe volunt nonnulli, præterquam ſi iter facerent. Sed verior opinio eſt eorum, qui calceamenta ipſos geſtaſſe probant allatis S. Scripturæ exemplis. Moſes quum rubo ardenti adpropinquaret, & Joſue dum Angelum obviam habuit, calceos detrahere juſſi ſunt. (i) De fratre, qui ſine liberis defuncti fratris uxorem ducere noluerit, Scriptura dicit: *Accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* (k) Certius eſt, Hebræos & comam & barbam aluiſſe, quod poſterius palam fit ex Legatis Davidis, quibus Rex Ammonitarum, ut contumeliam iis irrogaret, me-

(i) *Exodi* 3. & *Joſue* 5. (k) *Deuter.* 25.

mediam ſecari barbam juſſit, eratque his in urbe Jericho tamdiu commorandum, donec barba creverit, ne minus honorifice coram Davide Rege ſuo comparerent. (l) Porro lavandi corporis ſtudioſiſſimi erant. Unde toties in S. Scriptura hujus rei mentio fit. Lavabant ſe ac pedes ſuos tum quando domum redibant, tum ubi menſam accedebant, tum priusquam cubitum ibant: quumque aqua cutem ac crines exſiccet, oleo vel communi vel cum aromatibus mixto ſe ungebant.

XXXVI.

Præter hæc quædam circa veſtes memoratu digna occurrunt in SS. Literis. De Joſeph Jacobi filio, uti & de Thamar filia Davidis legitur, quod *tunicas polymitas*, id eſt, variis coloribus diſtinctas, aut opere phrygio ornatas geſtarint. (m) Prophetæ ut plurimum pellitis veſtibus, & ſimilibus zonis gaudebant ad pœnitentiæ rigorem vel ipſo corporis habitu palam commendandum. Ita deſcribitur Elias: (n) *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.* Ita de Prophetis aliisque dicatis Deo hominibus eremi in-

(l) 2. *Reg.* 10. 2. *Reg.* 13.

(m) *Geneſ.* 37. &

(n) 4. *Reg.* 1.

incolis D. Paullus: (o) *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Non infrequentes quoque fuerunt apud Hebræos tunicæ ſine ſutura, ſeu ut Scriptura vocat *inconſutiles*, id eſt, textrino elaboratæ ita, ut unicus tantum hiatus ad caput inſerendum pateret. Hujus generis quædam fuere Sacerdotum, (p) & JEſu Chriſti Sacerdotis ſummi tunica. (q) Nefas autem erat commutare veſtes viros inter & mulieres, præcipiente lege: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea.* (r) Mos etiam fuit Hebræorum *veſtes ſcindere* vel ad luctum demonſtrandum, ſicut Jacob indicio ſibi facto de filii Joſephi, præ ceteris dilecti, a fera peſſima devorati fato; & Heli Sacerdos ob arcam fœderis ab hoſtibus captam allato nuncio veſtes ſcidit: vel ad blaſphemiæ horrorem ſignificandum, quemadmodnm Caiphas, quum Chriſti filium Dei ſe profeſſi teſtimonium tanquam blaſphemum ferre non poſſet, ſci-

(o) *Ad Hebr.* 11. (p) *Exod.* 28.
(q) *Joan.* 19. (r) *Deuter.* 22.

ſcidit veſtimenta ſua. (s) Denique illud non prætereundum, fœminis apud Hebræos, uti apud alias quoque gentes, plus in corpore veſtiendo ornandoque fuiſſe indultum. De Juditha memoratur, antequam in caſtra Holofernis egrederetur, quod ſe laverit, inunxerit, crines in ordinem redegerit, lætitiæ veſtes induerit, ſandalia armillas, inaures, lilia & annulos. (t) Sed luxus hic adeo ſequiore tempore excrevit, ut ipſe Deus apud Iſaiam (u) conqueſtus, graviterque comminatus fuerit: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra.* Ecce! integram muliebris in corpore ornando vanitatis ſupellectilem.

XXXVII.

Habitatio, Menſa.

De habitatione, ædibus, & palatiis Hebræorum pauca exſtant monumenta, quæ

(s) *Marci* 12. (t) *Judith. C.* 10. (u) *C.* 4.

quæ palam produci poſſint; ſi Domum Domini ſeu templum Solymæum, & Salomonis palatium excipias, cujus utriusque magnificentiam, ornatum & opulentiam ampliſſime deſcriptam legere eſt in tertio Regum libro. (x). Patriarchæ habitarunt ut plurimum in aperta regione ſub tentoriis, prout paſcuorum neceſſitas exigebat, ut numeroſo gregi ſuo ſemper eſſent præſentes. Hinc domus eorum erant velut ambulantes, & ab uno in alium translatæ locum. Commodius nepotes habitare cæperunt, ubi devictis hoſtibus, & depulſis veteribus incolis urbes, oppida, & prædia terræ Chananææ inſederunt, in qua domos novas ſtruebant lapidibus, quorum ingentem copiam regio illa, præſertim circa urbem Hieruſalem, ſuppeditabat. Pulchritudinem ædium collocabant potius in ſymmetria, proportione, ac lapidum juncturis, quam aliis ornamentis duntaxat ad pompam facientibus. Tecta domuum plana fuerunt, ut captando aeri puriori, proſpectui in campos, ac deambulationi ſervirent, quem locum adpellarunt *Solarium: Accidit ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambulavit in ſolario domus ſuæ.* (y) Ne autem forte caſus in-

(x) *C.* 6. *&* 7. (y) 2. *Reg.* 11.

infelix accideret, lex juſſit, ut tecta cingerentur muris veluti cancellis: *Cum ædificaveris domum novam, facies murum per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.* (z) Feneſtras autem clathris munivere, quæ alicubi admodum larga eſſe oportuit, quum de Ochozia Rege memoret S. Scriptura, (a) quod *ceciderit præceps per cancellos cænaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotaverit.* Porro hyemis tempore ad frigus pellendum non adhibebant fornaces, ſed ut in calidioribus regionibus mos eſt, focos. Quippe Rex Joakim *ſedebat in domo hyemali in menſe nono* (ſeu Novembri) *& poſita erat arula coram eo plena prunis.* (b) Initio ſupellex domeſtica oppido curta fuit. Sunamitis ut Eliſæum Prophetam hoſpitio digne exciperet, nil niſi menſam, lectum, ſedile ac candelabrum paraſſe legitur. (c) Poſtmodum etiam in his apud opulentiores ſplendidius res agebatur. Tapetibus pavimentum inſternebant: lectos ad convivia eburneos, aut pretioſis periſtromatis ornatos, ac odoriferis aquis adſperſos adhibebant: utebantur ſellis ex Arabia allatis: parietes lignis ce-

(z) *Deuter.* 22. (a) 4. *Reg.* 1.
(b) *Jerem.* 36. (c) 4. *Reg.* 4.

cedrinis vel cupreſſinis veſtiebant: cænacula etiam columnis fabrefactis ſuſtentabant, & porticus ſumtuoſas, ampliſſimaque atria ædibus præfixerunt.

XXXVIII.

Frugalitas in cibo potuque magna fuit apud Veteres Hebræos. Recenti enim memoria tenebant triſte illud edictum: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* (d) Lenticula tantopere ſapuit Eſau, ut pro ea natu minori fratri jura primogeniti vendere non dubitarit. Vinum res erat incognita ante diluvium, donec *cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* (e) quamquam & poſtea vini uſus fuerit admodum moderatus. Felicia reputabant tempora, ubi quivis ſub ficu ſua, & ſub vite menſam inſtruere, ac cibum potumque ſumere quietus ac ſobrius poterat. Hinc apud Iſaiam (f) Senacherib Rex Aſſyriorum cives Jeroſolymæ dira fame preſſos ad deditionem urbis adhortaturus his verbis utebatur: *Egredimini ad me, & comedite unusquisque vineam ſuam, & unusquisque ficum ſuam; & bibite unusquisque aquam ciſternæ ſuæ, donec veniam, & tollam vos ad ter-*

(d) *Geneſ.* 3. (e) *Geneſ.* 9.
(f) *C.* 36.

terram frumenti & olei, terram panum & vinearum. Equidem ſacra Scriptura ſæpe ſolius panis meminit: ſciendum tamen eo nomine omne ciborum genus Hebræis uſitatum deſignari. Communes cibi erant: panes, & placentæ ex ſiligine, hordeo, farina: lentes, piſa, fabæ: uvæ paſſæ, ficus, mel butyrum, lac, oleum, caro vitulina, bubula, vervecina, quemadmodum colligitur e cibariis, quæ Abigail, Miſphiboſeth, & Berzellai Davidi cum ſuis penuriam paſſo obtulerunt. (g) Item e menſa, qua Angelos humana ſub ſpecie hoſpites excepit Abrahamus. Appoſuit enim illis carnem opimioris vituli, panem recentem una cum lacte ac butyro: ipſe ſtans miniſtravit. Quamvis autem lautitias atque cupedias non admitteret menſa Hebræorum, tamen voraces fuiſſe videri potuiſſent, niſi corporum proceritas, ſtomachi robur, & laborum durities à tali vitio, aut potius vitii ſuſpicione eos abſolviſſet. Multum enim comedere ſolebant, non tamen multa. Certe Abrahamus, de quo dixi, pro tribus Angelicis hoſpitibus integrum vitulum, & panem trium modiorum menſæ intulit. Dapes omnium exquiſitiſſimæ ha-

(g) 1. *Reg.* 25. & 2. *Reg.* 16. & 17.

habebantur carnes hædi rite præparatæ, quales ſolicite coxit Rebecca Jacobo, ut jura primogeniti pro filio ſuo minore Jacob obtineret. (h) Agno ſeu hædo adpoſito ſecundum legem celebrabatur Paſchale convivium: (i) & filii prodigi frater natu minor amare conqueſtus eſſe coram Patre legitur: (k) *Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dediſti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Quidam tamen cibi erant vetiti Hebræis, ut ſanguis ſuffocatorum, adeps victimarum, & caro porcina, quam legem adeo ſancte ſervarunt, ut mortem potius eligerent, quam ad eſum hujuſcemodi dapis cogi ſe permitterent. Condimenta eſcarum parca fuerunt, nec exquiſita: vix aliquid præter ſal, mel, oleum, butyrum: aromatum nihil. Vinum multa aqua dilutum potui ſerviebat. Laudabatur potiſſimum id, quod Libanus, Chelbon, & Sorec progenuit: aliud vini genus erat e palmis expreſſum, nomine *Sekar.* Quod ad ritus epularum adtinet, prandii tempus conſuetum fuit hora circa meridiem, qua etiam Angelos ad Abrahami ædes diverti̧ſſe, ac prandium ſum-
ſiſſe

(h) *Geneſ.* 27. (i) *Exodi* 12.
(k) *Luc.* 15.

ſiſſe legimus. (l) Præter prandium cœnare ſoliti erant. *Dicebat autem* (Chriſtus) *& ei, qui ſe invitaverat: cum facis prandium, aut cœnam*, &c. (m) Acceſſuri ad menſam prius pedes lavarunt, quod expeditiſſime fiebat, quum tibialiis carentes ſandalia duntaxat deponere opus eſſet. Priſcis temporibus comedebant ſedentes ad menſam; tum perſicis moribus per Orientem ſe propagantibus lectis quoque incumbentes. Si lautius, atque hoſpitibus invitatis frequens epulum inſtruebatur, Architriclinus aderat, cujus officium fuit, ſuas ſingulis convivis portiones aſſignare, ac vinum affundere. Civilitatis quoque leges in ordine ſedendi diligenter tenuerunt: honoratiſſimus locus erat in capite tabulæ, utpote quem Sauli paullo poſt futuro Regi, ticlinium ingreſſo Samuel obtulit. (n) Chriſtus quoque ſolicite monuit: (o) *Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocavit, dicens tibi: Da huic locum; & tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco, & cum ve-*

ne-

(l) *Geneſ.* 18. (m) *Luc.* 14.
(n) 1. *Reg.* 9. (o) *Luc.* 14.

nerit, qui te invitavit, & dicat tibi: Amice aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Cæterum convivia ſolemnia Hebræis pauca fuerunt. nam feſtivitates ſuas præter aliarum gentium morem celebrarunt potius ſacrificiis & victimis oblatis, quam publicis epulis. Equidem Abraham eo, quo filius Iſaac ab ubere lacteque matris remotus fuit, die fecit grande convivium. (p) Dum nuptias iniret Samſon, Parens *fecit filio ſuo convivium. Sic enim Juvenes facere conſueverunt*, quod ſeptem diebus fuerat continuatum. (q) Quando oves tondebantur, patrio more *fecit Abſolon convivium, quaſi convivium Regis.* (r) Salomon quoque in adventu Sabæ convivium ſplendidum inſtruxit, in quo omnia vaſa Regis erant aurea, & vaſa Domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. (s) Nullibi tamen vel ciborum copiam, vel convivantium multitudinem pluribus deſcribit S. Scriptura, excepto Convivii a Rege extero, nempe Aſſuero, inſtituti ac ſuperbiſſimi luxu. (t)

XXXIX.

(p) *Geneſ.* 21. (q) *Judic.* 14.
(r) 2. *Reg.* 13. (s) 2. *Paralp.* 9.
(t) *Eſther. C.* 1.

XXXIX.

Nuptiæ, Divortium.

De nuptiis Hebræorum illud inprimis memorandum venit, more receptum fuiſſe, ut ſponſus velut pretio ſoluto ſponſam emeret, de quo etiam, ſicuti de dote ac muneribus inter virum & ſponſæ parentes ac fratres antea convenit. Ita Jacob pactus eſt ſeptem annorum famulatum Labano præſtandum pro Rachelis conjugio. (u) Saul Davidi filiam ſuam in matrimonium collocavit, ſed nonniſi ea conditione, ut centum Philiſtinorum a ſe occiſorum præputia prius exhiberet. (x) Et Sichem filius Hemor, ubi Dinam a fratribus ſponſam ſibi dari poſtulavit, his eos verbis affatus eſt: *Inveniam gratiam coram vobis, & quæcunque ſtatueritis dabo. Augete dotem, & munera poſtulate; & libenter tradam, quod petitis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.* (y) Confecto negotio ſplendide veſtiebatur ſponſus & ſponſa, quo in ornatu eminebat corona, quam capiti impoſitam geſtabant, vel roſis vel olivæ ramis contextam, aut omnino argenteam aureamve. De ſponſo dicitur: (z) *Vide-*

(u) *Geneſ.* 31. (x) 1. *Reg.* 18.
(y) *Geneſ.* 34. (z) *Cantic.* 3.

dete filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius. de ſponſa vero: (a) *Veni de Libano, veni coronaberis.* Ad augendam feſtivam pompam ſtipabant ubique neo ,nuptorum latera: ſponſi ſelectæ formæ ac florentis ætatis juvenes, ſponſæ vero lectiſſimæ quæque puellæ, ex eadem utriusque cognatione, editis quamplurimis lætitiæ ſignis. Alii præſentes myrrham & palmam manibus præferebant; nec omnis generis Muſici deerant. Atque hæc feſtivitas ſeptem minimum diebus tenuit, qui lautas inter epulas cognatarum familiarum exigebantur, ut patet ex nuptiis Liæ, Samſonis, & junioris Tobiæ. His non adſtitere Sacerdotes in Templo, ſed domi Patresfamilias, qui cum præſentibus cognatis benedicebant ſponſis: necdum enim ad ſacramenti rationem evectum fuit connubium, ſed civile duntaxat pactum erat. Formulas vero benedicendi ſuppeditat S. Scriptura: Fratres Rebeccæ ſorori ad ſponſum Iſaacum migranti ſic imprecabantur: *Soror noſtra es; creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* (b) Ubi Booz Ruth uxo-

(a) Cantic. 4. (d) Geneſ. 24.

uxorem duxit, præſentes novæ nuptæ feſtiva voce acclamarunt : *Faciet Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur in domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Iſrael*, (perpetua ſcilicet filiorum ſerie) *ut ſit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem*. (c) Nec fruſtra hæc vota concipiebantur, nempe ad fœcunditatem prolium e cœlo impetrandam. hæc enim ſummo in pretio habebatur, uti ſterilitas in probro. hinc Salomon ait : *Corona ſenum filii & nepotes*. (d) & Pſaltes regius (e) *Uxor tua ſicut vitis abundans iu lateribus domus tuæ, & filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu.*

Quamvis autem matrimonium ſanƈte colerent Hebræi, erat tamen divortium iis a lege permiſſum : *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fæditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii . . . . vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxo-*

(c) *Ruth*. 4. (d) *Proverb*. 17.
(e) *Pſalm*. 127.

uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis facta coram Domino. (f) Quin & ante legem a Moſe latam divortii uſum fuiſſe, licet perquam rarum, exemplum habemus in Abrahamo, qui famulam ſuam Agar, conjugem inferioris ordinis, ſed inſolentis ingenii fœminam, & perpetuum tricarum domeſticarum fomitem repudiavit, ſola ſibi Sara reſervata, ſterili quidem, ſed jugi conjugalis patientiſſima. (g) Poſtea vero corruptis Hebræorum moribus magna divortii faciendi licentia invaluit, ita ut Phariſæi Chriſtum palam interrogare non erubuerint: *Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa?* (h) Viſum eſt itaque Legislatori divino frenum injicere huic licentiæ in lege nova, in qua ad Sacramenti dignitatem matrimonium evexit. Itaque primum docuit, jam olim fuiſſe conſilium, ut conjugium ſemel rite contractum nunquam diſſolveretur, dicente Deo ad Adamum & Evam in paradyſo: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* (i) Urgentibus autem Phari-

(f) *Deuter.* 24. (g) *Geneſ.* 21.
(h) *Matth.* 19. (i) *Geneſ.* 2.

riſæis, atque dicentibus, quod Moſes mandaverit dare libellum repudii, & dimittere uxorem, reſpondit: *Quoniam Moſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non ſic.* (k) Tum vero diſertis verbis præcepit, ne ulla deinceps divortiis porta pateret, excepto unico adulterii crimine, quo rite probato liceret quidem a toro ſecedere, non tamen ab ipſo conjugio: præcepit inquam: *Dictum eſt: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, faciet eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* (l) & alibi clarius: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* (m) Atque ita magnum hoc Sacramentum, ut loquitur Apoſtolus (n) ſeu Matrimonium primævæ ſanctitati ſuæ ac integritati fuit reſtitutum.

§. VIII.

(k) *Matth.* 19.
(l) *Matth.* 5.
(m) *Matth.* 19.
(n) *Ad Epheſ.* 5.

§. VIII.

Funera & Sepulchra Hebræorum.

XL.

Quamprimum Hebræorum aliquis vita functus eſt, totum cubile mortui, omnisque illius ſupellex labem quandam contraxiſſe cenſebatur, ſecundum legem a Moſe latam, (o) cui etiam illi erant obnoxii, qui vel cadaver, vel oſſa, vel ſepulchrum quoquo modo tetigerant. Omnia hæc immunda habebantur; & quidem labes iſta nonniſi ſeptem dierum intervallo expiari poterat hoc ritu: Reliquiæ cinerum, quæ de victima Feſto *Expiationis* ſolemni a ſummo Sacerdote oblata ſupererant, in vas aqua viva repletum injiciebantur: tum hyſſopo aquis iſtis intincto eorum aliquis, qui maculam non contraxit, aſpergebat cubile, cunctaque vaſa, & quidquid immundum fuit, id quod tertio ac ſeptimo die fieri neceſſum erat. Denique his peractis eadem

(o) *Numer.* 19.

dem die ultima ſinguli, qui cadaveris attactu polluti fuere, eorumque veſtimenta balneo tingi abſtergique debebant, ut ad priſtinam munditiem redirent. Interea cadaver funeri ducendo aptatum fuit. Multorum corpora unguentis & aromatibus condiebantur, (quamvis vulgo receptus hic mos non videatur) ne odore tetro nares comitantium offenderent, vel ut a putredine aliquo ſaltem tempore ſervarentur. Ita Joſephus Jacobi parentis ſui corpus Ægyptiorum more aromatibus ungendum curavit. (p) Et in funere Chriſti Nicodemus *venerat ad JEſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum.* (q) Totum poſtea corpus longis faſciis ſeu inſtitis involutum ligabant, excepto capite, quod linteo quodam (ſudarium & ſindonem vocat S. Scriptura) tegebatur: *Acceperunt ergo corpus JEſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.* (r) &, *ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus* (Lazarus) *ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* (s) Cada-

da-

(p) *Geneſ.* 50.
(q) *Joan.* 19.
(r) *Ibid.*
(s) *Joan. Cap.* 11.

davera ſic parata aliquo tempore domi expoſita manebant, quemadmodum contigit in Saræ uxoris Abraham funere, nonniſi poſt emptum prius agrum & ſepulturæ locum inſtructum humatæ. (t) Corpus quoque Jacob Patriarchæ plurium dierum ſpatio, antequam in Chanaitidem transferretur, inſepultum jacuit. (u) De Tabitha vero, quam *plenam operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat*, Scriptura vocat, legimus: (x) ejus corpus antea lotum in cubiculo expoſitum tamdiu fuiſſe, uſque dum S. Petrus, qui tunc in Joppen morabatur, adveniens eam inſigni prodigio ad vitam revocaſſet. Hæc inter luctui cognatorum & amicorum locus datus eſt, cujus triſtis omnino facies erat: lacerabant ſuas veſtes, percutiebant pectus, caput conſperſerunt terra vel cinere, barbam & crines radebant, ſedebant humi profundo merſi ſilentio, nec os aperuerunt, niſi ad lamenta & cantus funebres. Ejusmodi triſtem ſcenam luctus, quali in aliis etiam gravioribus calamitatibus indul-

(t) *Geneſ.* 23.
(u) *Geneſ.* 50.
(x) *Actor.* 9.

dulgebant, depingit Jeremias: (y) *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion, conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abjecerunt in terram capita ſua.* Summo tamen Sacerdoti ne in obitu ſanguine junctorum ejusmodi luctum inſtituat, veſtes ſcindat, &c. atque reliquis Sacerdotibus, ne comam vel barbam radant, aliave doloris publica ſigna edant, lege prohibitum fuit. (z)

Ubi tempus adpropinquavit efferendi funeris, primi affines & cognati convenere lugubri habitu, & veſte ex panno crudo ſine plicis, quod *cilicium* adpellarunt, tecti incedebant ſæpe nudis pedibus, ac facie velata: aliquando caput pallio involverunt, ſolis radios excluſuri, vel ad lacrymas tegendas: ſequebantur familiares quoque, domeſtici, aliique e populo ad augendam funebrem pompam: apud Nobiliores acciti etiam Muſici, lugubre carmen inſtrumentis ac voce intonantes, inter quas mulieres quoque præficarum inſtar lamentari doctæ, uti colligitur ex hiſtoria filiæ Principis, quam Chriſtus a mortuis ſuſcitavit, ad cujus fu-

(y) *Thren. Cap.* 2.
(z) *Levit.* 21.

funus convenerant tibicenes & turba tumultuantium, id eſt, plangentium. (a) Ipſum cadaver portabatur a bajulis vel loculo incluſum, vel in feretro ſublime, quod proxime ſequebantur parentes, fratres, ſorores, conjuges, & utriusque ſexus cognatione juncti. Ita matrem ipſam filii unici defuncti funus comitatam eſſe legimus, (b) cui Servator occurrens dixit: *Noli flere*, & loculum tangens, ſubſiſtentibus qui portaverant, mortuo imperavit: *Adoleſcens, tibi dico ſurge.* Memorandum pompæ funebris typum habemus in S. Scriptura: (c) Abner, qui princeps erat exercitus Saul, ex inſidiis occiſo ut parentaret David, *dixit ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner. Porro Rex David ſequebatur feretrum. Cumque ſepeliſſet Abner in Hebron, levavit Rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner: flevit autem & omnis populus . . . . Cumque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David clara adhuc die, juravit* Du-

(a) *Matth.* 9.
(b) *Luc.* 7.
(c) 2. *Reg.* 3.

David dicens: *Hæc faciat mihi Deus*, *&* *hæc addat*, *ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem vel aliud quidquam.* Neque unius diei limitibus circumſcribebatur luctus: plerumque ſeptem dies inſumebantur; aliquando menſis integer, uti poſt funus Aaronis & Moſis: quin etiam dies ſeptuaginta, quemadmodum in funere Patriarchæ Jacob. Cætera Hebræi ut plurimum corpora ſuorum terræ mandarunt, nec rogo impoſita cremare ſolebant aliarum gentium more. Quandoque tamen in funeribus illuſtrioribus circa corpus defuncti ponebant aromata, eaque incenderunt, ſicuti de Aſa Rege Judææ narratur: (d) *Sepelierunt eum in ſepulchro ſuo*, *quod foderat ſibi in civitate David*; *poſueruntque eum ſuper lectum ſuum*, *plenum aromatibus & unguentis meretriciis*, *quæ erant pigmentariorum arte confecta*, *& combuſſerunt ſuper eum ambitione magna.* Neque oratio ut ita dicam, vel potius carmen funebre defuit virorum præclare meritorum cineribus. Joſia Rege dum in acie fortiter dimicaret, mortuo, & in mauſoleum patrum ſuorum illato, *univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum*, *Jeremias*

(d) 2. *Paralip.* 16.

mias maxime, cui omnes cantatores & cantatrices usque in præſentem diem lamentationes ſuper Joſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus. (e) Exſtat quoque planctus Davidis in funere Saulis & Jonathæ: *Saul & Jonathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diviſi: aquilis velociores: leonibus fortiores. Filii Iſrael, ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in Excelſis tuis occiſus eſt? Doleo ſuper te frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium ſuum, ita & ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica!* (f)

XLI.

Jam vero ſepulchris nullus certus conſtitutus eſt locus. Corpora defunctorum nunc in agris, in hortis, in montibus, nunc juxta viam, aut ſub arboribus terræ

(e) 2. *Paralip.* 35.
(f) 2. *Reg.* 1.

ræ mandata fuerunt. Regum ſepuchra, tanquam honoratiora, plerumque in urbibus ſpectabantur: Alienigenæ vero, qui Jeroſolymis mortui ſunt, ſepulturam nacti fuerunt in valle Cedron, in quo ager ille figuli erat, pro ſepeliendis peregrinis comparatus pretio triginta argenteorum numorum, quos pro Servatore vendito ſolutos Judas ad Sacerdotes retulit. (g) Forma tumuli non eadem. Plebeis foſſæ in agris parabantur: opulentiores ſtruebant ſibi cavernas in petris collium vel montium exciſas, ubi una vel plures cellulæ, quas monumenta vocabant, pro pluribus e familia diſtinctæ patebant. Abrahamus agrum emit, in quo geminæ ſpecus, quibus Saræ uxoris, & poſtmodum ipſius Abrahami, quin & Iſaaci, & Jacobi corpora illata fuerunt. (h) Nicodemus JEſu Chriſto ſepulchrum ceſſit, quod e petra exciſum in horto ſuo ſibi paraverat. (i) In his cavernis erat menſa ex lapide, cui cadaver impoſuere: alio lapide prægrandi oſtium claudebatur, qualis fuit, quem removerunt Judæi Chriſto jubente: *La-*

za-

(g) *Matth.* 27.
(h) *Geneſ.* 23.
(i) *Joan.* 19.

zare veni foras. (k) & quem Angeli venientibus ad monumentum Domini mulieribus revolviſſe leguntur. (l) De ſplendore ac ornatu tumulorum, in quos Ægyptii, Græci, & Romani tot ſumtus profuderunt, nil certi conſtat apud Hebræos. Totus forte in eo fuit; quod exteriori parte fuerint dealbati. Unde Chriſtus Phariſæos hypocritas comparavit hujusmodi ſepulchris: *Similes eſtis, ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* (m) Nihilominus magna religionis pars erat apud Hebræos mortuorum ſepultura, qua privari & inhumatum relinqui anathematis ſpecies quædam fuit, nec niſi ad ultimum capitis ſupplicium damnatorum pœna. Quare Antiochi tyranni, patriæ ac civium hoſtis miſerum interitum, tanquam divinæ nemeſis, & talionis pœnæ grande exemplum, deſcribens Auctor hiſtoriæ Machabæorum his verbis utitur: *Et qui inſepultos multos abjecerat, ipſe & illamentatus & inſepultus abjicitur, ſepultura neque peregrina uſus, neque patrio ſepulchro parti-*

(k) *Joann.* 11.
(l) *Lucæ* 24.
(m) *Matth.* 23.